


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

45,-197-8° DA-BOX
ex 1
(Frankfurt u.å.
Tillæg på 12 bl.
(LN bis 109)
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

BIBLIOTHECA · REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Dem Hochwürdigsten, Durchleuchtig, Hochgebornen Fürsten vnnd Herrn, Herrn Johan Adolffen, Postulierten vnnd Erwelten zu Ertz, vnnd Bischoffen der Stiffte Bremen vnnd Lübeck,* Hertzogen zu Schleswich Holstein, Stormarn vnnd der Ditmarschen, Graffen zu Oldenburgk vnnd Delmenhorst. Meinem gnedigsten Herrn, zu bezeugung seiner Vnterthenigsten Obseruantz, vnnd dienstwilligsten gemüts, Verehret dis Buch Anno Domini 1596

Ao Ætatis 71 e.

*Erben zu Norweg

Hinrich Rantzow

EPISTOLÆ CONSOLATORIÆ

REGVM, PRINCIPVM, COMITVM, BARONVM, NOBILIVM, ALIORVMQVE clariſſimorum & doctiſſimorum virorum,

AD

HENRICVM RANZOVIVM, REGIS DANIÆ PRODVCEM CIMBRICVM, EX patris, liberorum, & conſanguineorum morte luctu affe-ctum; eo quo ſequuntur ordine, maxima ex parte ſcriptæ: ac ipſius ad pleraſq; reſponſiones: & præterea quædam cognatæ acceſſiones.

Quibus hac tertia editione paſſim inſertæ ſunt illuſtrium quorundam virorum Epiſtolæ alterius Argumenti lectu non iniucundæ.

OPERA ET STVDIO

M. GEORGII LVDOVICI FROBENII collectæ.

Acceſſit Index Epiſtolarum locupletiſſimus



FRANCOFVRTI

Impenſis Petri Fiſcheri.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

EFFIGIES TOGATA HENRICI RANZOVII, PRODVCIS Cimbrici.

Henrici facies ſtructuraque corporis hæc eſt,
Cui genus ex atauis nobile Ranzouiis.
Virtus ingenioſa viri & prudentia velox
Ex oculis multa cum grauitate micat.

ANNO CHRISTI 1595.



Anno ætatis ſuæ LXX.

Si patriam, patria eſt mihi Cimbria, ſtemmata quæris
Nobile Ranzouiis me genus addit auis.
Si mores, vitamque: vetat pudor addere de me:
Muſa ſed hos, patriæ cætera nota mea.

Poſsidet Henricus Cimbrorum hunc jure libellum
Produx, Ranzoiæ nomina stirpis habens.

B.R.H.
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

INSIGNIA HENRICI RANZOVII



Parte rubet dextra clypeus, pars alba ſiniſtra eſt,
Et ſuper in galea cornua bina micant.
Cornua ſunt robur, Martis color alter & alter
Pacis, vtrumq; ſatos nobilitate decet.
Forma quid hæc ſimplex? ſimplex fuit ipſa vetuſtas
Simplicitas formæ ſtemmata priſca notat


HENRICVS RANZOVIVS RE. DANIE IN DVCATIB. SLESVI. HOL. AC DITH. VICARIVS. PRAEFEC SEGEBERGEN. DN. IN BREDENBERG, RANZOVISHOLM WANDESB. TVSCOV. NVSCOV et MELB.

GENEROSO ET NOBILI VIRO D. HENRICO RANZOVIO, VICARIO Regis Daniæ in ducatibus Sleſuici, Holſatiæ, Stormariæ, & Dithmarſiæ, Domino in Ranzou & Bredenberga, Domino & Patrono ſuo plurimum obſeruando,

S. D.

M. GEORGIVS LVDOVICVS FROBENIVS.

PHILOSOPHORVM vitam, qui commentationem eſſe mortis dixit: huc reſpexiſſe videtur, ipſius Ciceronis iudicio: quod in hoc vnice verſentur, qui omne ſuum ſtudium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

in doctrina ac ſapientia collocant: dum à voluptate, id eſt, a corpore, dum a re familiari, dum a republ. dum a negotio omni ſeuocant animum: vt hunc ad ſeipſum aduocent, ſecum eſſe cogant, maximeque a corpore abducant. Secernere autem a corpore animum, nequidquam aliud eſt, quam emori diſcere. Hæc ferme ille.

An non HENRICE RANZOVI, *Domine & patrone plurimum obſeruande, proximis præſertim annis aliquot, inter varias atque grauiſsimas cõmiſsi muneris occupationes tuas, quibus præter aſsiduitatem lectionis, non defugis laborem, proprias tuas lucubrationes eruditas, cũ aliis communicandi & diuulgandi, alienas quoq; liberaliter ſubleuandi, & vtiliter iuuandi: hanc etiam nec poſtremam, nec perfunctoriam curã*

tu ſubiiſti, monumentorum Regi tuo
optimo, tuis ſuauiſsimis parentibus,
liberis, amicis, tibi ipſi, tuæq; coniugi
erigendorum & exornandorum: E-
pitaphiorum quoque ſcribendorum
& expoliendorum: vt mittam alias
a te ſuſceptas ab illis non abhorren-
tes operas, tibi ipſi epiſtolas ſcribendi
conſolatorias, luculenter & copioſe
elaboratas, dum aliis te conſolanti-
bus reſpondes? Sunt hæc profecto
talia, vt arguant liquido, meditati-
onibus mortis multum te inhærere:
& a corpore vt plurimum disiun-
ctum eſſe longiſsime animum tuum.
Hoc cum fiat, citra eorum omiſsio-
nem negotiorum, quæ ratio officij
negotioſi admodum quod geris, quo-
tidie offert, non paulo plus a te præ-
ſtari ſentio, quam ab illo Philoſo-
phorum cœtu, qui vt ſuis vacare
ſatis liceat ſecretis contemplationi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

bus, a republ penitus ſe abdicant. Nam rempubl. dum non attingunt, otij abundantia, non ſolum commẽtationibus propoſitis intenti eſſe poſſunt commodius: verum etiam, niſi turpiter otio abuti, videri volent, illis vt ſe dedant, addicant atque etiam conſecrent totos: cum quod aliud agant, ſit nihil: neceſsitate quadam compelluntur.

Quam Philoſophici & RANZOVIANI inſtituti diuersitatem, mecum expendens accuratius: colligere & ſtatuere, atque etiam pronunciare, quod ad inſignem laudem tuam pertinet, non vereor. Vt hoc faciam, tu quidem alioqui laudatus cumulate, non requiris, nec a me exſpectas. Ego vero in ea ſum ſentẽtia, æque prædicationem mereri ac admirationem, illam tuam inter negotia Reipub. multiplicia, & ab his

deflexi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

deflexionem, & ad mortis memoriam animi applicationem. Declaras enim, quæ tua ſit fortitudo magnitudoq; animi generoſi, in contemnenda morte: quam pleriq; vt terribiliſsimam omnium ita fugiunt, vt ad incidentem forte eius mentionem, & animo & corpore cohorreſcant. Tribuis præterea his, qui celebritatem nominis adepti, & vt amentur meriti ſunt, teſtimonia illuſtria, quæ ad poſteritatem prodita literarum elegantia, & operum ſumtuoſe conſtructorum magnificentia, exſtabunt perpetuo. Quo ipſo de eorum virtutibus candide te ſentire oſtendis: & ad eaſdem agnoſcendas & iuſto præconio ornandas, alios inuitas: quibusdam etiam ſingulariter pietatis cultum exhibes debitum.

Capies itaq; hinc olim, præter exſpectationem, et non te hoc conſectan-

te, illorum tuorum factorum fructũ vberrimum ſtabilitæ tibi ad poſteritatem, non prorſus a literis alienam, & laudabilibus actionibus infeſtam, honorificæ memoriæ, & partæ commendationis, ob egregiam fortitudinem, liberalitatem, candorem, pietatem, atq; ſeorſim & vel cum primis eruditionem: addo etiam continentiam, qua omnes reſpuis voluptates, omnemq; vitæ tuæ curſum in labore corporis, atq; in animi contentione conficis. Cunctas enim virtutes illas cõplectitur conatus tuus, defunctos, tum eos qui te genuerunt, & qui a te ſunt propagati; tũ alios omnes, quos poſitorum monumentorum, & ſcriptorum elogiorum epitaphiorumq; honore dignos iudicaſti, ab obliuione vindicandi. Cæteroquin enim mors omnibus vt fatalis, ita æqualis foret: niſi obliuione apud poſteros, vel me-

moriæ

moriæ diuturnitate diſtĩguatur. Sed hæc alterius ſunt loci & tẽporis, & compendio verborum explicari ſatis nequeunt. Accedo ad cauſarum commemorationem, quibus adductus cõgeriem epiſtolarum in Bibliotheca RANZOVIANA *diligenter ſepoſitarum, in hunc, quem adornaui, librum redegerim. Hæc cum mihi Bibliotheca benigniſsimo tuæ Mag. conceſſu ſemper pateat: nulla curioſitate, ſed officij neceſsitate prouidendum fuit: ne hoc literarum conſolatoriarum volumen, quod multis de cauſis Magn. tuam maximi facere intellexi, quam reliqua ſupellex libraria, copioſa illa & elegans, ſegnius cuſtodiretur. Si hoc etiam effeciſſem, vt tractationi eſſet aptius literarum volumen: quod ad id ſæpe* MAG. *tuam recurrere viderem: gratum ipſi hoc fore cognoueram. Sed*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

& filiis Mag. tuæ adeo non poſſe diſplicere exiſtimaui eam colligendi & digerendi has epiſtolas opellã meam: quod pleraq; a magni nominis Principibus eſſent profectæ; non paucæ ab aliis viris clariſſimis perſcriptæ, quos parentem ipſorum non vulgariter obſeruare, & hunc mutuo illos valde caros habere, certum eſſet: vt potius crediderim, ſicut hereditatis paternæ, ita teſtatæ erga parentem gratiæ, beneuolentiæ, officij cõtinuatam in ipſos poſſeſſionem, minime eosdem eſſe neglecturos.

Communiter apud parentem & filios gratiam me initurum arbitratus ſum: Si has epiſtolas editas vtrisq; exhiberem, tanquam Hiſtoriam rerum in ſua familia geſtarum, aliorumq; memorandorum euentorum, repetita memoria inde vsq; a temporibus viri incomparabilis D. Jo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ANNIS RANZOVII. Antiquioris temporis Hiſtoriã veſtram, præſtabit accurato ſtudio cõtinuata GENEALOGIA RANZOVIANA illa poſterior, quæ ad tam longam annorum ſeriem retro extenditur, vt hanc a collecta ſummorum Principum quorundam abſoluta hiſtoria ſuperari vix putem.

Poſtremo, ſi publicum facerem hunc libellum, non paucis me commodaturum videbam: quod in eo pie atque religioſe, nec non erudite pruденterq; multa ſcribi, ac multifariam quoque tractari hoc genus exercitationum pene quotidianarum, cõſolationes texendi, eſſent deprehenſuri, qui ad euoluendum hunc libellum ſe contuliſſent: atque in ſimili argumento quod vtiliter imitarentur, nonnihil, niſi fallor, reperturi.

Ampliſsima hæc erunt, quæ con-

ſequar, ſi conſequar; & conſequar beneficio Magn. tuæ. Debebo itaque huic gratiam; quam alij ab iis, quibus ſcriptorum aliquid nuncupatur eam expectent. Nam poteſtatem mihi cnm fecerit editionis; ſimul participem reddidit earum oportunitatum, quæ ex hoc Libro ad lectorem deriuabuntur, ex tuæ quidem Mag. literaria penu ἀφθόνῳ καὶ κοινωνικῷ me illas ſolum depromente & diſpenſante.

Qui riuuli ne eruditionis amantibus obſtruantur; DEVS opt. max. Magn. tuam incolumem bono publico diutiſsime tueatur.

Cæterum tua naturæ bonitas atque humanitas, quæ generis amplitudinem & nobilitatem æquat, hoc mihi largietur; ne moleſte accipiat hanc meam in libri veſtibulo προσφώ-

νησιν, *a ſummo meæ erga Magn. tuam obſeruantiæ cultu profectam. Perſcripta in arce Magn. tuæ Bredenberga; Idibus Aprilis, Anno* CHRISTI 1593.

ELOGIVM HENRICI RANZOVII PRODVCIS Cimbrici.

HEſperus vt nitidas rutilanti lumine ſtellas
Vincit, & occultat lucis honore ſuæ:
Haud ſecus HENRICVS RANZOV *cognomine, cunctos*
Cimbrica quos tellus ſubtus & intus alit.
Hic etenim varia virtutum luce coruſcus,
Totius exſiſtit maximus orbis honos.
Doctorum fautor, fidei fortiſſimus Atlas
Eloquio clarus conſilioq́ grauis.
Fortuna, Martis clypeoq́ inſignis, & vſu,
Miranda rerum dexteritate potens.
Stemmate præclaro, proauisq́ potentibus ortus,
Egregia generis nobilitate ſatus..
Aſſertor Themidos ſacræ, fortiſſimus heros,
Vir celebris, veræ vir pietatis amans.
Totus imaginibus cui circulus vndique fulget,
Tota micat factis, nobilitate domus.
Macte tuis factis patris generoſa propago
RANZOV RANZOVIÆ *firma columna domus.*
Sunt ea non vllis vnquam interitura diebus,
Sidera dum cœlum, dum mare torquet aquas.
Sis mihi præſidium, ſis anchora ſacra, ſalusque
RANZOV RANZOVIÆ *ſplendida ſtella domus.*
Viuito Neſtorios cum coniuge, longius annos,
RANZOV RANZOVIAE *faxq́ decusq́ domus.*

M. Zacharias Palthenius
Fridbergenſis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

IOACHIMVS ABBAS REINFELDENSIS

Ad Lectorem.

PErsæpe nobis cogitantibus, candide Lector, de communibus miſeriis, in quibus tot annis verſamur, & vt videtur verſabimur: in mentem venire, animumque erigere ſolet: hæc mala non ſubito caſu, vel cæco quodam fato, ſed diuina quadam diſpoſitione nobis contingere. Bella etenim diuturna, morborum inaudita genera, omnium rerum inſolita penuria, ceteraque infinita mala, quæ in hac extrema & delira mundi ſenecta, non ſine ingenti bonorum virorum luctu & dolore conſpiciuntur: adhæc præſtantiſsimorum virorum caſus & interitus, diuini numinis non modo imminentem, ve-

rum etiam præſentem iram & indignationem teſtantur. Cum itaque non ſine ſummo vulnere Eccleſiæ Chriſtianæ, & Reipubl. ciuilis, omniumque harum Regionum diſpendio maximo, præſtantiſſimus, nobilis & generoſus heros Dn. Joannes Ranzouius, Holſatus, eques auratus, raræ, imo inauditæ virtutis exemplũ, ex hac luce, non ſine certo præſagio futuræ calamitatis, ſubtractus ſit (cuius quidem viri memoria, magna conantibus ſacroſancta eſſe debet) viſum eſt nobis, citra cuiuſcunque notam, aut noſtram cenſuram, oblatos nobis de illius vita & rebus geſtis commentarios in lucem edere. Admirandum in illis occurret, quod ab ipſis incunabulis, vſque ad extremum vitæ ſpiritum, ſtrenuus ille miles tam propitia benignaque fortuna, virtute Duce, Chriſto auſpice, in tam grauiſſimis, difficilimis, ſummisque rebus, pro ſua conditione, vſus ſit ſemper: vt paucis, vel nemini, poſt hominum memoriam (citra aſſentationis fucum loquimur) etiam ſi omnes veterum Græcorum, vel Romanorum annales euoluas, ſimilem

reperias

reperias contigiſſe. Tu, optime Lector, ſtudium noſtrum boni conſule: & virtutes tanti & tam cari viri recole & ſectare. Vale in Chriſto felix.

EPISTOLA M. MARTINI CORONÆI, QVONDAM filiorum Henrici Ranzouii Præceptoris,

AD REVERENDVM D. JOACHIMVM, *Abbatem monaſterii Reinfeldenſis, de obitu* IOANNIS RANZOVII.

ETsi non dubito, Reuerende domine Abbas, quin ab aliis ea de re, quã ſummo cum dolore ad T.R.D. perſcribo, eidem ſit nunciatũ, eumq; caſum grauiter ipſa moleſteq; ferat: tamen cum herus meus Henricus Ranzouius, Regiæ Maieſtatis Danicæ Vicarius, luctu impeditus, & hoc tempore a Rege in Daniam vocatus, ipſe pro mutua beneuolétia ac familiaritate veſtra, ad R.D.T. nondum ſcripſerit: iudicaui eandem vel meis literis, quid rei accidiſſet, certioré fieri oportere. Nam Ioannes Ranzouius, Eques auratus, quem quidem Deus Opt. Max. ex hoc turbulento, quod in terris cõceditur, hoſpitio, cœleſtem in patriam euocare conſtituerat, integris animi ſenſibus, vſq; ad extremũ vitæ halitum, rebusq; omnibus, quæ ad morituros pertinent,

ſancte ac pie compoſitis, cum Henricum & Paulum
filios, ad mutuum amorem concordiamq; tuendam,
multis verbis cohortatus eſſet, Eccleſiã & miniſtros
ſuos omnes muneribus ampliſſimis ornaſſet, ſacris fa
ctis adhibitisque precibus firma in Chriſtum fide, in
complexu cõiugis, filiorum ac nepotum, prid. Id. De-
cemb. placide conſtanterq; vitam cum morte com-
mutauit. Equidem ſatis commemorare non poſſum,
quantum nobis moleſtię, quantum mœroris, tam for
tis, tam grauis, tam prudẽtis, tam præclari bello & pa-
ce, excellentisq; viri mors attulerit. Multæ me cauſæ
mouent, certe vt ſic ſtatuam: eo exſtincto, meam pa-
triam, remque noſtram publicam, multum ſplendo-
ris, multum præſidii atque ornamenti amiſiſſe. Itaq;
& mea & vniuerſæ Reipub. Cimbricę cauſa vehemẽ-
ter doleo: angorque animo: ne, poſtquam Deus hanc
columnam euertit, breui totum ædificiũ collabatur:
præſertim cum hoc tempore, quo maxime addi ali-
quid, in tanta paucitate, ad bonorum hominũ nume-
rum oportebat, nobis ſit ereptus. Vt autem & meum
dolorem, & ſimul etiam gratitudinẽ oſtenderẽ (:quia
magna ex parte in hac familia & domo ſum educatꝰ,
plurimaq; ab ea in me ſunt collata beneficia:) decre-
ueram pauca quædam, de vita & rebus geſtis huius
» tanti viri, literis mandare, poſterisq; tradere. Iniuria
» enim eſt, virtuti laudem præconiaque non tribuere.
Cum aũt hero meo nuper in Daniam profecto, meæ
curationi commendatam Bibliothecam illius, quam
habet omni genere librorum inſtructiſſimam, more
inſtitutoque meo ingreſſus eſſem: libros nonnullos
excutiẽs, caſu in bina incidi ſcripta, coniunctim ſepo-
ſita, neſcio quorum auctorum. Vtrique loco tituli
præfixa fuerunt, quæ ſequuntur, verba: SVB EFFI-
GIE IOANNIS RANZOVII, Equitis aurati. Illa
ego ſcripta cum non ſine ſumma voluptate perlegiſ-
ſem, cum quod non mei tantum temporis hiſtoriam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

verum annorum fere ſexaginta, cuius plane ignarus eram, breuiſſime comprehenderẽt: tum quod vitam Ioannis Ranzouii, rerumque me puero, ab eo domi militiæque geſtarum continerent memoriam: & viderentur ſane eiuſmodi eſſe, vt a me nihil illis elaboratius, nihil elegantius edi poſſet: deſiſtebam ab commentandi incepto, meumque ſcribendi ſtudium & laborem ſuperuacaneum iudicabam. Illa igitur ſcripta rogatu meo impetrata ab hero, ad T. R. D. virum pietatis, ingenii & iudicii laude præſtãtiſſimum mitto: vt & ipſa R. T. D. Ioãnis Ranzouii illius, quem ob inſigne verę Religionis ſtudium, & raras animi dotes, quibus ceteris prę luxit, vnice complexus eſt, ſemperque magnifecit, vitam penitus cognoſcat, & cum amicis ac familiaribus communicet: atque etiam, ſi ita videbitur, commentationem hanc perſcriptam, vt in manus omnium perueniat, typis imprimendam curet. Adiunxi Epitaphium, quod marmori incidi, ac Itzehoæ apud ſepulcra maiorum collocari, filii mandabunt. Nonnulla etiam addidi exempla literarum, quas Principes quidam, & alii, ad conſolandos filios ſcripſerunt: non quidem illa omnium (: erant enim plurimæ:) ſed harum tantummodo, quas propterea, quod elegantiores atque pleniores eſſe videbantur, ſelegi. Poſſunt eſſe literæ illę, tanquam indices & certiſſima teſtimonia fidei illius, qua erga patriam, eiuſque laudatiſſimos Principes ſemper vſus fuit. De his itaque, quod propagandæ ad poſteritatem defuncti glorioſæ memoriæ conducat, vt ſtatuat, excellenti reuerendæ dominationis tuæ iudicio permitto: meque omnibus officiorum generib⁹ R. D. T. perpetuo deuinctum fore confirmo. Vale Reuerende Præſul, & me in numero eorum habe, qui R. D. T. ob plurimas virtutes diligunt & colunt. Datæ XIIII. Calend. Ianuarii, Anno M. D. LXV. Ex arce Bredenberga.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

SVB EFFIGIE IOANNIS RANZOVII EQVITIS AVRATI.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

DEvs trinus & vnus te cumulate ſoſpitet, & in hoc viuidæ ſenectæ robore diu feliciter conſeruet, fortunate Senex: quem ex equeſtri, & peruetuſtæ nobilitatis, apud Holſatos Saxones, Ranzouiorum fami- 1492.
lia natum, ſiderum inclinatione ſuffragante, Genius, Diuinaque gratia, per bellicas virtutes, ad iuſtam fortunarum atque gloriæ ſatietatem extulerunt. Quo iam tum contendere es viſus, quando proximus pubertati, a patris morte, arrepto domi equo, ad vicina 1505.
caſtra euolaſti. A quibus, prouectiore ætate, in An- 1516.
gliam, Hiſpanias, Italiam, Cretam, Aſiam, Syriamque 1517.
progreſſus, & apud Hieroſolymas militari baltheo honeſtatus, ex tam longa & periculis variis obnoxia peregrinatione, non modo id honoris inſigne, ſed animum plurima variarum rerum, inprimiſq; exquiſitioris diſciplinæ militaris cognitione inſtructum, ad patriæ optimorumque Principum tuorum Holſatiæ Ducum, opportunitates retuliſti. Eam ſcientiã, cum infracto animi corporiſq; robore, temporibus ita poſtulantibus, in campum produxiſſes: re ipſa comprobaſti, non pugnantium numero, ſed Imperatoris atq; militum virtute, conſtare inſignes victorias. Sic ala vna Equitum, & quatuor peditum Germanorum cohortibus, ſtrenuam operam ſuo quoque loco nauantibus Proceribus Danicis, poſt edomitam Hafniam, 1523.
Daniæ Regum permunitam ſedem, ſupra quindecim Scandianorum millia, ducibus horum captis, profligaſti. Quo felici rerum ſucceſſu, & pacis fundamenta a te iacta ſunt: Et Borealis nobilitatis attritus, laceratuſq;, ſub Chriſtierno II. immanis crudelitatis Rege, ſplendor & trãquillitas reuixit. Nã hinc eius ſpes, qua ad regna ſeptentrionalia reſpiciebat, ex fuga, in quam ſe coniecerat, ſcelerum vltricib. diris conſciam mentem impellentibus, plane imminuta fractaque: aditus vero ad regni faſtigium patefactus fuit optimo Principi tuo Friderico, Holſatiæ Duci. In quo ille iu-

ſte, clementer pieque vſque ad vitæ exitum, verſatus, ſubditorum de ſe exſpectationi vndiquaq; ſatisfecit: & fidei meritorumque tuorum magnitudinem regia liberalitate eſt remuneratus. Ab eius e rebus humanis exceſſu, cum noui popularium motus per Daniã
1534. concitarentur, Lubecenſium quidam, rerum nouandarum ſtudioſi, inopinato ſe in patriam tuam, factis cædibus, atque incendiis excitatis, late effundebant. Author tunc Principi tuo Chriſtiano, Friderici filio, Holſatiæ Duci, fuiſti, vt inter initia Lubecam inuaderet. Ita rem te Duce adminiſtrari cum iuſſiſſet: id dexteritate conſiliorum, atque actionum tuarum celeritate conſecutus es: vt Lubecenſes, fuſis fugatiſque ad Oltinum ſuis copiis, non modo Segebergenſis caſtri obſidionem ſoluerint: ſed Trauemunda atque nauibus aliquot captis, vrbeque ipſa obſeſſa: cum belli ſumtus, & dilabentem mercimoniorum quæſtum, ferre ciues diutius aut non poſſent, aut non vellent: ſperatæ victoriæ certam pacem prçferre maluerint. Quæ eo liberalius afflictis conceſſa fuit, te Cimbricos motus coercente: quo magis Principis atque patriæ tuæ interfuit, vicinam hanc flammam reſtingui, & tot ſimul enaſcentium hoſtium vires diduci. Nam factioſorum quorundam Danorum motus, Albertus Megapolitanus Dux, & Chriſtophorus Oldenburgenſis Comes, iuſtis exercitibus tuebantur, Hafnia regali munitioribusque locis occupatis. Sed illorum vires, per Balthici maris inſulas diffuſas, cum ſigillatim adoriundas cenſuiſſes, idque tuum ſalutare conſilium Chriſtianus Princeps approbaſſet: per continentem traductis copiis, primo Cimbricos Iutas, communicata cum Erico Banner Dano opera, feliciter aggreſſus, Alborgo vi expugnato, ac deletis aduerſariarum partium copiis, redactiſque in ordinem ſacrorum nonnullis præſulibus, qui ſe hominibus nouandarum rerum ſtudioſis duces auctoreſque

præbue-

præbuerant, non minimum Danici regni tractum principi tuo conciliaſti. Proxima erat Fionia, vbi valido hoſtium præſidio Aſſenſe oppidum tenebatur, & cum iuſto exercitu Germanorum, illuſtres Comites, Ioannes de Hoija, & Nicolaus de Teckelnburg, aliique ſtrenui alarum atque cohortium duces excubabant. At tu nihil hoſtium potentia territus, traiecto mari, cum obſidionem Aſſenii ſtrenue cœpiſſes, incumbentibus eius ſolutioni Comitibus: laudabilius exiſtimaſti, producto in patentes campos milite, prælii aleam ſubire, quam intra caſtrorum munitiones obſeſſi præbere ſpeciem. Itaque cum iuſta acie, loco ab hoſtium præſidio editiore, confligeres: inſigni victoria, quæ Comitem vtrumque multosq; fortes viros abſumſit, eoque arridentis fortunæ pro- 1535.
greſſu, primum eodem die ciuitate Aſſenſi, deinde tota Inſula potitus es. Hinc in Selandiam itum: in qua expugnatis propugnaculis, & ſubditis pacatis, reſtabat vna Hafnia, regia ſedes. Hæc tum illuſtrium virorum atque veterani Germanici militis præſidio, tum ſuis munitionibus aduerſus omnem vim inſigniter armata, fame ſubigenda fuit. Quod poſt XIIII.
obſidionis menſem feliciter ceſſit: eoque maiorem 1536.
Principi tuo clementiæ atque moderationis gloriam peperit: quo ille ad Saguntinam (at aiunt) famem adactis, dimiſſo ſine noxa præſidio, eiusque ducibus, indulgentius ignouit. Hac via Chriſtianus Princeps, vere Chriſtianus, cum ſeditioſis hominibus Daniam purgaſſet: diademate regio proceribus conſentientibus ornatus, per omnem vitam conſilia actionesque 1537.
ſuas, maximo ſubditorum commodo & gratulatione, eo retulit, vt luſtrico nomini eſſent conſentaneæ. Qua excellenti virtute perpetuaque felicitate impulſus Carolus Cæſar, licet alieniore eſſet a Chriſtiano Rege animo, ob Chriſtierni ſororii ſui cuſtodiam, liberis eius incitantibus, potius te paucisque aliis acto- 1544.

ribus, cum illo in gratiam redire, quam huius deformatam ſceleſtiſſimorũ delictorum turpitudine cauſam perſequi voluit. Sic aucto confirmatoque Principis tui imperio, cum iam ſexagenarius ab aula ad quietem reſpiceres: a liuidorum oculis atque dentibus ſemoueri tuus receſſus tã longe non potuit, quin abſentis gratia apud optimum regem attrectaretur. Quod tu eo nobiliori propoſito negligendum exiſtimaſti, quo certius ſtatuebas, gratiſſimi beneuolentiſſimique regis animo, tot aduerſis proſpere ſpectatam cum extremo vitæ diſcrimine fidem integritatemq; tuam, maleuolorum obtrectationibus eximi nunquam poſſe.

Neq; tua te fefellit opinio: quando decedente corporis vigore, te ſolita gratia complexus, Friderico filio Regi deſignato ingenue commendauit. Quem a
1559. patris morte, cum patruis Iohanne & Adolpho, Holſatię Ducibus, in Dithmarſos, gentem ferocem & hactenus pro inuicta habitam, arma ſumentem, cano & pene ſeptuagenario capite ſecutus, delatum cõmuni Principum conſenſu magiſterii Equitum munus, vt modeſta ætatis excuſatione declinare voluiſti, ita ſine intermiſſione poſtulantibus Principibus ſuſceptum tutatus es, nunquam priſtini vigoris robore languorem contrahente. Sed eius ſecundiſſimi belli laudem, ſicut libenter & merito ad Regis atque Ducum gloriam refers, qui vtiliter cõſulendo fortiterq; pugnando, clariſſimorum heroum munera impleuerunt: ita viciſſim tuam, tot antea victoriis partã lauream, hoc clementiæ encomio, ex eo bello, non inuiti reddent ornatiorem: quod ſupra quingentos Dithmarſos, qui aduerſum te in acie conſtiterant, cum proiectis armis extrema experiri non vellent, nõnullis eos ad necem poſcentibus, humaniore animi decreto, viuos incolumesq; conſeruaſti: cum eorum ſanguine interemti olim fratris manibus litare potuiſſes: Cuius facti me-

moria,

moria, ingraueſcenti nunc ætati tuæ eo dulcior procul dubio eſt: quo magis perpetuum animi tui propoſitum, nunquam mercenariæ externorum militię, ſed vni patriæ, eiusq; legitimis Principibus, ea moderatione obſtrictum, vt victricis manus robur, cleměti erga proſtratos indulgentia, pro merito temperares, hoc velut extremo actu confirmare voluiſſe es viſus. Igitur ætatis veniam æquiſſimo iure conſecutus, viue in poſterũ, tot exantlatis feliciter belli laboribus, diu felix atq; incolumis, in tuis priuatis ædibus: quarum alteras Bredenbergæ, perductis iuſtis munitionibus atq; propugnaculis, ſolo depreſſo ad Storã, reciproco æſtu fluctuantem: alteras Italicæ elegantiæ imitatione Bodtkampii, editiore ſpecula, ad lacũ Biſſenum, magno ſumtu conſtruxiſti: & inter grauiſſimas conſultationes, quibus præſentem animi vigorem, cum ſuo genio, tum diligenti rerum obſeruatione ad circumſpecti iudicii acumẽ perductum, Regi, Principibusq; tuis feliciter impertis, te rerum geſtarũ recordatione, & numeroſa ex tribus liberis nepotũ neptiumq; ſobole oblecta. Quos vt virtutis tuæ æmulatione, digna te patre auoq; ſectari atq; conſequi videas: vtq; tranſcurſo mortalis vitę ſpatio, pie, ſanctéque ad beatorum ſedem hinc emigres: tibi concedat inexhauſtę bonitatis & cleměntię numen ęternum, Amen.

SVB EFFIGIE IOHANNIS RANZOVII EQVITIS AVRATI.

DEVS trinus & vnus te in longinquum tempus ſoſpitet, & in hoc viuidę ſenectę robore perdiu feliciter conſeruet, fortunate Senex; qui ex equeſtri &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

nobili Ranzouiorum familia(quę fuit interCimbros ſiue Holſatos, teſtantibus id annalibus veſtris, ante
1492. trecentos annos,virtute bellica clara) es ortus: domeſticaque educatione ac diſciplina periculorum & vulnerum contemtor factus, cum tredecim annos natus, mortuo patre, clam inſtructo domi equo, inuita matre, & tuis, ad proxima caſtra euolaſſes, miram indolem ad militiam attuliſti: demum vir effectus: duriſſimis belli laboribus te totum dicaſti: ſuſceptaque
1505. nobili peregrinatione, totum pene orbem terrarum circumuagatus es, non tam religionis cauſa, vt multi opinabantur,quam vt multarum gentium mores,tractandiq; belli rationes acutiſſime perſpiceres, & po-
1516. ſteros Cimbrorum, Gothorum, Vandalorumque, tuorum maiorum, inuiſeres. Adita primo Anglia, deinde Hiſpania (vbi Diuum Iacobum more tunc inueterato ſalutaſti) poſtea Germania, Italia,Creta, Aſia ac Syria maxima ex parte peragrata, ad Hieroſolymam vrbem perueniſti, ibique cum aliis religioſe ſacrificans, dignitatem aurati Equitis ſuſcepiſti, quam ſuccedente tempore editis egregiis factis condecora-
1517. ſti atq; exornaſti. Hæc tua illuſtris peregrinatio in illa deflenda tempora incidit, cum Selimus Turcarum Imperator,mortuo Camſone,& interfecto Tomonbeio, Sultanico imperio cruentis victoriis finem attulit: vnde niſi magna numinis prouidētia ad maiora eſſes reſeruatus,naui vix elapſus,a Turcis captus fuiſſes,te tuosq; ſocios, tanquam Mammeluchos,perſequentibus.Naui illa Neapolim perueniſti,indeq; per illud regnum Romam profectus, Leoni X. Pontifici Maximo, more Italico, ſed non ſine faſtu Cimbrico, pedes deoſculatus es. Inde per Italiā,Galliam,& Germaniam ſcientia multiplici in peregrinatione auctus, domū rediiſti: & illico propter ſummam ingenii tui dexteritatem,& agendi peritiam Fridericus tunc tan-
1520. tum Princeps Holſatiæ, te filii ſui Chriſtiani morum

Vide Paulum Iouiū, in Turcicarum rerum commentario, ad Carolum V. Imperat.

inſpecto-

inſpectorem, ac omnium rerum eius gubernatorem, cõſtituit, miſſurus filium ad ſeptemuirum Electorem 1521.
Brandenburgenſem, vt vna cum ipſo Wormatiã verſus iret; quo Cæſar Carolus V. tunc primum Principes Germaniæ, ornatus Cæſarea poteſtate, conuocarat. Quo in loco Lutherus ſua dogmata, ſumma cum conſtantia, præſentibus cunctis ordinibus Imperii, perſcripta exhibuit: quæ tu modeſte arripiens, ſuper- 1522.
uacuos aliquos ritus negligere didiciſti. Finito illo conuentu, vna cum Principe tuo ad patrios lares reuerſus, Magiſter palatii creatus. Cum deinceps Chriſtiernus II. Danorum Rex, immaniſſima crudelitate in proceres Gothos, Danos & Suedos ſæuiret, illiq; publice conſpirarent, conſentiente & permittente Deo, certiſſimo ſemper vltore ſcelerum: & Fridericum patruum Chriſtierni, ad ſuſcipiendum diadema regium adhortarentur: tu Principi tuo Friderico ſuaſor & auctor exſtitiſti, vt oblatam prouinciam ſuſciperet: ne alioqui tota ſua familia illuſtris, illa regia ſede deturbaretur. Nam Suedi, cum Fridericus longius rem cunctando protraheret, quendam ex nobilitate equeſtri ſibi Regem delegerant: quod & de Danis erat timendum. Quare ipſius auſpiciis exercitũ in Daniam traduxiſti, nonnullisq; locis ibi prius expugnatis, Hafniam regalem vrbem plus anno integro preſſiſti obſidione, illaq; fame domita, cum ab eſu felium 1523.
ac canum nõ abſtinerent, in tui Principis gratiam ſuſcepiſti. Quibus rebus peractis, cum quatuor cohortibus ac trecentis Equitibus, in Scandiam nauigaſti, ibidemq; nobiles eius prouinciȩ Danos tibi adiũxiſti: & cõmiſſa ancipiti pugna, cum Seuerino de Norbu, viro ſtrenuo & rei militaris perito, ſecum habẽte quindecim millia agreſtium, tandem eum ſuperaſti. Nam aut vincendum, aut moriendum tibi erat: nullus locus fugæ patebat. Circumdatus enim eras mari, & hoſtili exercitu. Sic virtus viam inuenit. Ac niſi ſumma fe-

ſtinatione vſus fuiſſes, ſubſidio hoſtibus Otto Stigeſen, cum alia nō contemnenda manu, collecta explebe, veniſſet, quem paulo poſt deuiciſti. Seuerinū non ſolum confeſſi facinoris veniam, ſed etiam amplam præfecturam a Friderico adeptum, priſtinæ libertati reſtituiſti: vt omnes inde perſpicerent, te non ſolum in bello inuictum, ſed & in inimicos tuos in pace beneficum eſſe: quę tamen ipſe tua ingentia merita, magna cum ſui nominis priſtini & glorioſi infamia, nouo ſcelere priori addito, dedecorauit. Contra enim datam fidem, clam ad Muſcouiæ Imperatorem: deinde ad Cæſarem Carolum, Regis ſui Chriſtierni II. vxoris fratrem aufugit: eiusque partes ſecutus, in obſidione Florentina (cupiens animoſitatis ſuæ apud exteras nationes exempla edere) fortiter pugnans interemtus eſt, & ſic perpetrati facinoris & violatę fidei iuſta præmia recepit. Iam regno aliquo modo pacato, Chriſtiernoque in Noruuegia ab aliis proceribus conditionibus circumuento, ipſoque in perpetuum carcerem condemnato, Fridericus in fratris filii locum, procerum ſuffragiis Rex declaratus eſt; qui regno ad annos decem ſumma cum moderatione præfuit. Quo tandem e rebus humanis ad diuinam patriam ſublato, relictis tribus filiis impuberibus, & tertio Chriſtiano, virilem ætatem ingreſſo, Lubecenſis Reipubl. turbatores nonnulli, facto prius fœdere cum Duce Alberto Megapolenſi, & Comite Chriſtophoro Oldenburgēſi, & Danicis quibuſdam Proceribus, nouis rebus ſtudentibus, patriæ tuæ bellum acerrimum intulerunt, quod prius geri, quam parari animaduerſum eſt, anno ꝓximo poſt Friderici mortem, veſtratibus in conſtituenda rep. tempore interregni, & deliberationibus de nouo Rege faciendo occupatis. Sperabant enim Lubecenſium iſti factioſi, ſeſe ciuitatem ſuam tribus regnis ſeptentrionalibus potitam, Venetiis æqualem reddere poſſe. Tunc

tu ite-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

tu iterum Reuerende ſenex, nactus iuſtam defendendæ patriæ cauſam, & ab extrema ſeruitute vindicādę, armatus ex tuo caſtro, quanquam vno pede æger per integrum annum fueras, claudicans in medium proſilis, omnesque priuatos dolores communi patrię ſaluti poſtponis: nec defuit fortuna audenti ſalutaria. Illico enim, non ſine admiratione omnium, qui id diuinitus cōtigiſſe religioſe affirmabant, priſtino pedum robori ac agilitati reſtitutus es. Collecta deinde parua manu, cum Chriſtiano, Lubecenſes, non procul ab oppido Oitino, deſideratis multis aufugere, Segebergenſem obſidionē relinquere, ac de ſua propria ciuitate defēdēda ſollicitos eſſe, coegiſti. Ac poſt hæc Trauemundum vi cepiſti, naues ſubſidio miſſas expugnaſti, ipſamque vrbem Lubecam obſidione cinxiſti: breuique tempore ex tuis per te collocatis caſtris tantum effectum, vt pacis conditiones vobis etiam non inutiles ſuſceperint. Tu enim eo tempore, cum Erico Erickſen, alias Banner, & nonnullis Equitum alis, ac militum cohortibus, in Iutiam ſiue Iutlandiam miſſus eras, vt agreſtium multitudinem maxima ex parte rebellantem, aut bona cum gratia ad priſtinum officium & ſaniora conſilia reduceres, aut armis opprimeres, & meritas ab illis pœnas ſumeres. Cui iniuncto officio ſatisfacere cupiens, oppidum Alborch, in quo ruſtica plebs, Duce Clemente Nauilero congregata erat, fortiter illis defendentibus, cum tuis feliciter expugnaſti, ſemelque non ſine tuorum dolore, cum primus vallum conſcendiſſes, a ſummo ad imum deiectus es: ibique multiplici cæde exempli cauſa, facta, captū viuum Clementem, quaſi Regem, plumbea corona dedecoraſti, & ſic palo configendum curaſti, meritasq; perfidiæ pœnas ab illo exegiſti. Inde in Wentzhuſel, tribus diuerſis itineribus, cū copiis tuis cōtendiſti, ibiq; vacillātes in fidę continuiſti: principibus. n. factionis ſublatis, reliquos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ad officium reduxiſti, nouoq; iuramento obſtrinxiſti.
1535. Hinc in Fioniam cum traieciſſes, plebem etiam ibi
maiore numero congregatam tuis copiolis adortus,
in fugam conieciſti: ac paulo poſt non procul ab Aſ-
ſenſi oppido, in aperto campo, ſeorſim ante primos
ordines cum vno Equite Baltazaro de Ieſſen, filio na-
turali Electoris quondam Friderici Ducis Saxoniæ, te
in primis petente, concurriſti, illumque mortifero
vulnere affectum, de equo, non ſine præſagio futuri
euentus deieciſti: ſignoque cæteris dato, exercitum
Comitis de Oldenburg, iuſta acie ac prælio ſuperaſti:
interfectisque in illo prælio Comitibus Iohanne de
Hoya & Nicolao de Teckelnburg, caſtris hoſtium &
orbe potitus es. Vnde in Selandiam profectus, pleriſ-
que locis illic vi ſubactis, iterum, vt ante decennium,
1536. totos XIIII. menſes Hafniam obſediſti, defendenti-
bus fortiter vrbem, & tuis virilibus conatibus egregie
reſiſtentibus Duce & Comite: quod exſpectarent a
Cæſarianis auxilium, & ſperarent eos occaſioni non
defuturos. Quæ opinio illos haud fefelliſſet, ſi tum ex
tuo ſingulari conſilio, & ſolerti prudentia, certa equi-
tum peditumq; manus, in terram Groningenſem Cę-
ſari parentem, non fuiſſet miſſa, quæ vicum Dam val-
lo foſſaq; muniret atq; teneret. Qua re effectum eſt,
vt Cæſarianos magis de oppidulo Dam recipiendo,
quam de oppreſſis opem ferendo, alienaque ora in-
feſtanda, cogitare oportuerit, præſertim Carolo tunc
Italicis rebus implicato, deq; regno Neapolitano ac
Ducatu Mediolanenſi defendendo, vehementer ſo-
licito. Quare obſeſſi in vrbe Hafnia, cõſumtis omni-
bus alimentis, quibus homines veſci poterant, extre-
ma inopia premebantur. Deſperatis tandem auxiliis,
cum illis nihil aliud reliquum eſſet, quam ex fame lu-
rida mors: ad pedes Chriſtiani. IIII. Ducem & Co-
mitem ſe proiicere, & culpam agnoſcere, delictique
1537. veniam petere coegiſti: Quibus rebus confectis,
Chriſtia-

Chriſtianus more Gothorum, regio diademate ornatus, ac patri ſuffectus eſt. Fuerunt ſequentes anni vtcunq; tranquilli. Verumtamen ſemper timendus erat Carolus V. ſemel irritatus, per affinis ſui captiuitaté. Contigit autem deinceps, vt bellum exarſerit inter Cæſarem & Iuliacenſem, de ducatu Geldriæ: & Gallus Rex Iuliacenſem ſub ſpe matrimonii cum filia ſororis ſuæ, Reginæ Nauarræ, in partes ſuas traduxerit, quibus ſi ſe adiunxiſſet, Chriſtianus ex vſu regni fore exiſtimabat. Ideo te ad percutiendum fœdus cum iſtis duobus Iuliacum verſus miſit. Sed tu Regem Galliæ omnes ſuos conatus eo intendere, facile perſpexiſti: vt Cæſarem implicitum aliquibus negotiis redderet, ipſumq; longe a finibus ſuis amoueret. Ducis vero res eo loco eſſe intellexiſti, vt per ætatem ipſe parum, aut nihil de bello cogitaret: illi vero, quibus bellum demandatum erat, ſegniter rem adminiſtrarent. Quare tu ſumma præditus prudentia, fœdere illo infauſto, regem tuum obſtringere noluiſti: Cum ex longo re- "
rum vſu & obſeruatione didiciſſes: magnos Reges, "
propter priuata commoda, publica ſancire fœdera: "
ac raro ſancta inuiolataque ſeruare. Id tamen fauens "
partibus Regis Galliæ promiſiſti: te legionem veteranorum militum, & quingentos equites nigros, ipſius ſumtibus, in Brabantiam, ad Martinum de Rosheim miſſurum eſſe: & apud Regem tuum tantum effecturum, vt claſſem ſuam, ad depopulandam & infeſtandam oram maritimam inferioris Germanię mitteret: & ſic vna cum aliis, Imperatoris opes diſtraheret ſiue diſtineret: quod vtrumque ſumma fide præſtitiſti. Quantam enim vaſtitatem Martinus, adiūctis ſibi tuis copiis, Brabantiæ attulerit, ruinę teſtantur, & Antuerpia fere capta perenne teſtimonium prębebit. Naues vero, vento cōtrario orto, qui per totam durauit æſtatem, optatum curſum tenere non potuerunt. Sed tamen homines maritimos, ne aliis opem ferre poſſent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ſuſpenſos tenuere. Succedente autē tempore, aliquoties cum Cęſarianis, non vno in loco, vt cum Maximiliano Bureno, & aliis, de facienda pace egiſti: quæ colloquia & actiones tam diu irritæ fuerunt, donec Spiram verſus profectus, ibi cum tuæ legationis ſociis ſolerti opera effeciſti, vt Chriſtianus honeſtis amicitiæ
1544. legib. Cæſari Carolo V. iungeretur: catenaq; inſuper aurea grandis valoris te, ſicut & collegas tuos, Cæſar placatus donatum dimitteret. Ita pace facta domum reuerſus, Principes tuos occupatos eſſe in diuidendis Principatibus auitis atq; paternis cernens: quod tibi maxime ex grauiſſimis cauſis diſplicebat (diminui enim hac ratione potentiā coniunctam videbas: ac facile oriri poſſe inter Principes ſimultates timebas, quę ipſis & patriæ extremā allaturæ eſſent perniciem) te omni magiſtratu & præfecturis, quibus eras inſignitus, volens abdicaſti: & cum tuis in poſterū honorifice & quiete viuere decreuiſti, retentis ſolummodo illarum functionum fructibus, quæ erant vſq; ad mortem tibi literis ſcriptis confirmatæ, & ex merito datæ. Ille receſſus priſtinam Chriſtiani erga te beneuolentiam plane euertit: ac tali ſuſpicione animum eius pupugit, quaſi aliis ex cauſis te ab eius negotiis ſubduceres, adiuuantibus clandeſtinis plurimū inimicis (nam virtutē inuidia ſequitur) & intendentibus præſertim
" eo, vt fictis & futilibus rationibus viam inuenirent, qua alioqui præclarum Regem, erga te ingratum efficerent: & vt is ingentis tui beneficii merita, facta inſigni aliqua iniuria perſolueret. Nam qui apertus tibi inimicus eſſet, rege tum alienato, nemo inuentus eſt.
" Sed hoc tibi cum clariſſimis Ducibus commune fuit.
" Hi plerumq; in vltimo vitæ actu inuidiam incurrunt. Accidit hoc Hannibali, Scipioni, Belliſario, Narſeti; & tua ætate Conſaluo magno contigit. Illi non tantum per calumniam circumuenti, ſed etiam diminuti dignitate, in ipſo iniuſte illatæ cōtumelię dolore mor-

tui-

tui ſunt. Tu tamen ipſis omnibus longe beatior ac felicior fuiſti. Rex enim (qui re & nomine vere Chriſtianus erat) progreſſu temporis intimis animi ſenſibus tua pręſtita officia perpendens, teque ab inimicis clandeſtinis (qui aperte aggredi innocentiam tuam nō poterant) falſo delatum intelligens, prius a te ipſo exigente, data in hoc ſuo filio fide ac manu, te neceſſitatibus ingruentibus illi non defuturũ: & exigente quidem ſub certa hac conditione adiecta: Si filius ea quæ eſſent tibi ab auo ſuo, ipſoque, propter ſumma merita, vſque ad mortem collata, non reuocaret, ſed rata haberet, (non tantum ſic te, ſed etiam filium Regis tibi obſtringens) tibi eſt reconciliatus, ſummoq; te in honore, vt antea, ad ſupremum vſque vitæ diem habuit & coluit: Filius Regis quoque factæ promiſſioni conditionem adiunctam probe intelligens, regia plane indole ſummam erga te beneuolentiam oſtendit, & ſeſe tibi non ſolum iuſta laborum præmia parta conſeruaturum, ſed, ſi velles, etiam cumulaturum pollicebatur. Cui tum reſpondiſti: nihil te amplius optare, quam ſuam gratiam, tui officii nunc eſſe, veteribus obſequiis, quę auo ac patri præſtitiſſes, iam fere obſoletis, nouis illa augere & ſplendidiora efficere. Elapſis poſtea paucis annis, Rex Chriſtianus 1559.
longo morbo paulatim conſumtus, & ex his ærumnis *Calend.*
ac laboribus (vt illi per ſomnium indicatum erat) ad *Ianuar.*
ſemper manſuram patriam & iucundam requiem, obita morte translatus eſt. Continuo Regni habenas Fridericus II. Chriſtiani III. filius, a patre ſucceſſor deſignatus, ſuſcepit. Contigit autem, vt eodem tempore, Dux Adolphus ex cupiditate honeſtæ vindictæ, clam contra Dithmarſos exercitum conſcriberet, illorum enim terra ſæpius veſtrorum Ducum ac nobilium & popularium ſanguine tincta eſt. Ex quo tempore veſtrates cupiditate ardebant, redintegratis viribus, clades fatales a maioribus ſuis, ſed non ſine forti

ac virili repugnantia, in Dithmarſia acceptas, nouis partis victoriis reſarciendi, iuſtamq; ſumendi de crudelibus hoſtibus vindictam: adeo vt omni contemta belli diſciplina, ſoli cauſæ confiſi & iuſtæ vindictæ, ſe ipſi in paluſtres voragines incautius aliquoties demiſerint: vbi iniquitate loci circumuenti, & magna cum patriæ calamitate oppreſſi, ingens ſui deſiderium luctumque ſuis reliquerunt. Adolphus igitur Dithmarſos priuatis viribus aggredi feſtinabat, vt hinc maiorem nominis claritatem ſibi compararet, & fines ſuos dilataret, perſuaſus ſeu opinans, Fridericum fratris filium, mœrore ex morte patris, ac rebus regni conſtituendis occupatum, facile hoc ſibi, præſertim armato, conceſſurum. Id tu ſtatim exactæ prudentiæ ſenex olfaciens, adhibito Andrea de Barbii, Epiſcopo Lubecenſi, & filio tuo Henrico (tunc temporis Friderici in Ducatibus vicario) ne ſimultas ac ſiniſtra ſuſpicio inter conſanguineos oriretur, in iſtum ſtatum rem perduxiſti: vt ab tribus Principibus publico decreto, ſumtuque communi, bellum, contra ſempiternos & auitos hoſtes, coniunctim gerendum, & ſic maiorum oſſibus inſepultis parentandum eſſe, concluſum ſit. Prius rebus neceſſariis, quãtum in tanta feſtinatione fieri potuit, ad id comparatis, Fridericus Rex, & Principes patrui, die conſtituta, cum ſuis, nempe quatuor legionibus peditum, & tribus millibus Equitum, in vnum locum conuenerunt: ac te vnum inuictæ virtutis, belli iſtius ducem delegerunt, ſperantes fortunam, vt fœminam, factis generoſis olim tibi deuinctam, ſemper vſque ad exitum vitæ morigeram fore. Quem honorem primo repudians, iam fere ſeptuagenarius, ętatis excuſatione adducta: tandem victus Principum precibus ac poſtulationibus ſuſcepiſti. Ingreſſus cum Principibus hoſtiles fines, ſemper eo animum intendiſti: vt iuueniles conatus Principum, qui inſita animis generoſitate incitati, cupiebant aſpera audacter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

aggredi,& pugnam impigre ciere, ſenili cunctatione
reprimeres:&quam celerrime poſſes,hoſtium in ma-
gnam longitudinem productas triplices foſſas ac mu-
nimenta, cum legionibus, captata prius temporis &
loci oportunitate,vt tranſcenderes: memorabileque
detrimentum, vbi ſeſe Dithmarſi ſecuros eſſe crede-
rent, illis inferres. Primo oppidum Meldorp, diuiſo
exercitu, tribus locis, vno tempore adortus, non ſine
vulneribus tuorum expugnaſti: ac interfectis multis
hoſtibus, cæteris fuſis fugatisque, ibidem, nempe in
medio Dithmarſiæ, ſecundum longitudinem, inter
Auſtrinum & Aquilonarem tractum; quem Incolæ
Suderſtrant & Nordtſtrant, lingua patria appellant,
(quibus duobus locis flos & robur militiæ Dithmar-
ſicæ habitat:) caſtra poſuiſti:ac ſic hoſtium copias,ne
coniungi poſſent,diremiſti & ſeparaſti.Deinde in Su-
derſtrandiam cum parte copiarum profectus es, reli-
quis copiis in caſtris & apud Principes manẽtibus,eo
conſilio, vt ſi forte reliqui Dithmarſi periclitantibus
Suderſtrandienſibus opem ferre vellent, illis obiici
poſſent. Hoc in loco maxima ſtrage edita, reliquam
multitudinem exercitu circumdatam,ſine vlla condi-
tione ſeſe dedere coegiſti. Eſtque illius pars in Holſa-
ticos carceres,vſque ad belli exitum abducta:pars Al-
bi trãsmiſſo alienis oris impoſita eſt. Tertio Heiidam
verſus,quę Dithmarſorum nobile emporiũ fuit, cum
principib.circa veſperam caſtra mouens,per noctem
cõtendiſti.Inde non procul ruſtici, adductis tormen-
tis,cum equitibus veſtris,ex longa nocturna ac diurna
profectione defeſſis, cunctantibus nonnihil tuis mi-
litibus,& diutius, quã par erat, in itinere hærentibus,
infeſtis ſignis audacter arma contulerunt. Ibi tum tui *1559.*
omnes Principes,primis in ordinibus hoſtes aggreſſi, *Prid. Ca-*
ſinguli ſpecimen virtutis ediderunt,& maioribus ſuis *lend. Iunii.*
fuſo ſanguine hoſtium litarunt. Dux Adolphus for-
titer pugnans, grauiter vulneratus eſt. Ab hoſtibus

tribus vicibus prælium redintegratum eſt, eo euentu, vt maxima pars illorum vitam, reliqui ſuperſtites, diu iactatam defenſamque libertatem, ac terram ipſam amiſerint: ac tu eo die tuos Principes Dithmarſiæ veros Duces effeceris. Ad eum modum bello confecto, non ſolum acutiſſimi Ducis nomen, qui nihil abſque ſummo conſilio ſuſciperet, ſed etiam humaniſſimi, tibi comparaſti. Si enim acerbe vindictam exercuiſſes: fraternus amor te excuſare potuiſſet. Vnum enim fratrem tuum Dithmarſi ante L I X. annos fortiter pugnantem interfecerunt. Sed a cruenta victoria hoc tali bello cur abhorreres, cauſæ fuerunt graues. Non enim eos e medio tollẽdos crudeliter iudicaſti: quos ſpes erat, fideles atq; obſequentes ſubditos, non refractarios & perduelles, deinceps futuros. Ac Principibus tuis, tum primum gubernationem capeſſentibus, clementiæ laudem honeſtiſſimam cum primis eſſe conciliandam, ſapienter ſtatuiſti. Vt & hoc, illorum maxime intereſſe, ſuperſtites conſeruari potius quibus dominarentur, quam ab habitatoribus, tum animoſis, atque ob id vſum ſui præſtituris aliquando, neceſſitate poſtulante, tum induſtriis, vacuam reddi prouinciam amplam, & agrorum fertilitate nulli cedentem. Quare contra multorum ſententiam, quingentos Dithmarſos, alioqui trucidandos, Friderico Rege in tuam ſententiam traducto, incolumes conſeruaſti, palam profeſſus, te humanum ducem belli eſſe, non carnificem. Orta deinde ſeditione inter legiones, inhiantes incolarum fortunis, & necdum his direptis diſcedere e finibus nolentes (cum tamen, vna SchoneWeſii legione excepta, parum vera virtute dignũ edidiſſent) tu reſtitutis parti Dithmarſorũ armis, legionibus diuerſa in loca ablegatis, tormentis abductis, at iuxta hæc diſpoſitis equitibus, vi & metu ad imperium tumultuantes redire, & ex prouinciis veſtris ſine maleficio pedẽ referre coegiſti. Hoc vltimo vir-

tutis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

tutis tuæ ſpecimine dextre edito, actum concludere, volubilemq; fortunam vlterius non periclitari conſiderate decreuiſti. Quapropter te iam fortunatum Senem appellare non dubito: cum virtuti tuæ fortuna coniuncta fuerit, cum in tempore manum a tabula ſemouere didiceris, ornatus omnibus muneribus, quibus vllus vnquam inter Cimbros tui ordinis atq; loci cohoneſtatus fuit: cũ tribus Regibus, Friderico I. Chriſtiano III. & Friderico II. diadema Regium vt impoſitum ſit, victrici manu tua, ſingulariq; prudentia Daniæ proceribus tecum ſentientibus nauiterque militantibus, ſecundum DEVM effeceris: cum deniq; exhauſtorum laborum tuorum iuſtam mercedem receperis: eaque nunc curis (niſi quæ de patriæ ſalute penitus animo inſident) laxatus, cum duobus filiis, ad patrios honores ex parte prouectis, cinctus magna nepotum ſummæ ſpei caterua, ſuauiter fruaris. Poſt multa non vulgaribus impenſis exſtructa ædificia: ex quibus vnum Bredenberga, cum munitiſſimis, aliud Bodtkampia, cum ornatiſſimis in tota Cimbria arcibus conferri queat. Hæc vero tibi nunc poſtrema cogitatio obſeruetur: cum tua arduis rebus hactenus inter mortales occupatiſſima anima, ex hoc ergaſtulo tandem liberata erit, & in cœtum beatorum, ad æternam cæleſtis vitæ atque gloriæ ſocietatem translata: quo modo corpus religioſis in monumentis maiorum, ad ſpem certiſſimam reſurrectionis, conſueta cum Pompa funebri, brachiis tuorum nepotum (qui te ſibi abſolutiſſimum virtutis exemplar ad imitandum proponere debebunt) deponi oporteat. Equidem opto, vt te in ſalutari pietatis ſtudio conſtanter perſeuerantem Regi, Principibus, patriæ, filiis, nepotibus, propinquis tuis omnibus, DEVS propitius incolumem diutiſſime conſeruet.

EPITAPHIVM IOHANNIS RANZOVII.

IOHANNI RANZOVIO; nobili Holſato, Equiti Aurato, qui poſt collatum balthei militaris decus, & perluſtratas remotiſſimarum gentium prouincias, quantum pacis, belliq; artibus adminiculantibus, omni contentione corporis atque animi eniti, & vtriuſque eximiis bonis conſequi potuit, tantum, proximo ſecundum pietatis cultum DEO exhibitum loco, vni Patriæ, eiuſque laudatiſſimis Principibus, Friderico I. Chriſtiano III. & Friderico II. Danorum ex ordine Regibus, huiusque patruis, Ioanni & Adolpho Holſatiæ Ducibus, ſtrenue impendit, feliciſſimo euentu, vt pote ſummus cum imperio iuſto Dux, exortis ſubinde bellis, deſtinatus, ſemper victor; qui nimirum præter captas deditasque vrbes atque arces, profligatos eiectosq; procul Cimbricis & Holſaticis finibus hoſtes, rebellium Dithmarſorum contuſam ac fractam armis contumaciam, patentibus in campis, diuerſis præliis octies ſuperatas hoſtiles acies, vel ab ipſius indulgentia, vel a fœda fuga vitam coegerit impetrare: illuſtri & fidei erga patriam, eiusq; Principes, & clementiæ erga victos gloria, qua ad fatalem maturæ ſenectutis horam, ſine fortunæ ludibrio, ſine vlla offenſione, excelluit; tandem domi ſuæ, ætatis veniam nactus, omnibus animi ſenſibus integris, in cariſſimæ coniugis, filiorum & nepotum complexu, æterno numini ſpiritum, a quo acceperat, firma in Chriſtum fide, & certa reſurrectionis ſpe confirmatus, reddidit: Henricus & Paulus filii, parenti mantiſſimo mœrentes poſuere. Oppetiit anno Domini M.D.LXV. Die XII. menſis Decembr. cum vixiſſet annos LXXIII. & menſem vnum.

HENRI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Effigies Pauli Ranzouii.



HENRICI ET PAVLI RANZOVIORVM FRATRVM

Epiſtola, ad ſereniſſimum Regem Daniæ Fridericum II. qua patris ſui obitum denuntiant.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

SERENISSIME, potentiſſime, Illuſtriſſimique generis Princeps, Rex clementiſſime. Fideliſſima obſequia noſtra, ſubiectione humilima promtiſſimoque ſtudio Regiæ Maieſtati tuæ cupide deferentes, eidem ſubmiſſe ſignificandum duximus, quo nũc præcipuo dolore angamur. DEVS, rerum omnium ſummus moderator, ex diuinæ ſuæ voluntatis decreto, noſtrum parentem Dn. Ioannem Ranzouium, Equitem auratum, diuturna corporis imbecillitate conflictatum, hodierni diei hora XII. meridiana, ex hac caduca & moleſtiarum pleniſſima vita, ad cœleſtis gaudii ac quietis ſocietatem euocauit, clementer miſertus animæ illius, hoc vnice deprecantis, fiducia meriti Filii, pro genere humano paſſi. Obdormiuit enim parens noſter admodum pie & patienter, ſubinde repetita inuocatione nominis diuini, & nullo cruciatuum ſenſu percepto. Quod nos in hoc ingenti & graui luctu non mediocriter conſolatur. Ceterum quæ parens noſter, dum ægrotus decumberet, ad Regiam tuam Maieſtatem, per eius Conſiliarios, Doctores, ac medicos referri petiit: ea procul dubio Regia tua Maieſtas iam pridem clementer cognouit. Quocirca quantum ad ea attinet, ſane acquieſcimus. Cum autem parens noſter Regię tuę Maieſtatis miniſter diu exſtiterit: ac interea nihil illi fuerit prius & antiquius, quam vt ſumma fide tueretur decus tum Regiæ Maieſtatis tuæ: tum maiorum huius: atque etiam commodis ſeruiret ſubditorum Regni & Principatuum: nõ dubitamus, illum deſiderium ſui tantum in animo Regio reliquiſſe, vt defunctum etiã honoratum cupiat Regia Maieſtas tua: nos vero ea gratia potituros, vt affici Regiã Maieſt. tuam nobis obiecto grauiſſimo mœrore intelligamus. Vtrumq; ſuo tempore teſtificandi nõ deerit opportunitas, cum funus parenti noſtro fiet. Id conſtitueramus nos quidem tempore conſueto efferre Itzehoã: quem locum ſe-

pulturæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

pulturæ ipſe ſibi delegit parẽs,& in tabulis teſtamen-ti deſcripſit. Verum infeſtum reddidit aliquãdiu hoc oppidum peſtis : ac necdum illa graſſari deſiit. Quo propoſito periculo, eos qui ad exſequias paterni fu-neris cohoneſtandas, præſentiam ſuam nobis nõ in-uiti eſſent accommodaturi , Itzehoam minime vo-candos putauimus : Quo ad igitur ſæuiet peſtilentia: in ędem ſacram Bredenbergenſem inferre mortuum parentem, ibique ſtatuere decreuimus : Iſthinc rur-ſus illum abducturi Itzehoam , cum placato Deo, a peſtilenti contagione periculum amplius non erit. Hoc vbi compertum habebimus : Regiæ Maieſtati tuæ mature denuntiaturi ſumus. Oramus autem,qua par eſt ſubmiſſione, Regiam Maieſtatem tuam : vt ad eum diem , quo iuſta paterno funeri Chriſtianorum ritu ſoluemus, Bredenbergam (: ſi per aliorum nego-tiorum occupationes licebit :) aduenire, & ſupremi illius diei celebritatem præſentia ſua honeſtare di-gnetur. Quod ſi vero impeditiones obſtabunt,quo minus illud fiat : hoc nos impetrare R. Maieſt. T. cle-mentiſſime patietur : vt, quos volet, legatos decer-nat, qui præſentes adſint, & funebribus peragendis vacent. Quæ eſt R. Maieſtat. T. clementia, eiuſque de noſtro parente honorifica exiſtimatio: hanc ſpem minime dubiam fouemus : locum alterutri petitioni noſtræ relictum iri. Hoc regium beneficium arbi-trabimur : & æque in nos, ac Patrem noſtrum beni-gniſſime collatum eſſe ducemus. Pollicemur quo-que,ſi paternorum obſequiorum excellentiam aſſe-quendi facultas non deſtituet: conatu diligentiæ in-ſeruiendi voluntati Reg. Maieſtatis tuæ,& præſtandi, pro noſtra virili, omne ſubmiſſæ obſeruantiæ offici-um, R. Maieſtati T. eſſe ſatisfacturos. Quod reſtat, R. Maieſtatis T. incolumitatem, dignitatem & for-tunas, Deo æterno communiter commendamus : ac abs Regia Maieſtate T. etiam, atq; etiam demiſſe pe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

timus: vt non minus nos, ac patrem noſtrum, clementiæ ſuæ fauore complectendos benigniſſime ſuſcipiat. Tua Regia Maieſtas bene feliciterque valeat. Bredenbergæ, die XII. menſis Decembris, Anno Chriſti Ieſu M. D. LXV.

Eodem Exemplo, mutatis mutandis, ad Holſatiæ Duces duos, literæ mittebantur.

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS D. ADOLPHI, DVcis Sleſuici & Holſatiæ, &c. Reſponſio,

AD

HENRICVM ET PAVLVM Ranzouios fratres.

NOBILES ac fideles Conſiliarii, ſincere nobis dilecti: Redditæ nobis ſunt literæ, ex quibus, non ſine animi perturbatione perſpeximus, obitum parentis veſtri: cuius animæ DEVS æternus beatam requiem clementer concedat. Recrearunt vero nos literæ eædem, hoc cognito, quod pater veſter pie & tranquille, in religioſa confeſſione ac pia deuotione ad Deum, obdormiuerit: atque ita ex hac miſera & ærumnoſa vita ſubductus, ad cœleſtem cum DEO conſuetudinem ſit tranſlatus. Ad eum modum cum ſentire de conditione defunctorum, veritatem religionis in dubium haud reuocantes, oporteat: conceptum morte noſtrorum luctum moderari æquum fuerit. Secus facientes voluntati diuinæ refragari videbuntur; & exaſperabunt ſibi ipſis dolorem, pietati qui-

ti quidem debitum : ſed nimium ei indulgentibus non ſolum grauem & noxium, verum etiam irritum, atque ingratum omnino ei, cuius eſt melior reddita fortuna, mortalium moleſtiis cum ſuperum beata vita commutatis. Sane votis noſtris ſatisfactum fuiſſet, ſi (: miſericorde Deo ſic volente:) ad plures annos, noſtro noſtrarumque ditionum commodo & emolumento, parenti veſtro vita fuiſſet prorogata. Nam viros graues iudicioque valentes, & longo rerum vſu edoctos, ac rebus geſtis claros, concedi atque ſeruari diuinitus, magni refert : & ad populorum diuturnam felicitatem plurimum affert momenti. Cum autem Deo viſum fuerit, Parentem veſtrum diem obire vltimum : exſequiis illius, ad quas inuitamur, intereſſe non recuſamus. Eſt enim hoc humanitatis officium per ſe, & non grauate exhibendum. Præterea gratificationem hac in parte noſtram, teſtatam eſſe, tum parenti, tum etiam vobis filiis cupimus. Eſt enim parentis veſtri fides a teneris annis nobis perſpecta & explorata : quam parenti ac fratri noſtro, Daniæ Regibus, piiſſimæ ac illuſtriſſimæ memoriæ, & nobis etiam ſingulariter, nec non hiſce ducatibus, regionibus ac incolis, ſeruitiorum honeſtorum & gratorum atque vtilium frequentia luculēter probauit. Veſtrum erit, nos de tempore ſepulturæ certiores facere. Hoc enim cognito, operam dabimus, vt ad ceremonias funeris cohoneſtandas, vel ipſi præſentes adſimus : vel occupationibus neceſſariis impediti, Conſiliarios noſtros cum mandatis ad vos mittamus, qui noſtro loco funus proſequantur. Hoc ne vos lateret, ad veſtras reſpondere ſcripto præſenti voluimus, de beneuolentia ac fauore ſingulari erga vos nihil remiſſuri. Ex arce noſtra Gottorpia.

15. Decemb. Anno, &c.

LXV.

ADAMVS TRAZIGER I. V. D. ET CANCELLArius Holſatiæ.

HENRICO RANZOVIO Vicario Regio. S. D.

REVERSVS Bredenberga Medicus aulicus Petrus Bučtanus ad Illuſtriſſimum Principem Adolphum, Dominum meum clementiſſimum: Magnifice & Nobiliſſ. Vicarie Regie, Domine & amice colende; vita functum eſſe Parentem tuum chariſſimum, virum incomparabilem, & de patria optime meritum, dolens retulit. Quo ſane nuntio perculſus eſt Illuſtriſſimus, & perturbati ſumus alii, qui aderamus tunc ſuæ Celſitudini. Aliquantum Princeps cum ſe recollegiſſet, ex Medico percũctatus eſt, proximis diebus, qui mortem anteceſſerunt, quo ſe modo affectum declaraſſet, & quibus ſermonibus, quaque de re, potiſſimum fuiſſet vſus Parens tuus. Multa commemorantem Medicum magna attentione audiebat Princeps: & ad interpellationem frequentem delapſus, exquirebat diligenter de ſingulis tum interrogationibus, tum reſponſionibus mutuis veſtris. Cumprimis vero totus eſt viſus Princeps defixus audiendo & verſando animo ſuo colloquium, q̃ repetebat Medicus, multis vna mecum magno ſilentio & admiratione circũſtantibus: quod expromtam eius memoriam illa ſua cœpta commemoratione oſtenſam, ſatis arguere iudicaremus omnes, inter Patrem ex morbo decumbentem & filium aſſidentem collatos ſermones, maximam audiendi auiditatem præſentibus antea quoque commouiſſe. Dies, inquit

Medicus

Medicus, alter fuit ab eo, qui poſtea fatalis illuxit Domino Ioanni Ranzouio, quum variis de rebus & publicis & priuatis, ſermone bene longo habito prudēter, vterq; poſtea aliquantiſper conticuit. Filius Henricus, compoſito ad mœſtitiam vultu, ſuſpirabat interim ſæpius. Aduertit hoc pater: & intuitus filium, Quid, ait, Henrice, ſibi volunt crebra tua ſuſpiria: & quæ cauſa eſt eius, quam præ te fers triſtitiæ? Ad hæc ſubiecit Henricus: Egone continere gemitus dilectiſſime, mi Pater, & diſſimulare mœrorem animo conceptum queam, aſpiciens virium tuarum externā infirmitatem, & cogitans hanc quæ tandem ſint conſecutura? Iterum Pater: Excute pectore tuo, mi fili, ægritudinem, quę te excruciat. Fuit enim nobis domeſticus vſus & conſuetudo atq; vitæ communio, in annos XL. propagata. Tam longi temporis conuictionem, an magne æſtimandam cenſes? Rariſſime profecto euenit; vel te ipſo teſte: vt vita patris & filii communiter acta, ad id ſpatium ætatis quadragenarię, hoc noſtro ſeculo producatur. Non itaq; te dedes angoribus & curis conficies: ſed DEUM precaberis, vt tibi liberisq; tuis vitæ communitatem æque diuturnam largiatur: ac animo forti ſuperabis dolorem quem tibi creaturam ſignificas mortem meam. Nam ea conditione natus ſum, vt euocante me ex hac mortali vita, ad cœleſtem & æternam propitio Deo, eius voluntati repugnandum non ſit nobis: vel mihi ſingulariter extimeſcenda mors, quam multo ante periculoſiſſimis caſibus contemnere didici: & naturæ, perdita valetudine, debitam, pro patria potiſſimum honeſtā, oppetere, integris exſiſtentibus etiamnum corporis viribus, nunquam dubitaui. Vt diem excipit nox: Ita vitam aſſectatur tandem mors, beatioris vitæ initium præbēs. Hanc ego mihi a miſericordia diuina, in qua ſola eſt collocata omnis fiducia mea, certo polliceor: & hanc votis ardentiſſimis vnice expeto, cogitationi-

bus terrenis iam penit' ex animo meo deletis, & meditationibus ſanctis de adipiſcenda æterna iucundiſſimaque cum cœleſtium cœtu conſuetudine, tantum occupato animo meo; quem quo citius ſuſcipiet clementer DEVS, hoc felicius mecum agetur. Hac oratione ex ore Medici audita, Princeps ſuo teſtimonio comprobabat; pauciſſimis parentibus & liberis contingere coniunctionem & conuictum annorum XL. Affirmabant idem nonnulli ex familiaribus, qui Principi erant a latere. Ego, inquit Illuſtriſſimus, meam mihi in mentem reuoco fortunam. Vix annum ętatis VIII. egreſſus fui; cum meus deſiit in viuis eſſe clementiſſimus & dilectiſſimus dominus Pater. Hęc excepta ex relatione Medici aulæ noſtræ, quemadmodum accepi, perſcribo: vt intelligas, ſic me ſentire; ad conſolationem ſatis futura illa mihi, tuo loco conſtituto. Peculiari itaque conſolatione ad te inſtituenda ſuperſedendum exiſtimaui; quem iam ante fuerat efficienter conſolatus parens ipſe, in extremo ſuæ vitæ articulo: & quem ego eum cognouiſſem, vt quod prudentiæ & fortudini tuæ diffiderem, potius ſuſpectum me fore metuerim, ſi partes in me ſuſcepiſſem te conſolandi, quã has vſurpando, egregiam fructuoſamq; operam nauare me poſſe crediderim. Conſolatione itaq; miſſa, quam depromere ex te ipſo potes efficaciſſimam; mihi hoc ſaltem mouendum ſumo, in quo non a me diſſenties; Deum Opt. Max. voluiſſe hunc parenti tuo, viro rebus geſtis clariſſimo, finem eſſe laborum; Te vero iam vt heredem fortunarum ampliſſimarum: ita ſucceſſorem in obeundis porro iis, quæ patriæ commodo & honori cedere poterũt, eſſe relictum. Succeſſoris vices ſi, vt par eſt, expleueris, quod quidem futurum mecum ſperant boni, & optimi clariſſimiq; patres, & pariter filii, ipſum nõ minus virtute & conſiliorum dexteritate, quam ſimilitudine corporis, proxime referentis, nomen atq; me-

moria

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

moria conſeruabitur, & poſteritati literis atque monumentis mandabitur. Bene vale, vt ætatem patris longe ſuperare valeas. Data Sleſuico, per nuntium eundem, qui ad te Illuſtriſſimi mandato, cum literis ſuæ Celſitudinis mittitur. XVI. Decembr. Anno M. D. LXV.

RESPONSIO ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS D. IOANNIS ſenioris, Ducis Sleſuici ac Holſatiæ, &c.

AD *HENRICVM ET PAVLVM* *Ranzouios fratres.*

NOBILES ac fideles nobis dilecti, literas veſtras accepimus, quibus nobis parentis veſtri Dn. Ioannis Ranzouii Equitis aurati obitus denuntiatur: ſignificaturq;, qua Chriſtiana deuotione & patientia, mortis agone ſuperato, deceſſerit: Ad hæc ſubmiſſe etiam petitur, vt tam in veſtrum, quam ipſius defuncti honorem, futuris exſequiis intereſſe dignemur. Ad mortem patris quod attinet: perculit de ea nuntius non leuiter animum noſtrum: ob affectionem & beneuolentiam ſingularem, qua parentem veſtrum, ſenem & benemeritum ſubditum, complexi ſumus. Atque hoc quidem moleſtum eſt, vita eum exceſſiſſe: quod magno vſui patriæ in poſterum eſſe potuiſſet. Quam etiá ob cauſam exoptaturi eramus: ſi proficere aliquid votis, atque ad eá Deum facilem polliceri nobis poſſemus: Patrem veſtrum ætate (:qua alioqui, Dei beneficio, ſeptuagenario maior euaſit:) prouectiorem, complures adhuc annos, inter homi-

nes degere. Quod autem in vno vero Deo cogitationibus ſuis defixis, placide vitã finiuit pater: efficacem vobis præſtat conſolationem: quos propter innatum amorem erga parentem, huius interitus ſingulariter excruciat. Accedit, quod naturę deprauatæ debitum, vt Dei iuſtitiæ ſatisfiat, perſoluẽdum eſt ſemel omnibus, immutabili prorſus lege: vt vel ideo ſuperuacaneum ſit, atque etiam alienum inſtituto patrio, grauiter vos cõmoueri morte patris, qui reformidare eam, dum viueret, nunquam eſt animaduerſus: & vos genuit non minus animi fortitudine pares, quam habitu corporis ſibi ſimiles. Sed præter ſuperiores rationes, triſtitiam omnẽ relaxandam, in primis hac conſideratione putabitis: quod in terris, ſi non ſpiritu, at virtutis laude etiamnum viuat pater, exemplum præbens ex ſe præclarum, quod vos & alios imitãdo conſectari oporteat: cœleſtem vero vitam illum eſſe adeptum, teſtentur piæ ad filium Dei effuſæ preces, & conſtantia fiduciæ, de æterna beatitudine ex miſericordia conſequenda. Quam beatitudinem nobis etiam, confecto hic vitæ curriculo, Deus omnipotens clementer largiri velit. De cetero promittimus certo, ſi rerum noſtrarum conditio ita vllo modo feret, & tempus nobis mature ſignificabitur, quo funus ad deputatum locum deduci debebit: nos exſequias paterni funeris noſtra præſentia ornaturos: vel ſaltem, aliis præter ſpem ac opinionẽ impedimentis obſtantibus, aliquot noſtrorum cõſiliariorum, qui loco noſtro ſint, & funus comitentur, in teſtimonium beneuolentiæ, qua patrem & vos proſequimur, miſſuros. Id vobis clementer ſignificandum exiſtimauimus: erga quos priſtinam animi propenſionem & gratiã noſtram conſeruabimus. Datum in arce noſtra Hanſeburgo, Calen. Ianuarii, Anno LXV.

RESPON-

RESPONSIO SERENISSIMI REGIS DANIÆ, &c. Dn. Friderici II.

AD

HENRICVM ET PAVLVM *Ranzouios fratres.*

NObiles ac fideles Conſiliarii, ſincere nobis dilecti, ex literis veſtris Bredenbergæ x i i. Decemb. datis, de Patris veſtri Ioannis Ranzouii, Equitis aurati morte accepimus. Quo nos nuntio varie ſumus commoti. Nam magnam ornamentorum ſuorum iacturam fecerunt ditiones noſtræ, tanti viri obitu: & incidit hic in tempus alieniſſimũ, quo regnum noſtrum graui bello conflictatur. Quamuis autem ægerrime ferimus, nobis hoc viro eſſe carendum: voluntati tamen benigniſſimi Dei repugnandũ non eſt: qui cum ſatis diu ille & naturæ vixerit, & glorię, diuina ſua miſericordia dignatum, cœtui cœleſtium modo aggregandum ſtatuerit. Vobis etiam præcipuas eſſe cauſas, eaſque graues dolendi atq; mœrendi, non negamus: quod patre orbati eſtis, qui ea fuit virtutis & dignitatis excellentia præditus, vt huius nõ exiguam partem ex ſe deriuaret in vos exornandos. Quin luctu domeſtico hoc veſtro affici nos fatemur. Sed noſtro exemplo acquieſcetis in conſilio diuino : & egregia animi firmitate, angoribus & curis reſiſtetis. Qua ſemper regia gratia proſecuti ſumus parentem veſtrum, propter præclara eius in noſtrum auum, patrem & nos merita: quæ eximia fuiſſe ingenue agnoſcimus: eandem a nobis gratiam vos quoque exſpectabitis: quos non dubitabimus conſilia ſua ad commodũ noſtrum

noſtrorumque fideliter relaturos: & quoties flagitabit neceſſitas, ſtrenuam operam ſuam nobis promtiſſime nauaturos. Adiunximus hiſce Epiſtolam, in qua Conſiliariis & Præfectis noſtris, Petro Ranzouio & Ioſiæ a Qualen clementiſſime mandauimus, vt exſequiis parentis veſtri, cum in Itzehoenſi oppido noſtro ſepulturæ tradetur, ad petitionem veſtram, noſtro nomine interſint. Ea enim eſt erga talem virum beneuolentia noſtra: vt ſi maiore eum honore afficere poſſemus: hunc ipſi vltro libenterque eſſemus exhibituri. Ceterum cum tecum, Henrice Ranzoui, de negotiis quibuſdam, quæ celeriter confici, noſtra permagni intereſt, ſit nobis colloquendum: clementer petimus, vt primo quoq; tempore, & ſimulac funus parentis in ædem Bredenbergicam a te illatum fuerit, ad nos venias. Stephanum enim Loitzen, de mutuanda ſumma pecuniæ, pro qua te fidem interponere volumus, ad nos accerſiuimus. Hac in re, quemadmodum clementer confidimus, nobis gratificaberis. Hoc viciſſim ſolita ac beneuola animi propenſione promerebimur. Datum in arce noſtra Scanderborch, xx. Ianuarii, Anno &c. LXVI.

IOACHIMVS HINCKIVS, DECANVS BREMENSIS, ad *HENRICVM RANZOVIVM.*

NObilis ac magnifice Præſes, amice cariſſime, multorum ſermone apud nos percrebuit: parentem tuum virum præſtantiſſimum ex hac vita deceſſiſſe.

Quanquam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Quanquam autem obitus eius, vt Domini ac amici mei, cuius beneuolentia mihi perſæpe fuit probata, mihi peracerbus exſtiterit: Tamen rurſus me conſolatur, quod domi ſuæ, apud cariſſimam coniugem atque liberos dilectiſſimos, in pia deuotione, animi ſenſibus integris, vitam tranquillo fine clauſerit. Quocirca tanto minus etiam te ac tuos conqueri, quin potius Deo gratias agere decebit: quod parentem tuum, non ſolum in hac vita, vera cognitione ac amore verbi diuini, prudentia, fortitudine, honore, felicitate, fortunis abunde, & longe vltra communem hominum ſortem, ornauerit atque dotauerit: ſed etiam vſque ad vitæ finem, in hac felicitate eum conſtanter conſeruauerit, & tandem ad maturam prouectum ſenectutem ad ſe tranſtulerit. Quid ipſi prius vel potius a Deo immortali optandum fuit? aut quo pacto ſatis digna gratia, pro hoc beneficio, Deo a liberis referri poteſt? In omnibus Græcis, Latinis, ac Germanicis hiſtoriis, huiuſmodi continuationem atq; conſtantiam obſecundantis fortunæ, cum tam præclaro ac felici exitu, in viro vno, raro inuenies. Ideoq; poeta inquit,

Dicique beatus ante obitum nemo ſupremaque funera debet.

Notum enim Poetæ fuit: Heroum ac inſignium virorum felicitatem vix perpetuo ſibi conſtare ſolere. Cum itaque tumetipſe hanc beatitudinem in parente tuo perſpexeris: omnem luctum ac mœrorem, quem ipſius deceſſus tibi commouit, merito abiicies: ne iram Dei, vitæ terminum circumſcribentis, in te concites. Vale. Brema, 25. Ianuarii, Anno &c. LXVI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

EPISTOLA IOANNIS DE LIGNE, COMITIS ARNSburgenſis, Baronis in Barbaſan, Siebenburgen, gubernatoris Friſiæ, Caroli Quinti Imperatoris, &c. piiſſimæ memoriæ mandato:

AD

HENRICVM RANZOVIVM.

NObilis ac magnifice vir, amice inprimis dilecte, traditæ nobis ſunt literæ tuæ, ex quibus inter cetera obitum parentis tui cariſſimi, cuius animæ Deus omnipotens, ſempiternam quietem largiatur, perinuiti cognouimus. Sane non parum hoc caſu vna tecum afficimur. Cum autem diuinæ voluntati nemo repugnare, vel etiam ipſius decretum effugere queat: Et nos omnes, hoc ceu vnico medio intercedente, ad vitam æternam gradum faciamus: proculdubio, mortem patris, pro tua prudentia, toleranter feres: & ſpe fretus, Deum ſucceſſu felici aliarum rerum, obortam moleſtiam alleuaturum, atque etiam penitus diſcuſſurum. Quod fieri, & te bene valere, exopto. Datum Bruxellis, 21. Iunii. Anno Chriſti

LXVI.

DE SE-

DE SEPVLTVRA ET EXEQVIIS FVNEBRIBVS IOANNIS Ranzouii, appendix, per Chriſtophorum Kellinghauſen Hamburgenſem perſcripta.

CVm de præclariſſimi herois,tum illuſtri vitæ curriculo,rebuſq; fortiter geſtis,tum placida & beata ex hac mundi colluuie emigratione, pauca ſuperius commemorata ſint: id vnum te,humaniſſime Lector deſiderare amplius poſſe exiſtimaui, quod diſerte illic explicatum non erat, qua is funeris pompa & honore ad ſepulturam elatus,quoq; ſplendore & magnificentia iuſta ei facta eſſent. De qua re, quoniam ea quoque, vt reliqua,honorificentiſſima ipſi merito contigerunt,quam potero,paucis dicam. Nam cum annis iam tribus ſeptuagenario prouectior, & ipſo prægrauantis ætatis ſenio debilitatus, & lenta morbi diuturni tabe confectus, integris plane vniuerſis & immotis animi ſenſibus,de ærumnoſa hac vita, obitu ſane perquam tranquillo & pio,diſcederet: inter cetera plurima,quæ prudenter pieq; admodum & munifice,ſe fatis functo peragenda teſtatus conſtituit:& illud filiis,quos omnino duos paternæ virtutis & gloriæ æmulos reliquit, præceperat: vt ſe poſt mortem illatum maiorum ſepulcro, quo & pater & auus, & proauus & abauus conditi quietem ſanctam in Domino agerent, in oppido propinquo Itzehoa tumularent. Quia vero graſſabatur tunc eo in oppido vehementer peſtis(vt & in aliis pleriſque Germanię locis & oppidis) qua multi indies mortem obirent: ne propinquos ſuos, gentiles & amicos ad honeſtãdum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

funus eum in locum accerſerent, quem iuſto metu propter vitæ periculum adire omnes formidare poterant; tamdiu id differre, ſeque in ædem proximam deponere, quoad peſtilens cõtagio illic ſerpere & ſæuire omnino deſiiſſet, iuſſerat. Quod ſupremum dulciſſimi parentis mandatum, vt ei poſt obitum quoq; morẽ gererent, quem viuentem amore ſummo complexi, mira cum pietate & obſeruantia obſequentiſſime ſemper coluiſſent, fideliter quoq; & ſolerter ſunt exſecuti filii. Exemtis enim inteſtinis, arculaque ex plumbo ſeorſum conditis, exenteratum primo cadauer opobalſamoque inunctum, & fragrantibus aromatis, molli interſperſo Anglici fili tomento, effartum: deinde Sarcophago itẽ plumbeo, quernis hunc cingentibus tabulis, compoſitum, in æde parœciali pagi Bredenbergæ (:quam collapſam ipſe olim reſtituerat, & donariis elegantique exædificata turri, pio liberaliq; animo exornauerat:) lateritia exſtructa domuncula depoſuerunt. Vbi cum in tertium iam menſem ſupra annum conſtitiſſet, miteſcente magis magisque in oppido lue, ad Principes & ciuitates finitimas, ad agnatos, neceſſarios & amicos, literas dederunt: vt in colliculum imminentem oppido prid. Calendas Martias conuenire, & deductioni funeris intereſſe vellent. Quo adueniente tempore, alter filiorum maior natu Henricus Ranzouius, Regius Holſatię Vicarius (nam Paulus iunior frater, cum Illuſtriſſimo Principe Adolpho ad obſidionem arcis Gothæ profectus, ex neceſſaria ea cauſa parentalibus adeſſe non poterat) cum familiaribus nonnullis biduo ante ad templum ſeſe conferẽs, vbi in ædicula clauſum funus cuſtodiebatur, ea effracta, poſt habitam funebrẽ ab eius ædis presbytero Nicolao Winterbergio orationem, cum per feneſtellam ſtanneam, quæ eum ad vſum in loculo erat, faciem defuncti cariſſimi parentis, deſiderio etiamnum nimio vix lacrymis tempe-

rans

rans ſupremum contuitus eſſet, & aliquot eius imagunculas ex argento conflato inauratas inieciſſet: id ſerici villoſi atro intectum velamine, & arcæ impoſitum, in caſtrum ſuum Bredenbergam ſecum auexit. Ibi, præcedentibus cum faculis nepotibus, & honorifica inſequente pompa, illatum in cubiculum, pullo vndique panno inſtratum velatumque, accenſis circum funalibus, in pheretro collocauit. Huc poſtridie eius diei Eberhardus ab Holle, Lubecenſium & Verdenſium præſul, & Henrici affinis, vir ſpectabilis, eoque honoris faſtigio longe digniſſimus, cum honeſto & mediocri comitatu aduenit: aliique item nonnulli nobiles viri: vt funeri efferendo intereſſent: qui honorifice omnes excepti & tractati ſplendide, noctem ibi vnam cum ſuis egerunt. Inſequenti die, qui exequiis præfinitus calendas Martias antecedebat, elatum cubiculo funus, in vehiculum idem, quo fuerat aduectum, pullo integumento obductum collocauerunt: & aliis nonnullis pone legentibus eius veſtigia curribus, quibus mœſtiſſima coniunx, nurusq; geminæ, cum numeroſa & pulcra nepotum neptiumque ſobole, & agnatę quædam fœminæ vehebantur, ſatellitibus ſtipatum vndiquaque circumcurſantibus, ita in oppidum inducitur. Interea Henricus Ranzouius, cum antiſtite, & quibuſdam agnatione proximioribus, amplaque miniſtrorum familia, lugubri omnes habitu, pullis ex ſyndone peplis a pileis in terga defluentibus, ephippiisque equorum atratis ſtragulis opertis, in collem oppido propinquum contenderunt: quo Principum ciuitatumq; Legati, propinqui, gentiles & amici, præclari omnes & nobiles viri, magno numero confluxerant. Quibus in corona circumſiſtentibus, Henricus illuſtri & facunda oratione ampliſſime gratias egit: quod in locum illum ad diem dictum rogati promte acceſſiſſent: vtq; ad reliqua exequialis eius honoris & celebritatis ſolemnia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

peragenda, ſupremam & piam paternis manibus ſecum operam præſtare, & iis finitis epulo funebri intereſſe non grauarentur, perhumaniter perq; amanter rogauit. Inde ternis ſimul binisve iunctim equitantibus, compoſito decenter ordine, currum, quo funus deferebatur, conſectati, longo agmine (nam trecenti ferme erant, qui equis vehebantur) lentoq; & moderato equorum gradu, ſenſim & magnifice oppido adequitarunt. Quod ingreſſi, vbi in ædes atratas, vndique & funalibus collucentes (quas magnificus heros peramplas ſibi & ſplendidas olim exſtruxerat) funus depoſuiſſent, in hoſpitia per oppidum plerique dilapſi ſunt, vt equis in ſtabula traditis, ſinguli ad cohoneſtandam funeris pompam redirent. Sub idem præterea tempus, curribus frequentibus, quorum ſupra quinquaginta fuiſſe conſtat: ingens fœminarum virginumque nobilium turba aduecta eſt: quę cunctæ pro regionis more, vt funus comitarentur, candidis lineis velamentis capita obuolutæ, quæ inde per ſcapulas vtrasq; licenter errantia dependebant, ſeſe perornauerant. Earum complures ad defuncti Equitis cõiugem Annam, ex vetuſta & clara Walſtorpiorum gente, prudentiſſimam honoratiſſimamque fœminam, ſeſe conferentes, quæ iiſdem in ædibus ad funus viri mœſta atq; adeo exanimata fere luctu morabatur, largifluis opplentibus vultum lachrymis, & ingenti animi dolore intercipiente Spiritũ, eam verbis amanter & diligenter conſolatæ ſunt. Quæ dum fierent interim æreæ campanæ in ædibus ſacris, cum in oppido, tum in vicinis circumquaque pagis parœcialibus, nuſpiam ceſſabant: quibus & oppidũ ipſum, & omnis circum vicinia late perſonuit, Cæterum vbi efferendo funeri deſtinata aduenit hora, illud ſerico villo ſonigro obductum, ſeni eiuſdem gentis & ſtemmatis, præſtantes omnes animis & viribus nobiles viri, ſuccollantes in humeros pheretro, ſuſtulerunt,

&lento

& lento grauique inceſſu, dum ſubinde ob nimium plumbei ligneique loculi pondus, furcis perticisque tranſuerſo ſubiectis, ſubſiſtere cogerentur, in templũ eius oppidi primarium, Diuo Laurentio Martyri dicatum, deduxerunt, longo honoratiſſimoque & præcedentium & comitantium agmine. Imprimis ex ludo literario pueri de more antecedebant, lugubres cantiones vernacula latinaq; lingua alternatim decãtantes, quibus nunc gaudiũ, nunc triſtitiã auſcultantium animis infundebant. Eos verbi diuini myſtæ & interpretes in oppido, & pagis finitimis, inſequebantur: quib⁹ ſacratę ſupra quadraginta ex nobilitate virgines, eiuſdẽ cœnobii contigui tẽplo alumnę, candido omnes amictu (vt eius ſectę mos & inſtituta ferunt) ſuccedebãt, & ipſæ temperatis vocibus ſuauiter funere præcinentes. Hinc miniſtri vniuerſi Henrici, habitu obſcuro & triſti funalia manibus geſtantes, ingrediebantur: eorũ veſtigia calcabant nouẽ e duobus filiis nepotes, deducentibus præceptoribus, & ipſi cereos grandiuſculos, quib. conuerſa gentis Ranzouiæ inſignia (vt cæteris funalibus cunctis) appenſa ſpectabantur, funeri auito præferentes. Inde proxime ante loculum abſolutę nigredinis equus vnicolor, pullato terrã radente ſtragulo, a Vicarii regii puero ſeſſore ſegniter adigebatur. Sequebatur vero longe honeſtiſſimus illuſtriũ & ornatiſſimorum virorum comitatus, quibus vnus omnib⁹ habitus atratus & lugubris erat. In his nobiliſſimi grauiſſimiq, viri, legati Friderici II. Daniæ Regis, trium Holſatiæ Principum, Ioannis ſenioris atq; iunioris, & Adolphi: Reuerẽdus ampliſſimusq; Lubecenſium & Verdenſium Antiſtes, legati Comitis Schouuenburgii, ciuitatumq; Lubecenſium & Hamburgenſiũ, conſpiciebantur. Aderant ex gentilitia ſtirpe Ranzouiorũ prognati plures paucioresve triginta, viri prope omnes emeriti, & priſca rerum geſtarũ memoria florentes, & ætate canisq; decoris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

venerandi. Nam quos ex nobilitate omni Holſatica, florenti æuo integer adhuc & viuidus, ad pręclara virtutis præmia & ornamenta conſectanda capiendaq; ſanguis alebat: eorũ pars multo maxima, ad obſidionẽ arcis Gothæ, ab illuſtri magnanimoq; Duce Adolpho euocata, ſub pellibus & velis canabeis in caſtris excubabat. Quæ expeditio cũ in idem forte tempus incidiſſet, effecit, vt rariores virorũ nobilium, quam acceſſiſſent alioqui, pompæ huic exequiali intereſſent: cũ præterea cõplures quoq; in Dania Friderico Regi contra Suecum iam pridẽ militarent. Sed nobilium tamen eiuſdẽ ditionis numerus, qui funus ſectati ſunt, trecentos circiter nihilominus adęquauit. Poſt nobilitatẽ ſuccedebat oppidi ſenatus, ciuesq; honoratiores: quos ex pagis circumquaq; finitimis Coloni longo ordine inſequentes, agmen claudebant. Nec longe hinc intercedente interuallo, frequens elegantiſſimaq; fœminarũ nobilium ſpectabatur ſeries, quę & ipſæ, pro regionis more, habitu funebri, vt dictum eſt, pręcedentium virorum pompam comitabantur: easq; inter eminens, luctuq; & mœrore prope confecta, clariſſimi Equitis Coniunx, cum nuru vtraque, & neptibus pluribus omnium oculos in ſe vertebat. Vbi iam in cœmiterium ventum eſt, circuito ter de more templo funus intulerunt: idq; media in æde, ante ſuggeſtum, ex quo conciones ſacræ ad populũ haberi ſolent, ſub machinula lignea inſtar ædiculæ fabrefacta cancellataque, quę vndiquaq, defixis cereis collucentibus ardebat, conſtituerunt. Exinde finitis cantionibus vſitatis & ſolemnibus, orationẽ funebrem habuit eius ædis oppidique presbyter ſummus, D. Ioannes Vorſtius, quẽ Prępoſitum vulgo vocant, vir pietate & doctrina ſenioq; venerabilis. Qui dum peroraret, funus ex eo loco ſuccedentiũ nobilium humeris ſublatum, & ad latus auſtrale chori, prope clathros (quo loco maiores eius cõplures tumulati ſunt: vt & lapi-

des

des impoſiti, eorumq; inſcriptiones, & ara ab iiſdem inibi ſanctæ indiuiduæ Trinitati dicata, abūde teſtantur) in ſepulcrū arcuatum, quod pii gratiq; filii, cum in ſempiternam cariſſimi parentis memoriam, tum proprium & perpetuum familiæ ſuę monumentum, haud leuibus impenſis pulcerrimum ædificarant, depoſitum eſt. Id ſupra reliquam pauimēti ſuperficiem, tribus fere vlnis, gibbo de expolito leuigatoq; candido lapide porrecto, & vtrinq; redacta, altius aſſurgēs, cui inſignia gentis artificioſe eleganterq; inciſa, & coloribus diſtincta, quoquo verſus latera exornant, viuas ſuperne vtriusq; parentis quaſi recubantis imagines, niueo marmore affabre effictas, ſpectantibus oſtendit. Eodem quoq; loco paſſim Epitaphia & Elogia, lapidibus in columnas parietemq; immiſſis inciſa inſculptaque, de vitæ curſu rebusque geſtis, tam præſtantis & ſpectatiſſimi inclyta virtute viri, lectores erudiunt. At peractis rite & ſolemniter in æde ſacra cæremoniis cunctis, hinc ad conuiuium funebre diſceſſum eſt: quod magna lectiſſimorum conuiuarum frequentia, & ſplendore ac munificentia, vt tanti viri exequiis conueniebat, ſumma celebratum eſt. Æris quoq; plurimum in pauperes diſtributū, & larga aliis aliisque, & quæ pater moriens paſſim, & a ſe nuncupatis donari mandauerat, & quæ his filiorū inſuper adiecit liberalitas, munera præbita ſunt. Quibus per dies aliquot, vt mos eſt, agitatis, vniuerſi inde, poſt actas vtrinq; prolixe decenterq; gratias in ſua diſceſſerunt. Ita qui placide beateque de inſtabilis huius vitæ, quam omnem præclaram fortunatamque exegit, præſidio & ſtatione diſceſſerat: qui immortalem meritis illuſtribus vbique terrarum de ſe famam & gloriam excitauerat: qui ſpectata & ſempiterna egregię atque inuictæ virtutis monumēta poſteris moriens reliquerat: honeſtiſſimam quoque caduci atque emortui cadaueris ſepulturā, iuſtaq; & exequias ſe dignas,

hoc extremum honoris & officii defuncto parenti in mœrore & luctu maximo piiſſimis filiis tribuentibus, cumulate cōſecutus eſt. Quod equidem ipſum, ad reliquam eius in vita felicitatem, qua non ſine admiratione magna occulto quodam conſpirantiū ſiderum fauore ac conſenſu, vel potius effuſa atque conſtanti diuini numinis, rectiſſimam mētem gubernantis adiuuantisque, benignitate atque clementia, ad extremum vſque habitum perpetua vſus eſt, quaſi coronidem ſeu colophonem aptiſſime cōgruentem, acceſſiſſe arbitror: vt, qui in vita proſpera glorioſaque omnia habuiſſet, nec hoc extremo mortalibus præſtari ſolito honore ac munere careret. Etſi enim ſunt, qui ſepulturæ iacturam leuem ducant, quando ex quocunque terræ operculo, tantundem ad ſuperos itineris eſſe piis creditur: Et multi præſtantiſſimi viri, & æternis ob comprobatam factis virtutem laudum prȩconiis celebrati, vel in teterrimis carceribus ȩgritudine & ſqualore conſumti ſint: vel piſces in vndis obruti agitatiq; fluctibus pauerint: vel in puluere cænoq; patente ſub dio a vermibus feriſque immitibus laniati deuoratique ſint: aliisve indignis exſtincti ſuppliciis paſſim & miſere computruerint: ii tamen ipſi honeſtum poſt mortem ſepulcrum haud aſpernantur, quin, ſi contingat, ingens bonum: ſin denegetur a fortuna, leuiter ferendum eſſe ſtatuant. Omnes certe mortales, præſtantibus & magnis ingeniis præditi, illud potiſſimum in votis habēt: vt tranquillo & prȩclaro vitæ exitu diem ſuum extremum claudant, exemtique viuis tumulo, vti ſupremo corporis humani receptaculo, donatæque poſt exhauſtos vitæ labores quietis ſede, honeſte contegantur. Nam & ſanctiſſimos illos viros, quos antiquiſſimis ſeculis, ob ſummam vitæ innocentiam ac religionem, DEO percaros fuiſſe, ſacræ literæ teſtantur, iam morituros vel imprimis præcepiſſe poſteris ſuis legimus, vt obita morte

morte cadauera ſua ſepulcris, vel a ſeipſis, vel maioribus ſuis conſtructis, honorifice inferrent atque deponerent.

Effigies Danielis Ranzouii.



DIVERSO TEMPORE DIVERSA FATA,
ſub diſpari diuerſa fata tempore.

TEMPVS *idem non eſt: vario pro tempore fata*
Mutantur pluuiis; proxima ſole dies.

EPISTOLÆ NVNCIANTES OBITVM DANIELIS RANZOVII:

& Epitaphium eiuſdem, ab Henrico Ranzouio in Parochiali Eccleſia Weſtenſehæ poſitum.

PRÆMITTVNTVR MVTVÆ Danielis Ranzouii & Caroli Mornæi Suecorum primarii Ducis capti Epiſtolæ duæ, non multo ante, quam ſua Ranzouium fata excepe- runt, perſcriptæ.

DANIEL RANZOVIVS CAROLO MORNÆO, SVECORVM DVCI capto, S.

Retulit mihi Petrus Bilde, communis noſter amicus, te adhuc bene valere, & mei non ſolummodo non eſſe oblitum, ſed & quam optime de me ſentire & loqui. Quæ tua humanitas, mihi certe eo maiorem admirationem parit, quo me ſcio laudibus tuis minus parem: beneficiaq; mea in te collata, non tanti ponderis eſſe, vt exquiſita gratiarum actione indigeant. Quicquid ſit, quod in te profectum eſt: perſuaſum tibi eſſe velim, me tibi & amicũ, & ad omnes res, quæ ſincerum decent amicum, tibi promtiſſimum fore. Præterita hyeme, maximaque iſta tempeſtate exitioſa proceribus Sueciæ, ob Erici Regis crudelitatem, qua in eos horrendum in modum ſæuiit, te iſto periculoſo loco abfuiſſe, tibi æque ac mihi gratulor: Deique propitii hoc ſingulare beneficium agnoſco.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

agnoſco. Vterq; enim grauiſſima cura maximiſq; periculis eſt liberatus: Tu quidem, quod ex Regis tui libidine non es occiſus, dum apud nos captus eſſes: ego quod a te non fui impeditus, quo minus Sueciam libere ſim peruagatus: & difficilem atque decliuem illam, nec hactenus tritam viam, eundo redeundoq; ſuperauerim. Hæc mei erga te animi declarandi cauſa ſcribere placuit. Vale. Raptim Malmogiæ ex caſtris datum, Non. Iun Anno Chriſti, CIↃ IↃ LXIIX.

CAROLVS MORNÆVS DANIELI RANZOVIO, DANORVM EXERCITVS Duci S.

TVÆ mihi hodie redditæ ſunt literæ, vir præſtantiſſime, ex quibus, etiamſi tuam erga me humanitatem, & ſinceram beneuolentiam, ſatis perſpectam alias habuerim, te in priſtina, qua me fuiſti complexus, beneuolentia perſeuerare, intellexi. Eius tuæ in me voluntatis memoriam a me cognoſces conſeruari, quacunque me Deus conditione eſſe voluerit. Meos de te interdum habitos ſermones ad te referri potuiſſe, non putaui. Ego ſane ſaluo officio, nec debui nec potui prætermittere, quin ſæpe tui mentionem honeſtam facerem. Eſt enim viri flagitioſe improbi, cum beneficium acceperit, ſi alia ratione referre gratiam nequeat, neglecta illius beneficii commemoratione, turpem ingrati animi notam ſibi inurere. Gratularis tu quidem mihi e Suecia abſentiam. Id a te fieri animo mei ſtudioſiſſimo licet non dubitem: illa tamen gratulatione libentiſſime carerem. Eam enim DEI potentiam eſſe ſcio: vt non minus in

Suecia, quam hoc loco, vitæ periculum a me propulſare potuerit. Sed quandoquidem fata mea ſic ferunt, vt extra patriam mihi ſit vita degenda, in diuina eſt acquieſcendum voluntate. Interim tibi gratias ago, pro tua erga me ſinceræ voluntatis ſignificatione. Plura non addam. Tantum tibi ſum hortator ſedulus, vt ſymboli tui ſis memor: *Diuerſo tempore, diuerſa fata.* Subitas enim fortuna habet conuerſiones. Propterea elatis nemo debet confidere rebus. His te Deo commendo: optoque pacem componi inter Reges noſtros: vt mihi e captiuitate liberatio: tibi a bellicis moleſtiis, quibus diſtineris, leuatio obtingat. Vale: ex cuſtodia Collenburgica, Prid. Id. Iun. Anno CIϽ IϽ LXIIX.

DANIEL RANZOVIVS, DVX BELLI CONTRA SVECOS, AGNATO AC AMICO SVO INtimo Henrico Ranzouio, Vicario Regio, &c. S. D.

MVnera quot cuperem; ſi poſſet Epiſtola ferre
Hæc tibi, crede mihi, munera magna daret.
Crede mihi, quouis Crœſo tu ditior eſſes,
Et cultu regeres iugera multa ſoli.
Verum dum nequit hæc Arabum tibi promere Gazam,
Nec valet auriferi munera ferre Tagi.
Accipe quam mitto ſincera mente ſalutem:
Et donec ſpiras, ſis memor, oro, mei.
Si quid ego potero vitam præſtare per omnem
Quod tibi ſit gratum, diſpliceatq́ nihil:
In cunctis, facilem ſane experiere miniſtrum:
Tu iubeas tantum, quæ facienda putes.

Det

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Det D E V S, *ut liceat tranquillam ducere vitam,*
Ac animo promto fortia facta ſequi.
Huic te commendo, vt multos te ſeruet in annos.
Conatusq; regat ſemper, amice, tuos.
Viue, valeq; diu, precor, & reſcribe frequenter;
Scribere & vt poſſis, viue, valeque diu.

Raptim ex caſtris.

IOANNES DEI GRATIA, HÆRES NORWEGIÆ, DVX Sleſwici, Holſatiæ, &c.

Henrico Ranzouio Produci Cimbrico.

NObilis & fidelis, ſincere nobis dilecte: pro clementi noſtra in te affectiõe, fauſti ominis loco, ſignificamus, incruentam Warburgi deditionem Sereniſſimo Regi Daniæ, D. Cognato & Fratri noſtro Dilecto factam, cum quidem decem diebus ante præſes eius Boius Griphius glande ænea in vallo traiectus: & cuniculis actis, materia ignis, & aqua, omnique commeatu præreptis, ac plerisque armis, quibus ſe vlterius defendere poſſet, vt opinamur, corruptis, ſummas in anguſtias arx ipſa redacta fuiſſet: adituque omni occupato, militi præſidiario exitus, auxiliis introitus eſſet interclusus. Quibus conſideratis, ac ſermonibus vltro citroque habitis, Regiæ Maieſtati clauibus oblatis, arcem, cum reliquiis bellicorum inſtrumentorum & annonæ, ad 14. Nouemb. tradiderunt. Eam itaq; Rex ſtatim ingreſſus, ibidemq; pranſus, nouis præſidiis firmauit: conſiliumq; habuit, quo modo deinceps totum exercitum in Sueciam mitteret. Certis enim nuntiis acceperat, Suecũ cum omni ſuo milite vltra quintum miliare Warburgo non ab-

eſſe. Quid deinceps futurum ſit, videbimus: & occaſio ac tempus dabit. Hactenus læta. Nunc quoque triſtia accipe. In arcis enim obſidione (proh dolor) egregii duo Heroes, Daniel Ranzouius vir fortiſſimus, ac Franciſcus Brockenhuſius magnanimus, diem ſuum obiere, magno certe Regis cum incommodo, quem duobus illis fortiſſimis ductoribus, his præſertim turbis necdum ſedatis, deſtitui, inprimis dolendum eſt. Atq; hæc te ſcire beneuole voluimus, pleni exſpectatione certa nouarum rerum, quæ fuerunt aliunde ad te allatæ: Quem gratia noſtra complectimur. Dabantur Hansburgi, XXIII. Nouemb. Anno LXIX.

PAVLVS RANZOVIVS,

CONSILIARIVS D. ADOLPHI, DVCIS HOLSATIæ, &c.

HENRICO RANZOVIO, Vicario Regio Fratri.

NObiliſſime vir, Frater plurimum dilecte, pro fraterno meo in te amore, celare te non poſſum reditum pueri mei, qui propter captiuum Suecum, ad Regiam Maieſtatem ablegatus, hac veſpera, cum reſponſo Regio, cuius tibi copiam hiſce facio, hic rurſum appulit. Quoniam vero huius rei gratia tecum conferre ſermones pervelim; amanter peto, vt, quoad eius facere queas, ad nuptias Henrici Ranzouii huc te conferas: vt hac & aliis de cauſis pluribus colloqui poſſimus. Hoc mihi facies gratiſſimum: ac viciſſim Frater de Fratre bene mereri ſtudebo. Ad bellũ Suecicum quod attinet, te quoque eius ſtatum, ac fortiſſimorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ſimorum ducum obitum deplorandum ignorare nolim. Primum enim cum Gentilis & Cognatus noſter cariſſimus, Daniel Ranzouius p. m. feſto die Martini oppugnationem Warburgi adornaret præſens, adhibitis tormentis bellicis, vno impetu ſimul exonerandis omnibus, ipſeque iuxta ea ſtaret, obſeruaturus trans ſcopulum, qua fortuna diſploderentur; quam minima ſui parte proſpiciens, tormenti ictu, capite oculotenus comminuto, conficitur, & quidem fortuito, ac non niſi ſingulari DEI permiſſu. Neque enim quiſquam ex arce directo ad ipſum collimare potuit, quem loci oportunitas tegebat. Collapſum itaq; miniſtri ſuſceperunt, ac opobalſamo, aliisq; aromatibus, quæ adhiberi ſolent defunctis, inunctũ, turma Equitum comitati, Helſeburgum tranſtulere primum, deinde Hafniam, inde porro ad nos in Holſatiã ad maiorum monumẽta adducturi. Ita miſere periit Heros ille fortiſſimus, ac totius exercitus, Regnique, Regis etiam ipſius lacrymis cohoneſtatus, triſte ſui deſiderium in animis omnium bonorum reliquit. Et profecto nos ipſos, ſingulare familiæ noſtræ vniuerſæ columen ac decus: ex quo virtutem veram, belliq; laborem noſtri non modo liberi, ſed & omnes alii, quibus Mars vere cordi eſt, egregie diſcere potuiſſent (proh dolor) amiſiſſe, tute intelligis. Mortem autem ſuam præſagiiſſe ipſum puto ex his indiciis, quod paucis diebus ante teſtamento ſolenni omnia ſua diſpoſuit: quod inde ad extremum vſq; Spiritũ ardentius, quam vnquam antea, precatus eſt. Dux alter Franciſcus Brockenhuſius, arcem equo præteruectus de nocte, vt nonnulla exploraret, quorum ope ductuve potiretur arce: planta pedis, per globulum æneum ex longiori ſclopo a milite præſidiario expulſum, ac de ſaxo, cui incidebat, reſilientem, læſa, paucorum dierum ſpatio (quod membrum affectũ ſacer ignis edebat) itidem fato conceſſit: Cuius animæ Deus ſit propitius. Hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

poſt obitũ, toti etiam exercitui luctuoſiſſimum, He-
ſelburgium delatus eſt: vnde porro in Selandiam aui-
tis Maiorum ſuorum ſepulcris inferetur. Cęterum in
Ducem Exercitus electus eſt D. Chriſtophorus, Baro
de DunaW; In tribunum vero militum Ioſias a Qua-
len: qui primo quoq; tempore transferre exercitum
in Gothiam occidentalem, Suecis confinem & ſub-
iectam, a Regia Maieſtate iuſſi ſunt, tamdiu ipſam va-
ſtaturi, donec tribus millibus ſclopetariorum, & vna
equitum turma augeantur. Illos miſſurus eſt Elector
Saxoniæ, quorum iamiam aliqui præſentes erũt. Hos
nobilitas Schonica ſubornabit. Iſta auxilia vbi acce-
perint, in mandatis habent, vt in Sueciam vlterius ꝓ-
greſſi, hoſtem perſequãtur, fauſto vtinam diuini Nu-
minis auſpicio. Arx porro Warpurgẽſis, vbi pręfectus
eius Bouius Griphius, ænea pila traiectus fuit, a Sue-
cis dedita eſt, hac tamen conditione, vt pręſidiariis tu-
tis diſcedere liceret armatisq;. Qua inita dimiſſi ſunt
incolumes omnes: qui numerabantur: Suecus eques
nobilis, Georgius Leberſius, quingenti ruſtici Sueci,
ſexaginta Germani, inter quos triginta ſclopis fuere
inſtructi. Sueci, cum nobili ſuo, ad fines vſq; Sueciæ
a noſtris tuto deducti ſunt: Quos vbi attigiſſent, dila-
pſi fuere, ad ſuos quiſq; lares, ſolo nobili in finibus re-
licto, qui metu Regis ſui aliquot dies ibidem ſubſtitit.
A Germanis vero accepto iureiurãdo cautum eſt, ne
intra tres menſes contra Regem noſtrũ arma ſumant:
Quibus tandem exactis, liberũ ipſis ſit, vtrubi velint,
ſtipendia merere. In quod vbi conſenſere, reditus in
Germaniam conceſſus eſt. Intra arcem noſtri inuene-
runt mediocrem cõmeatus copiam, & tormenta bel-
lica reliqua, tria videlicet maiora, quas Cartaunas vo-
cant, quatuor ſerpentinas integras, & plura alia minu-
ta, vtpote dimidias ſerpentinas, columbrinas, Falco-
nes, aliaq; id genus, quinquaginta in vniuerſum fere
numero. Eius autẽ cuſtodia commendata eſt Hacko-

ni Hol-

ni Holgerſen, additis quatuor nobilibus, qui dicti Nicolaus Vngarus, Eberhardus Craſſius, Canutus Vlefeldius: quarti vero nomẽ puer meus ignorat: additaque eſt peditum germanorum cohors vna, cuius Dux Georgius a Sueinitz. Hi ſubinde locum magis muniunt, fiducia certa, fore, vt arcem ab hoſte Regi ſeruent. Equitum vero turma, cui Hacko Holgerſen prꝑfuit, inter Hallandiam & Schoningiam locata eſt, ad fines nimirum regni Suecici: vt ab iſtis locis arceat hoſtiles incurſus ac incendia, frequẽter hactenus tentata. Huiuſmodi rebus auſpicio regio hũc in modum cõſtitutis, Rex ipſe Fridericoburgum rediit: vbi nuntiatum, Regis Sueciæ Ioannis militem ad fauces cauæ ac anguſtæ illius vię, qua ex Dania in Sueciam iter eſt, hærere. Idem Rex per tubicinem literas miſit Helmſtadium, vnde ad Regem noſtræ delatæ ſunt ea veſpera, qua puer meus reſponſum regium accepit: in quibus de nouis tranſactionibus pacis ſolicitauit additis policitis, ſe quicquid hac de re decretum fuerit, ſancte inuiolateq;, dignitate ſua regia pignoris loco interpoſita, ſeruaturũ. Adiicio & illud: Eſt nobilis quidã cum Rege, Petrus LeWerſius, qui Admiralium egit in naui prætoria captiui Regis Erici. Is Ioanni ad regnũ euecto, & homagium exigenti, vna cum aliis ſeptem nobilibus, illud recuſauit, data impenſe opera, vt Regem Ericum ex vinculis liberatum, ſolio regio, vnde eſt deiectus, reſtituat: quod etiam iamiam aliqua ex parte molitus erat. Verũ hos conatus vbi Rex Ioannes cognouit, octo illos perſecutus eſt: ex quibus ſeptem captos, ſecuri percuſſit. Solus autem hic Petrus LeWerſius, naui conſcenſa quæſiuit ſalutem. Vbi vero e naui duo equitũ vexilla, ac ſeptem peditum, quæ ad perſequendum eum miſſa erant, in litore vidit: ſociis qui in naui ſimul erant, imploratis, ac ad litus expoſitis, inque aciem diſpoſitis, omnium hoſtium manum fudit: ac naui deinde repetita, in Daniam conceſſit ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Petrum Ochſium, inde ad Regem ipſum miſſus: cui ſe ſuamq; fidem iuramento humiliter obſtrinxit. Hæc omnia ipſe is LeWerſius puero meo narrauit. Hactenus noua. Cęterum quamuis non dubitem, Frater cariſſime, quin ad dictas nuptias, die ab hinc octauo hic Chilonii celebrandas, voceris: ſi tamen forte mea me fruſtretur exſpectatio, amanter peto, vt nihilominus tunc temporis præſentia tua mihi gratificeris, ac me in his aliisq; rebus pręcipuis, de quibus communi familiæ noſtrę deliberatione fuerit quid conſtituendũ, conſilio tuo iuues. Curabo etiam, vt captiuum Suecum ſimul videas. Hoc me fratrem maximo beneficio ad longe maiora tibi deuinxeris; Quem, cũ Chriſtina tua, ac ſuauiſſimis liberis, diuinæ tuitioni ego ac Beata mea commendamus, ac feliciſſima quæque ex animo precamur. Datæ Chilonii, 26. Nou. Anno 69.

HENRICVS RANZOVIVS AD DOMINVM IOACHIMVM HINCKIVM, DECAnum Bremenſem.

REDDITAE mihi hodie ex vrbe Lubeca ſunt literæ vir clariſſime, ex quibus primo ſumma cum lætitia percepi, arcem Warpurgam a Sereniſſimo Danorum Rege expugnatam, ac in deditionem redactam eſſe. Poſtquam autem paulo vlterius legendo progreſſus, nobilem ac fortiſſimum virum gentilem & amicum meum Danielem Ranzouium, copiarum Regis Daniæ contra Suecos primarium ductorem, in hoſtili oppugnatione eius arcis, vna cum cæteris verſantem, fortiter pugnando mortem occubuiſſe intellexi: lætitia hæc in ſubitum conuerſa eſt mœrorem. Quanquam vero in calce earundem literarum adiectum erat, huiuſmodi rumorem, qui de luctuoſo

luctuoſo præſtantiſſimi viri interitu paſſim ſpargeretur, obſcurum incertumque eſſe: tamen neſcio qua animi diuinatione, vel potius præſagio permotus, metuo, hanc famam veriorem eſſe quam vellem. Nuper enim ipſe Daniel Ranzouius ex caſtris literas ad me dedit, propria manu exaratas: cum alioqui maximis & ampliſſimis negotiis bellicis impeditus, miniſtrorum ſuorũ opera in ſcribendo ante hac vti con ſueuerit: Quæ literæ omnem præ ſe ferebant humanitatem, amorem atque beneuolentiam, & circa finẽ hæc ſequentia verba Latina habebant adſcripta: his vale, cum vxore & liberis tuis dilectiſſimis, meq; tibi commendatum & ſeruum & amicum tuum promtiſſimum habeto. Vale iterum atque iterum, &c. Hęc verba legenti, neſcio quo pacto ſiniſtra ſuſpicio, de graui aliquo amici caſu impendente, incidit. Eſt aliud quod hanc iniectam ſuſpicionem auget. Quoſdã enim verſus, imaginibus ac tabulis defunctorũ quorundam Heroum ac Ducum, in arce mea Bredenbergenſi depictorum, adſcriptos, ipſi legendos cum aliquando exhiberem: & inter hos, carmina ſuæ quoq; picturæ ſubiecta, legeret: mutato non nihil vultu, omen illud aduerſatus, in hæc verba erupit: Quid viuus, inter tot mortuos? Infelicis enim ominis loco habuit, ſuam quoq; effigiem inter defunctorum Ducum imagines collocatam eſſe. Accedit heſternæ noctis ſomnium, quod de Danielis Ranzouii arce, ſub auroram habui. Dormienti enim mihi viſum eſt, me ad eam arcem, cuius ſpecies oculis in ſomnis obiecta erat, iter habere, eiuſq; magnificam ſtructuram ſumma cum admiratione ſuſpicere. Sed mihi rurſus paulatim ab arce diſcedenti, vultumq; in eam reflectenti, inſignis arcis moles viſa eſt in exiguum lapideũ ſubſidere monumentum; cuiuſmodi illud eſt, quod ante aliquot annos, patri meo, in primario D. Laurẽtii templo Itzenhoenſi, ſtatui curaui. Cum autem ſomnia

mea non omnino ſint vana, ſed euentus iis nonnunquam reſpondere ſoleat: ſuperiores coniecturæ, & aliæ veriſimiles rationes, animum meum, propter incredibilem amorem, quo ipſum Danielem ſemper complexus ſum, nihil non mali ſuſpicantem in dolorem coniiciunt acerbiſſimum. Sed cum virum fortem, non ſolum in rebus ſecundis, verum etiam aduerſis, animi grauitatem conſtantiamque tueri deceat: meo vulneri hoc remedium adhibendum eſſe cenſeo: vt ſi quid acciderit illi humanitus, harum rerum cogitatione dolorem meum leniam: gentilem meum & amicum Danielem, pro incolumitate & ſalute Regis atque patriæ acriter pugnantem occubuiſſe: ac vitam in annos ſatis multos ei prorogatam eſſe, cum maximis rebus geſtis, poſt multiplices & varias dimicationes, bellicoſque ſudores, ampliſſima conſecutus virtutis ornamenta, gloriam nempe immortalem, ad quam a pueritia inflammatus fuit, poſteris ſui nominis ſuæque familiæ amplitudine auctam & illuſtratam tradat & relinquat: cum Regis Daniæ copiam per multos annos in Suecos duxerit, eorumque exercitus, tribus belli Ducibus captis, fuderit atque diſſipauerit: cum denique maiorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, Ranzouiorum more fortiter dimicando, mortem cum ſumma gloria oppetierit honeſtiſſimam. Hæc cum ita ſint, & ex præmiſſis indiciis nihil aliud colligi poſſit, quam agnatum meum ex hac mortali vita ad æternam conceſſiſſe: non tam dolori indulgendum, quam piis manibus defuncti debitum & extremum officium præſtandum eſſe arbitror. Breui itaque Epitaphium a me conſcriptum, gratitudinis ergo, ſepulcro amici mei affigi curabo. Quod tibi non exiguo, vt opinor, dolore, ob hunc triſtem & deplorandum caſum, affecto ſignificandum eſſe duxi. Plura ad te ſcriberem: verum ſummi luctus acerbitas me a ſcribendo auocat. His vale. Da-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

le. Datæ ex caſtro Segebergæ, XXVII. Nouembr. Anno Chriſti LXIX.

EPITAPHIVM DANIELIS RANZOVII, AB HENRICO Ranzouio in Parochiali eccleſia Weſtenſehæ erectum.

NObili viro Danieli Ranzouio, Equiti Holſato, Domino caſtrorum Nienhoff, Troieburgi, & Woldenhorn: Belli inter Sereniſſimum Danorum Regem Fridericum II. & Suecos, per ſeptennium geſti, ſummo Duci, & primario adminiſtratori: multarum pugnarum acerrimarum, cum Suecis manu prorſus impari commiſſarum victori: In illorum regione viarum abſtruſarum, & ante hac incognitarum inueſtigatori atque inuentori: vrbium etiam, pagorum & agrorum hoſtilium euerſori ac depopulatori: de Rege ac regno Daniæ optime merito, gentili, cognato, & amico ſuo cariſſimo: qui in obſidione arcis Warpurgæ tormento ictus, moriendo vincens vitam viriliter profudit: Henricus Ranzouius, Dn. Ioannis Ranzouii filius, in ducatibus Regis Daniæ Vicarius, hoc non tantum priuati, verum etiam publici per totam Daniam ac Holſatiam luctus, perpetuum monumentum, mœrens non ſine lacrymis poſuit.

Obiit Anno Chriſtiano M. D. LXIX.
XI. die menſis Nouembris, ætatis ferme anno
XL.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

RESPONSIO D. IOACHIMI HINCKII, DECANI Bremenſis, ad magnificum virum Henricum Ranzouium.

ILluſtriſſimus Princeps meus Dux Adolphus anteuertit nuntium tuũ, de obitu clariſſimi viri Danielis Ranzouii, gentilis tui. Vtriuſque autem literæ eo mihi fuerunt gratiores, quo magis ex iis perſpexi, Illuſtriſſimum Principem priſtinæ familiaritatis: te vero agnationis ius: & vtrumque veſtrum, rerum ab eo geſtarum gloriã, recto & grato animi candore agnoſcere. Dolet vterque, & non immerito. Quid enim Principi grauius accidere potuit caſu eius viri, quem inter domeſticos educatum, & albo ſenatorum adſcriptum, de eius in re militari peritia & fide in bello contra Dithmarſos periculo facto, ad Danicũ bellum ſic emiſit, vt virtutem ducem, comitem fortunam adiunxiſſe ei videretur? Tuum vero mœrorẽ, ſi quis miret᷑: is plane ignorat, quantam animi perturbationem, bene etiam cordatis viris afferat agnatorum immatura mors: qui variis bellorum caſibus virtute ſuperatis, ſpem immortalis decoris, viſi ſunt familiæ ſuæ inuecturi. Iuſtiſſime autem Sereniſſimus Rex noſter eius viri morte afficitur, cuius fidei hactenus grauiſſimi belli ſummam ſatis auſpicato crediderat. Te quidem fama de morte eius accepta perturbat, & mihi quoq; vt veteri eius amico permoleſta eſt. Sed quo vultu optimum Regem exiſtimas animam exhalantis coram ſpectaſſe deceſſum? Noſti Regis excellẽs & benignũ ingenium, quã arcte eos complectatur, quos exploratę fidei & integritatis ergo caros habere cœpit. Eius vicem imprimis doleo, quod tali viro orbatus eſt:

& ex

& ex animo precor æternũ Deum, qui nouit, Regem noſtrum pacem maluiſſe, quam bellum: niſi lubrica hoſtium fide, & vafris artibus deluſus, & retractus ad arma fuiſſet: vt noui Regis, ſi non deſierit ſanguinarii fratris inſiſtere veſtigiis, robur frangat, & gentes diſſipet, quæ bella volunt: Regem vero noſtrum victoriis illuſtret, & diuturna pace conceſſa, vitam eius ad multos annos feliciter extendat. Ad te quod attinet, æquum eſt, vt luctum ponas. Neque enim reduci ille ad vitam hanc poteſt: & omnino ſemel ei moriẽdum fuit. Quem caſum, cum ſubierit ſumma cum gloria, in conſpectu Regis ſui fortiter pugnans, pro patria, pro aris & focis, & pro cauſa iuſtiſſima, rebus ante ſæpe feliciter geſtis: quid tibi relinquitur, cur doleas? Pauciſſimis enim belli ducibus, talem vitæ exitum, qualem parens tuus habuit, contingere memini. Hic enim poſt bellorum, quaſi compagine quadam connexorum, pluriumque pugnarum illuſtres victorias, domi ſuę, in complexu vxoris & liberorum, nuſquam a fortuna grauiter læſus, pie & placide vitam cum mente commutauit. Habet hoc ad laudem & gloriã agnati tui non minimum momenti: quod oblatam morte patris opulentam hereditatem, poſſeſſionemque ædificiis & hortis Italicam elegantiam referentibus exornatam, & ad hæc ſponſam moribus optimis & forma inſignem, recrudeſcente hoſtium culpa bello, maluit negligere: quam Regis deſertor videri. Merito igitur viuo illi abs te honor hic eſt habitus, vt eius imago, inter Heroas, domi tuæ, ob bene merita, conſpiceretur: & exſtaret Epitaphium, æternum ſuarum virtutum atque clariſſimorum facinorum præconium complectens: cum veſtræ familię, per ſe quidem ſatis illuſtri, non modicum bellici ſplendoris lumen videatur attuliſſe. Vale. Datæ Bremæ, die 14. menſis Decemb. Anno Domini LXIX.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

MICHAEL REDERS,
DECANVS HAMBVRGENSIS,
ad Nobilem & Præclarum Henricum Ranzouium Regias in Holſatia vices gerentem.

NVper ad me, ex Præfecturæ tuæ regio caſtro Segebergenſi, Nobilis & Magnifice Dn. Henrice, de triſti obitu generoſi tui gentilis Danielis Ranzouii, literas & amoris tui, & doloris teſtes dediſti, quibus certe, quod decebat, afficiebar admodum. Quis enim non doleret, hunc Ranzouium tantis præditum heroicis virtutibus, in iſto faſtigio præclaritatis, altioribus iam deſtinatum, adeo ſubito & Reipubl. & gentilibus præreptum emori? qui non minus animi fortitudine, quam rebus heroice geſtis omnium quaſi oculos in ſe conuerterat: & apud remotiſſimos quoque & nomen & famam fuerat adeptus. Inſigni hic amore præ ceteris te amplectebatur, & vnice obſeruabat: & præluſtre quid de veſtra meditabatur proſapia. Tales autem eſſe fortunæ vicibus & ludibriis expoſitos, dolendum certe eſt. Non enim in eo ad virtutem deerat quidquam. Politioribus diſciplinis animum egregie excoluerat. Ex ipſis fontibus priſcam didicerat nobilitatem. Antiqua veſtigia Romanæ militiæ proxime ambiens, virtute magiſtra, ſub militaris diſciplinæ proceribus quondam præcellentibus, bellicis ſe aſſuefecerat legibus & armis. Hic tandem, cum iam heroici facinoris ei laurea debebatur, & præſto erat: quod bellum geſſerat pro Sereniſſimo Danorum Rege difficilimum, ad ſeptennium vſque, inſigni fide, & felici dexteritate:

proh

proh dolor, in ipſa Warpurgicæ arcis oppugnatione & expugnatione,adeo ſubito & infeliciter periit. Vnde tu quidem, vir præſtantiſſime, Reipublic. ſortem penitius conſiderans, maxime iam doles & grauiſſime afficeris. Nam in ipſis tuæ adminiſtrationis difficultatibus, paucorum annorum ſpatio, & patrem longe clariſſimum,quo Cimbrica veſtra felicitas fulciebatur : & nunc magnæ ſpei propinquum gentilem : ambos ex nobilibus facinoribus heroas : ſimul amiſiſti. Verum quod propinquus tuus tantam eſt adeptus præeminentiam , & immortalem reliquit rerum geſtarum memoriam , pro ſui Regis ſalute ſtrenue pugnando occumbens : quodque humanæ expoſitus erat fragilitati , vt alias vel febricula iactatum, hæc exſtinguere potuiſſet, decenter cogitabis, & a te dilecti agnati gaudia cœleſtia, quæ modo percipit , non interturbabis querimoniis. Non enim gentilitiæ virtutis, quæ & in parente non multo ante, & Daniele nuper defuncto, aliiſque maioribus fuit conſpecta, & in te conſpicitur, æmuli atque imitatores Ranzouii deerunt vnquam. Quod tua quoque ſoboles, quæ nunc educatur diligenter, in locis ad colendum virtutis ſtudium commodis, tibi non obſcure pollicetur. Deus tuos vniuerſos proſperitate beet atque ſoſpitet : & aliquando eodem modo,quo familiæ tuæ columina a nobis memorata excelluerunt,præeminere faciat. Vale. Hamburg. XVI. Decembr. Anno Chriſti LXIX.

***

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

FERDINANDVS DEI GRATIA, ARCHIDVX AVSTRIÆ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wurtembergiæ, &c. Marchio Morauię & Burgauię, Comes Flandriæ, Habſpurgi & Tyrolis, &c.

HENRICO RANZOVIO,
Produci Cimbrico. S. D.

NObilis, Strenue, ac ſincere nobis dilecte: Nihil nobis ꝓximis annis, Henrice Ranzoui, fuit prius aut antiquius, quam vt, cum maiorum noſtrorum, ſereniſſimæ memoriæ, ex domo Auſtriaca oriundorũ, tum præcipuorum Imperatorũ, Regum, Principum, Comitum, & belli Ducum eminentium thoraces æneos, & quibus in bello aduerſus hoſtem vſi fuerunt, loricas, quemadmodum & effigies eorundem, & rerum feliciter geſtarum elogia, colligeremus, inq; perpetuam prædictorum memoriam, in armamentariũ noſtrum, quod ad id potiſſimum ædificauimus, & talibus armaturis, ex diuerſis Chriſtiani orbis partibus nobis trãſmiſſis, habemus mediocriter ornatum, reconderemus & conſeruaremus. Cum autem a fide dignis diſcamus hominibus: patrem & agnatũ tuum, Ioannem & Danielem Ranzouios, sereniſſimi atque potentiſſimi conſanguinei noſtri cariſſimi Friderici ſecundi, piæ memoriæ, Danorum Regis, tempore, ſummos belli Duces exſtitiſſe, eique præclaram fortiter bellando operam nauaſſe: itaque qui inter reliquos ſuum quoque in armamentario noſtro locum occupent, dignos iudicemus: clementer a te petimus, vt nobis hanc operam præſtes, Ioannis & Danielis

Ranzo-

Ranzouiorum panopliam, effigies, elogia, inſigniaque, quam poteſt fieri primum, vt conſequamur: qđ ipſum etſi alias te facturum perlibenter, minime dubitemus: quo minus nobis deſis, hoc etiam te moueat, quod præſtantiſſimorum totius orbis monarcharum, Regum, & belli ducum arma, effigies, ac elogia, non ſolum recreationis ergo conquirere, ſed etiam in eorundem omnium, quemadmodum & poſterorum memoriam, cupimus inciſa typis mandare publicanda: ſinguliſque qui opem & operam nobis exhibuerunt ſuam, exemplar vnum atq; alterum communicare decreuimus. Nobis certe officio a te expetito, nihil gratius accidere poteſt: qui tibi viciſſim gratiam beneuolentiamque noſtram offerimus. Datum Oenoponti, anno a partu Mariæ ſemper virginis M. D. XCI. XVI. Cal. Iunii.

SERENISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI AC Domino Dn. Ferdinando, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wurtembergiæ, Marchioni Morauiæ & Burgauiæ, Comiti Flandriæ, Habſpurgi & Tyrolis, &c. Domino ſuo Clementiſſimo:

HENRICVS RANZOVIVS,
Produx Cimbricus, omnia ſubiectionis & humilitatis obſequia defert.

VT fidem meam, ſereniſſime Princeps, Domine clementiſſime, Reuerendo ac Doctiſſimo viro DOMINO HERMANNO von der Beche/

Cœnobii prope Buxtehudam Præpoſito, nuper datam, liberem, quæque pollicitus ſum reipſa confirmem: Patris & Gentilis Domini Ioannis & Danielis Ranzouiorum pie defunctorum effigies, ab artifice induſtrio, tali prorſus, quali in bello, inque conflictu & velitatione vtebantur, habitu, ad viuum repræſentatas, cum breui vtriuſq; maxime illuſtres & memoria digniſſimas res geſtas continente elogio, mea oĩa ſummæ obſeruantiæ debitæ officia ſtudioſe deferẽs, tranſmitto. Equidem, Heros magnanime, omnem quam expetis panopliam, addidiſſem, cum reuerẽter, tum libenter: ſi mihi copia eius fuiſſet. Patris mei, pię memoriæ, armatura, in diuiſione hereditaria, Paulo fratri ſorte obuenit: poſt cuius obitum, ab vno filiorum eius primum Lubecam, deinde in penitiorem Rutheniam fuit tranſlata. Gentilis vero Danielis, beatę itidem recordationis, panopliam, in bello Suecico, a propriis miniſtris, quam primum ille prope Warpurgum globo ictus occubuit, ſubreptam, quis modo detineat, ignoratur. Et licet in hoc ſuſcepto conquirendorum armorum negotio, omnem, nullis parcens ſumtibus, diligentiam adhibuerim: neutrius tamen hucuſq;, ſpe inani aliquandiu lactatus, compos fieri potui. Quocirca, Princeps clementiſſime, ea, qua par eſt, ſubmiſſione, reuerenter peto: vt de nõ confecto, ex animi ſententia, negotio, quod curandũ fuit, me excuſatum habeas: & tranſmiſſas veras & ad viuum expreſſas effigies, beneuole ſuſcipias: ac me meoſque tuo fauore, quo nitor demiſſe, proſequaris perpetuo. Ego viciſſim omnia mea humilima obſequia, & parata officiola, deuote tibi offero ac defero; teque, cum tota auguſta tua domo Auſtriaca, protectioni diuinæ quam diligentiſſime commendo. Datum Segebergæ: Anno incorporati verbi nonageſimo primo, poſt milleſimum & quingenteſimum, 10. Cal. Octob.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ELOGIVM IOANNIS RANZOVII.

IOannes Ranzouius Hieroſolymis decore Balthei militaris inſignitus eſt, circa id tempus, quo Selimus Turcarum Imperator eam ciuitatem paulo poſt ſuperauit. Tribus Daniæ Regibus ſummus bellorum Dux, ac intimis a conſiliis fuit. Regis inſuper Chriſtiani III. in Holſatia vices gerens, Lubecam obſidione cinxit, & aliquot copias Lubecenſium prope Oitinum profligauit, nauibus eorum bellicis in flumine Trauena captis. In Iutia ruſticos ſeditioſos domuit. Nauarchum Clementem, qui ſemetipſum propria auctoritate pro Rege geſſit, cepit, capitiſque ſupplicio affecit, plumbea corona dehoneſtatum. Duabus obſidionibus Hafniæ interfuit, & præfuit. Seuerinum Norbium, Regis Daniæ Chriſtiani II. ſummum belli Ducem, patentibus in campis Scaniæ ſuperauit, & cepit. Comites quoque aliquot in Fioniæ loco Ochſenberch dicto fudit, atque in his Ioannem Comitem Hoiienſem, natum ex ſorore Guſtaui Regis Sueciæ, & Nicolaum Comitem Teckelnburgenſem. Inter Imperatorem Carolum V. ac Daniæ Regem Chriſtianum III. Spiræ, vna cum ſociis legationis, pacem compoſuit, ac ſtabiliuit, anno Chriſti M. D. XLIIII. Tandem cum Daniæ Rege Friderico II. nec nō Holſatiæ Ducibus Ioanne & Adolpho, in Dithmarſiam expeditionem ſuſcepit, eiuſque belli Dux fuit. Caſtra Bredenberch & Bothkamp pretio ſuo emit, & funditus ædificauit: quarum prius inter munitiſſima, alterum inter elegantiſſima totius Holſatiæ recenſetur. Tandem ſenio confectus, teſtamentum ſolemne condidit, in quo arces & bona fi-

liis diſtribuit, & ad pias cauſas, nec non ſuis miniſtris, vltra 12000. tetradrachmas legauit. Obiit placide, in complexu vxoris & liberorum, Anno Chriſti M.D.LXV. Decembr. die XII. cum vixiſſet annos LXXIII. & menſem I. Sepultus eſt Itzehoæ, non procul a tumulis maiorum, in ſepulcro arcuato, quod filius Henricus haud leuibus impenſis pulcerrimum ædificauit, & variis Epitaphiis mœrens exornauit.

ELOGIVM DANIELIS RANZOVII.

DAniel Ranzouius, Nobilis Holſatus, Dominus Caſtrorum Nienhoff, Troieburg, & Woldenhorn, linguæ Latinæ, Gallicæ, Italicę, Danicę ac Germanicæ peritus: in iuuenibus annis, ſub Carolo V. Imperat. militiam in Italia ſecutus: in expugnatione Dithmarſiæ duarum cohortium ductor: Regis Friderici II. contra Suecos ſummus Dux, & primarius belli ſeptennalis adminiſtrator deſignatus: multarũ pugnarum acerrimarum manu impari commiſſarum feliciſſimus victor: cuius rei admirandum ſpecimen in campo Aſtropheide exhibuit, XXVI. millibus hoſtium, per IIII. millia ſuorum proſtratis ac fuſis: viarum in Suecia abſtruſarum & ante hac incognitarũ inueſtigator ac inuentor. Multarum vrbium, pagorum, agrorumque hoſtilium depopulator & euerſor: de Rege ac toto Regno Daniæ optime meritus: tandem in obſidione arcis Warpurgi, globo ex tormento æneo exploſo, & per caput ipſius adacto, ictus, cũ magno Regis & exercitus luctu ac deſiderio exſpirauit, mortem ſuam arcis deditione continuo ſubſequente. Anno Chriſti M.D.LXIX. Ætatis XL.

FRIDE-

FRIDERICVS II. DEI GRATIA, DANIÆ, NORVEgiæ, Vandalorum, Gothorumq; Rex, Dux Sleſuuigæ, Holſatiæ, Stormariæ ac Dithmarſiæ, Comes Oldenburgi & Delmenhorſtæ, &c.

Ex Germanico in Latinum conuerſa.

S. D.

HENRICO RANZOVIO Produci ſuo Cimbrico.

NObilis ac fidelis Conſiliarie, ſincere nobis dilecte: Ex ſingulari noſtra in te gratia celare te nolumus, Sereniſſimum Polonię Regem nobiſcum per literas & legatum, de alio die pacis inſtaurationi deputanda, quam diligentiſſime egiſſe. Etſi autem Sueci conſuetæ eluſiones nobis notæ ſint, ac præter eas, de Regis Poloni tranſactione, ob eius, cum Sueco affinitatem ac neceſſitudinem, quamuis ſequeſtrum ſeſe offerat, nihil polliceri nobis auſimus: his tamen omnibus poſthabitis, in teſtificationem animi noſtri pacis ſtudioſiſſimi, voluntati Regis Poloni ceſſimus, ac in conuentum ad VI. Id. Iun. vel Roſtochii, vel Wiſmariæ, prout Gallico legato videbitur, celebrādum conſenſimus.

Cum igitur Sereniſſimo Regi Poloniæ negotium hoc tantæ curæ ſit, is quoque commiſſarios ſuos, ad quos legatus, qui hic eſt, ſtatim redire, in mandatis habet, in Sueciam miſerit, vt Regis animum explorent; coniecturam inde facimus, Suecum ad negotii tranſactionem fore iam aliquantulum propenſiorē: Præſertim cum, per occupatam a noſtris arcem Warpurgam, ipſi mare Occidentale, ac per hoc apportādi

commeatus ac munitionis via ſint interclusa. Accedit ad id, quod proximis diebus per graſſatorum noſtrorum manum quatuor opulentæ Sueci præfecturæ fuerunt exuſtæ, ac vaſtatæ omni annona, quæ illic repoſita erat, corrupta, & quinque millibus boum in caſtra noſtra abactis. Quare clementer volumus, vt te ac res tuas ita componas, iſti actui vt cum ceteris Regni noſtri Conſiliariis delegatis, quorum nomina, & vna tuum ac Doctoris Hinckii (: quem paucis ante diebus hac de re certiorem fecimus :) Gallico legato, ac tranſactori, ea petenti, ſignificauimus, quamprimum iſta de re literas a nobis acceperis, intereſſe poſſis. Ac ſperamus, interea temporis negotium tuum, quod in Belgio habes, recte confici poſſe, ita, vt res noſtræ iſti non futuræ ſint impedimento: te Regia clementia proſequentes. Datæ in arce noſtro Fridericoburgo XII. Calend. April. Anno Chriſti M. D. LXX.

FRIDERICVS II. DEI GRATIA, DANIÆ, NORWEGIÆ, Vandalorum, Gothorumque Rex: Dux Sleſuigę, Holſatiæ, Stormariæ, ac Dithmarſiæ: Comes Oldenburgi & Delmenhorſtæ.

S. D.

HENRICO RANZOVIO, Produci ſuo Cimbrico.

Ex Germanico in Latinũ conuerſa.

NOBILIS ac fidelis Conſiliarie, ſincere nobis dilecte: Non ita pridẽ per literas noſtras, clementiſſime tibi ſignificauimus, vt ad VI. Id. Iunii, comitiis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

tiis illis, quæ pacificationi denuo ſunt inſtituta, cum ceteris noſtris, ad id negotium delegatis Conſiliariis, interſis. Quia vero ab Illuſtriſſimo Principe cariſſimo noſtro cognato, affine, fratre & cõpatre Domino Auguſto, Duce & Electore Saxoniæ, &c. amiciſſime inuitati ac rogati ſumus, vt ſolemnem iſtum actum, quo filiam ſuam cariſſimam, Dominam Eliſabetham, Illuſtriſſimo Principi, cognato noſtro dilecto, Dn. Ioanni Caſimiro, Comiti Palatino, vtriuſque Bauariæ Duci, in vxorem elocabit, iſq; prid. Non. Iunii ritu, quo principem decet, domum eam deducet, præſentia noſtra cum ipſo, eius cariſſima Coniuge, ac ceteris Dominis & amicis ad id conuocatis, ornare velimus: ſententiam priorem, qua te pacis conficiendæ negotio præſto eſſe voluimus, mutare cogimur.

Cum enim, ob bellum, quo impliciti tenemur, ipſi tam longo itinere a regnis noſtris abeſſe nequeamus, nonnullos legatos noſtros mittere decreuimus, qui Calen. Iunii Wormatiam veniant, ac deinde ſponſos cum ceteris nomine noſtro Heidelbergam comitentur.

Ad hanc rem quo alio præter te ac Nobilem Conſiliarium & fidelem noſtrum dilectum Holgerũ Roſencrantzium Dominum in Boler, commodius vtamur, non habemus. Quare clementer cupimus, vt te, cum præfato noſtro Conſiliario itineri iſti accingas, ac miniſtros nigro veſtitu, cuius in Palatinatu iam vſus eſt, pileiſq;, qui decorati ſunt, albis, flauis, ac puniceis criſtis (:quibus coloribus ſponſa inſignita eſt:) pulcre inſtruas, vterq; Cal. Iunii, cũ xxx. equis (:quorum æquum numerum, xv. nimirum vterque adducat:) Wormatiam ingrediamini, ac poſtea ſolemni lætitiæ noſtro loco præſentes adſitis, munera noſtra tradatis, omniaque adminiſtretis officia, quæ noſtra maieſtate digna, Sponſis vero & cognatis ex vtraque parte honorifica fore cognoueritis.

Quamprimum autem ſolemnibus iſtis ad finem deductis, domum redieritis, clementer mandamus, vt Roſtochium, ad pacem inſtaurandam te conferas.

His tibi voluntatem noſtram ſignificamus, quam curæ tibi futuram non dubitamus: Regia te gratia proſequentes. Dabantur Coldingæ Calend. April. Anno Chriſti M. D. LXX.

Ex Germanico Idiomate in Latinum conuerſa.

FERDINANDVS ALVARES TOLETANVS, DVX ALbanus, Marchio Horiæ, &c. Regis Hiſpaniarum in Belgio Gubernator Generalis, & ſummus Dux belli. S. D.

HENRICO RANZOVIO Produci Cimbrico.

Nobilis, ſincere nobis dilecte: Quæ ad nos in cauſa debitorum Antuuerpienſium & tuo & tuorũ conſanguineorum ac cognatorum nomine XVI proxime elapſi menſis Aprilis ſcripſiſti; ea vna cum interceſſione Regiæ Maieſtatis Daniæ, ac vtriuſq; Ducis Holſatiæ per latorem harum rectę accepimus, & petitionem tuam plene cognouimus. Adhęc ex clementi affectu te celare nolumus, nos curaſſe, vt literæ illæ Antuuerpienſibus proponerentur, eorumq; perſpicuum reſponſum ad illas ſequeretur. Quibus ipſi reſpondentes, nobis expoſuerunt, ſe huc vſq; nihil non tentaſſe, atque etiamnum omnem dare operam, vt collecta inſigni quadam pecuniæ ſumma, tibi tuiſque ſatisfacere poſſint. Verum omnino facere ſe non poſſe, vt cœptam actionem in tam anguſto tempore, cuius terminus a vobis ad 15. proxime inſtantis Iunii

tis Iunii definitus eſt, ad optatum finem deducant: ac proinde ſe ſubmiſſe orare, vt aduentum tuum ad exitum Auguſti differri petamus. Cum igitur & ipſi cõfidamus, interea temporis Antuuerpienſibus alicunde auxilium latum, ac poſt eo commodius veſtræ petitioni locum datum iri; Itaq; te perquam clementer rogamus, vt hoc noſtro honori des, & exiguam illam moram, vltra finem Auguſti non differendam haud grauate concedas, ac tum Antuerpiam te conferas, iſtiq; negotio finem imponas: Quod ipſum quoq; ad Regiam Maieſtatem Daniæ, & vtrumque Holſatiæ Ducem ſcripſimus. Hoc nobis gratum feceris, qui voluntatem tuam clementer agnoſcemus, & viciſſim quocunq; tempore ac loco de te tuisque omnibus ac ſingulis bene merebimur. Dabantur Bruxellis Brabantiæ, 18. die Maii, A. C. M. D. LXX.

FERDINANDVS DEI GRATIA ARCHIDVX AVSTRIÆ HENRICO RANZOVIO PROduci Cimbrico.

NOBILIS ac ſtrenue, ſincere nobis dilecte: Quid proxime elapſo menſe Maio, de imaginibus, Genealogia, rebus geſtis, ac armis maiorum tuorum, Ioannis & Danielis Ranzouiorum, quibus armis vterque belli tempore contra hoſtem vſus eſt, huc transmittendis, ad te ſcripſerimus, ex adiuncto literarum iſtarum exemplo cognoſcere licet. Quia vero nihil reſponſi hactenus a te accepimus; ſed tantummodo literas Illuſtriſſimi principis, Dn. Chriſtiani IIII. Sereniſſimi, Daniæ, NorWegiæ, Vandalorum, Gotthorum, Regis, Domini tui, quibus de panoplia Sereniſſ.

ſimi Domini Parentis ſui, Friderici II. Regis Daniæ, &c. piiſſimæ memoriæ, per proprium quendam miniſtrum ad nos transferenda amanter ſe declarauit: ad quas nunc reſpondemus: præſenti hac occaſione intermittere noluimus, quin hiſce noſtris clementiſſime te denuo moneremus, hac indubitata fiducia, fore, vt ſecundum literarum dictarum tenorem, hac in re, quæ tuam inprimis totiusq; familiæ ac ſeræ poſteritatis tuæ laudem ac famam cõcernit perpetuam, nobis libenter gratificeris; ac fauorem noſtrum tibi tuisque, quo vos alioquin clementer proſequimur, declaraturi quam primum ſeſe obtulerit occaſio, arctius deuincias. Dabantur in vrbe noſtra Oeniponto, VI. Octob. Anno M.D.XCI.

JACOBVS SCHRENCKIVS ANOTZINCK, SERENISS. ARCHIducis Auſtriæ, Dom. Ferdinandi Conſiliarius.

HENRICO RANZOVIO, Produci Cimbrico, &c.

ILluſtris, Generoſe, ac beneuole Domine, Generoſitati tuæ omnia officia mea, quamuis ignotus, ſtudioſe ac ſubmiſſe defero: Cumq; Sereniſſ. Archidux Auſtrię, D. Ferdinandus, Dominus noſter clemẽtiſſimus, non ita pridem ad Sereniſſ. Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum ac Gothorum Regem, D. Chriſtianum IV. pro impetranda imagine, hiſtoria illuſtriũ rerum geſtarũ, ac totius vitæ narratione, ac πανοπλίᾳ denique, qua Dominus parens Regiæ ſuæ Maieſtatis, Sereniſſ. Rex Fridericus II. memoriæ ſacratiſſimæ, belli tempore ſeſe armauit, ſcripſerit: eiuſdem fere argumenti

ad

ad T^{m} quoq; G^{tem} dedit literas, pro armis, effigie, ac rebus geſtis laudatiſſimorum maiorum, Ioannis & Danielis Ranzouiorum: quorum fortiſſimorum Ducum virtutes ac labores militares paſſim celebrantur. Atq; illis quidem Regia maieſtas amanter reſpondit, iſta ſe omnia, per certum quendam e miniſtris ſuis, ad Sereniſſ. Archiducem curaturam; His vero a G. T. reſponſi nihil hactenus obtigit. Quoniam autem Sereniſſ. Archidux ad Regiam Maieſtatem nunc ſecundum ſcribit; quemadmodũ T. quoq; Generoſitatem denuo monet; ego ipſe non potui non optatiſſimam hanc occaſionem cupide amplecti, ac Generoſ. tuæ totum iſtud armorum negotium prolixius aliquanto aperire. Quod quidem in hunc modum ſeſe habet.

Annus iam agitur 14. quando Sereniſſ. Archidux Auſtriæ Ferdinandus, peculiari cuidam ſtudio animũ appellere decreuit: quod vt inuentione eſſet recens, & a nullo hactenus tentatum; ita magnatum neminem in eo ſibi haberet æmulum. Accuratæ itaque circumſpicienti Serenitati ſuæ, ex tanta multiplicium ſtudiorum copia quodnam potiſſimum eligeret; potius tandem præ cæteris omnibus viſum eſt hoc armorum varie congerendorum, eorum pręcipue, quibus Roman. Imper. Reges, Principes, Comites, Barones ac Nobiles, belli tempore loricati, hoſtibus ſeſe fortiter oppoſuere, aut quæ illi in expeditionibus ſecum vehi voluere. Nec tamen promiſcue omnium armaturam colligere ſtatuit: ſed illorũ ſolummodo, qui præcipuos bellorum duces ac tribunos cum laude egerunt. Cumq; primo ſtatim biennio, res hæc ex voto Serenitatis ipſius ſucceſſiſſet, id negotii mihi, qui indigne quidem Serenitati ſuæ eſſem a Conſiliis & Secretis, datum eſt, vt quod feliciter cœptum eſſet, ſedulo vrgerem, ſuoq; ordine ſingula diſponerem. Id quod literis per me ad pleroſq; Chriſtiani orbis principes, alioſq; tam ſummi quam mediocris ſtatus viros

illuſtres, de hac re armamentaria exaratis, omni ſtudio hactenus factitatū. Sane res hæc, pro ingenii mei tenuitate ac eruditionis exiguo modulo, ad ſedulam hiſtoriarum lectionem me deduxit. Vnde quoque factum, vt complurium fortiſſimorum heroum, quorum præclara facinora e probatis hiſtoriographis depromta, ac magno Serenit. ſuæ iudicio fuere approbata, digniſſima memoria illuſtri armamentario fuerit inſerta. Inter cæteros autem oblati quoque fuere laudatiſſ. maiores tui, D.D. Ioannes & Daniel Ranzouii, quorum heroicis animis ac illuſtribus factis conſideratis, inuenti ſunt non minus, ac reliqui (quorum arma iam collecta) loco iſto digniſſimi, vtpote quorū fidei ac virtutibus, præcipuorum bellorū, quę potentiſſ. Rex Daniæ, Fridericus II. beatiſſ. memor. geſſit, pluſquam ſumma fuit concredita. Cuius rei cum bono animo, & ex ſingulari quadā erga generoſam hanc Ranzouiorū proſapiam affectione, ob inſignem multiplicium rerum geſtarū, qua fulget, gloriam, coram Sereniſſ. Archiduce meminiſſē; Serenitas eius ſtatim reſpondit: ſibi ex longo temporis interuallo, gentem hanc Ranzouiorū necdum excidiſſe, ob præclara horum facta, quę regibus ſuis in armis ſimul ac toga fortiter ab ipſis pſtita, paſſim eximie prædicari audierit. Subiecit deinde, vt per ſe fuerit æquū; ita ſibi fore magnopere gratum, ſi vtriuſq; præfati Ranzouii παν οπλία propria, effigies ac hiſtorię haberi poſſint. Hinc denique literas per me ſcribi clemētiſſime voluit, quæ nō ita dudū, vt nunc quoq;, ad G. T. datæ ſunt, ac propriis Ser^{tis} ipſius, ſupremi Cancellarii, meaq; ipſius manib. ſubſcriptę. Sed cū ſciam maiorū monumenta cariſſima eſſe, ac ſumma cum diligentia aſſeruari; vereor, vt G^{tas} T. mentionem iſtam meam ferat grauius. Ideoq; mihi benigne ignoſci peto. Amor domus Ranzouianæ, & votū meū, vt aliqua[l]ēt eiuſdē in famoſo hoc Archiducis armamentario exſtaret memoria, ad hoc me impulere.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

impulere. Quod ſi Generoſitas T. Sereniſſimo Archiduci, per eundem illum miniſtrum, qui arma regia e Dania aduehet, alia, qua commodius videbitur, via, arma petita Ioannis & Danielis Ranzouiorum curauerit: demiſſe rogo, vt res geſtas vtriuſque Herois luculenter & prolixe latino ſermone comprehenſas, ſimul addat: vt iſtiuſmodi deſcriptiones in Hypotypoſin armorum, quibus viuæ etiam ſingulorũ Heroum imagines adiicientur, commode referri poſſint. Sereniſſ. quoq; Archiduci gratiſs^{m} G^{tas} T. fecerit, ſi lucubrationes ſuas, & quotquot in laudẽ Ranzouianæ domus exſtant monumenta typis excuſa, ſimul miſerit. Atque hæc habui, quæ G. T. referre viſum fuit. Quod ſupereſt, meæ huius audaciæ, qua ignotus ad G. T. fuſius ſcripſi, veniam magnopere peto, ac eiuſdem patrocinio me ſubmiſſe commendo. Oenoponti, VII. Octob. Anno XCI.

NOBILI AC MAGNIFICO VIRO, DOM. IACOBO SCHRENCKIO, in Notzinck Sereniſſimi Archiducis Auſtriæ, Dn. Ferdinandi Conſiliario, S. P. D.

HENRICVS RANZOVIVS, Produx Cimbricus.

NOBILIS ac magnifice Domine, amice ſingularis, Reuerſus nuper ex Italia Secretarius meus, Caſparus Fabritius, prolixe mihi expoſuit tuam in ſe beneuolentiam, qua non tantum ipſe eum humaniter complexus fueris; verumetiam patrocinio tuo effeceris, vt ad colloquium cum Sereniſſimo Archiduce, Domino noſtro clementiſſimo, fuerit admiſſus;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

cuius Sereniſſima Celſit. Canem illum, quem nonnulli Gallicum vocant, noſtri **Bluthundt/** mihi tradendum, clementiſſime crediderit. Pro tanto itaque munere, quod ſumma cum voluptate accepi, proq; clementiſſimo Sereniſſimę Celſitud. ipſius in me affectu, quem verbis humaniſſimis teſtata eſt, Sereniſſimæ ipſius Celſitudini, gratias, quantas ſubiectione ſumma poſſum, maximas ago: nec in votis quid magis habeo, quam vt erga Sereniſſ. Celſitudinem eius gratitudinem ac obſeruantiam meam debitis officiis viciſſim declarare poſſim. Quod quidem vt aliquo modo præſtarem, conandum omnino fuit. Itaq; Sereniſſimæ ipſius Celſitudinis poſtulationi clementiſſimæ ex debito ſatisfacturus πανοπλίας tres, Parentis mei ac Danielis cognati, Ranzouiorum p. m. meamque ipſius intra duo querna dolia contra pluuiarum iniuriam pice probe munita, concludi, ac Hamburgo Auguſtam, ad virum illum, quem Secretario meo ſignificaueras, transuehi curaui; ſpe certa, futurum, vt quam primum inde Oenopontum ad vos mittantur. Illud autem te latere ſimul nolo, iſta parentis mei ac Danielis cognati arma, non quidem eſſe ea ipſa, in quibus ille depictus eſt, hic vero globo tormentario traiectus. Non enim fieri potuit, vt iſta recuperarem, cũ quæ parentis fuere, per cognatos meos in longinquas regiones ſint deuecta; Danielis aũt Ranzouii a militibus poſt obitum ipſius direpta. Miſi tamen nihilominus ea, quibus parens quidem in Dithmarſos, Daniel autem cognatus in Suecos (cuius arma ſunt nigri coloris) vſus fuit. Tertia armatura mea, quæ aurea cruce cũ imagine mei ipſius in genua ante iſtam in morem precantis prouoluti, cum literis H & R inſignita eſt, in expeditione Dithmarſica fui accinctus: cui meum ſimul Elogium hiſce literis incluſum, addidi, nec non imaginem meam ab artifice egregio optime depictam, ea magnitudine & corporis forma,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

qua præditus ſum, & iiſdem armis quę transmitto expreſſam: Quamuis (vt verum fatear) me indignum ducam aliquo inter heroas iſtos fortiſſimos loco. Sed quid? Ita nimirum Sereniſſimo Archiduci, Dn. noſtro clementiſſimo viſum eſt: cuius voluntati clemētiſſimæ acquieſcendum potius, & pro tam eximia de me exiſtimatione gratiæ ſubmiſſę agendæ, quam indecora tergiuerſatione huiuſmodi quid Sereniſſimæ ipſius Celſitudini denegandum, ab eo præſertim, qui in longe maioribus Sereniſſimæ ipſius Celſit. humiliter gratificari paratus eſt. Alteri quoque dolio ciſtulam quandam inſerui, in qua recondita ſunt aliquot ſequentium librorum exemplaria, partim ſoluta, partim ligata; nimirum: Calendarii mei Romani, Eccleſiaſtici, Aſtronomici, Oeconomici, &c. Tractatus Aſtrologici, de genethliacorum Thematum iudiciis, &c. Genealogiæ familiarum quarundam Saxonicarum, &c. Commentarii De ſtatu ac Ordinibus Holſatiæ, &c. Hypotypoſis artium, &c. Horum itaque librorum nonnullos, vt Sereniſſimo quoq; Archiduci, vna cum tribus iſtis armaturis reuerenter offeras ac tradas, addita ſimul diligenti mei ipſius commendatione, & ſubmiſſa officiorum meorum, quæ paratiſſima ſemper ſunt, commemoratione, etiam atque etiā abs te peto. Cætera exemplaria ſi in mei memoriam ſeruaueris ipſe, gratiſſimum mihi feceris.

Cæterum pro inſigni tuo in me amore, quem non ſolum literis, mihi ſemper gratiſſimis, ſed etiam ſingulari in Secretarium meum, cum apud vos præſens eſſet, beneuolentia declaraſti, & honorifica coram Sereniſſimo Archiduce Dn. noſtro clementiſſimo, mei mentione, ſubinde teſtaris ac confirmas, tibi amanter gratias ago magnas, teq; magnopere oro, vt hunc in me affectum indies augeas, & cōſtanter ſerues. De me certo tibi perſuadeas velim, tui me eſſe amantiſſimum; ac nihil optare magis quam vt huius

animi mei opere, ac reipſa declarandi occaſionem nanciſcar.

De cane, quem Sereniſſimus Archidux dominus noſter clementiſſimus mihi dono miſit, illud adhuc addam; Potentiſſimum Regem meum, cum primum in Comitiis Flensburgēſibus nuper celebratis, ipſum cōſpicatus eſſet, protinus deſiderio eius flagraſſe. Itaq; petenti Regiæ eius Maieſtati cariſſimum hoc Sereniſſimi Archiducis munus denegare non potui. Quod ipſum Sereniſſimam eius Celſitud. ægre non laturā confido. Hiſce vale feliciter. Ex arce regia Segebergæ, Kalendis Octob. A. C. M.D.XCIII.

ELOGIVM HENRICI RANZOVII PRODVCIS Cimbrici, cuius in pręcedentibus literis fit mentio.

HENRICVS Ranzouius Dn. Ioannis Equitis aurati filius natus A. C. M. D.XXVI, Martii D. XI. Dynaſta in Bredenberg, Ranzouisholm, Drakenburg, Ranzouu, &c. trium Regum Daniæ, Chriſtiani III, Friderici II. & Chriſtiani IV. Conſiliarius, Segebergenſis præfecturæ adminiſtrator, & Produx Cimbricus vltra XL. annos. Litem exercuit iuſtis de cauſis cum Comitibus Hoienſibus, qui fratrem vxoris ſuæ ceperant, & in cuſtodiam in arce Nienborch coniecerant. E contra ex Comitibus Iodocus, frater Ioannis Epiſcopi Monaſterienſis, natus ex ſorore Guſtaui Regis Sueciæ, fuit Segebergæ captus, in carcerem coniectus, & in eo mortuus. Cum autem ſententiam, quæ in Camera Imperiali pro ipſo decreta fuerat bello ſtatuiſſet proſequi, Regis Daniæ Chriſtiani III. & Electoris Saxoniæ Auguſti tractatione interpoſita controuerſia Vlzenii ſopita eſt. Latine loquebatur

quebatur,& ſcribebat expedite ac eleganter, Gallicæ quoque & Danicæ linguæ non ignarus. Multas arces funditus ædificauit, multas magno pretio aliquot centum millibus thalerorum coemit. Duas exſtruxit Pyramides, Segebergenſem cum Obeliſco, & Nordoenſem. Expeditioni Dithmarſicæ interfuit, & cum Patre Ioanne Ranzouio, qui ipſius conſilio vſus, præfuit: ſubiugatamq; regionem iſtam inter Regem Daniæ Holſatiæq; Principes diuiſit. Commiſſus eſt ipſi delectus militum tempore belli Suecici, & durante bello per ſeptennium, fidei ac curæ eius Ducatus Holſatiæ & Sleſuuici crediti. Pacem inter Daniæ, Poloniæ ac Sueciæ Reges, ciuitatemque Lubecenſem vna cum aliis legatis, Anno M.D.LXX. compoſuit. Donatus eſt a Friderico II. quemadmodum etiam a Chriſtiano IV. Daniæ Regibus, ordine Danico, nimirum aureo Elephante cum turri. Obiit Anno C.M. - - - -

Ætatis - - - -

SERENISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. FERDINANDO ARchiduci Auſtriæ, &c. Domino ſuo clementiſſimo S. D.

HENRICVS RANZOVIVS, Produx Cimbricus.

SEreniſſime atque Illuſtriſſime Princeps Domine clementiſſime Sereniſſimæ Celſitudini veſtræ omnia mea humilima obſequia ac officia offero ac defero. Retulit mihi Secretarius meus, qui præterito menſe Auguſto, quum iter per Celſitudinis V. vrbem

ac aulæ ſedem Oenipontem faceret, ſuamq; præſentiam Sereniſſimę Celſitud. veſtræ ſignificari curaſſet, quam multis verbis Celſitudo veſtra fauorem ac beneuolentiam erga me meosq; declarauerit: Inprimis vero Celſitudinis veſtræ ſingularem humanitatem ſatis deprædicare non potuit, qua erga eum omnibus in partibus ſit vſa. Præterea illud quod iam ante de armamentario, in quod fortiſſimorum Heroum ac bellatorum armaturas vndique magno ſumtu conquirere Celſitud. veſtram iam pridem intellexeram, omnibus additis circumſtantiis ordine enarrauit, in quorum etiam ſempiternam gloriam, & laudem ad poſteros transmittendam (qui fructus ampliſſimus virtutis eſt) eadem Celſit. veſtra opus typographicum ſingulari induſtria multisque impenſis adornari curet; hoc addito ſermonis fine, cupere Celſitud. veſtrã parentis ac cognatorum meamq; ipſius armaturam, ad eundem finem, nempe gloriæ ipſorum conſeruandæ cauſa, reliquis adiungere. Pro qua quidem ſingulari ſereniſſimæ Celſitudinis veſtræ in me propenſione & beneuolentia, meoq; Secretario tam humaniter præſtitis officiis, (quem etiam ne quid ad ſummam humanitatem deeſſet, Celſid. veſtra vltro porrectis manibus ſalutare dignata eſt) humiliter ago gratias quantas concipere poſſum. Ad Celſitudinis veſtræ petitionem quod attinet, etſi a teneris, natura ducente eo propenſus fui, vt quæ a parentibus & maioribus meis ex hereditate accepiſſem, ſummis in delitiis haberem, nec vnquam niſi grauiſſimis de cauſis e manibus mihi extorqueri paterer: eamque ob cauſam initio cum iſthac de re Celſitud. V. animum ſuum literis mihi aperuiſſet, nõ ſtatim (vt decuit) quid certi reſponderem, conſtitutum mihi eſſet, quum & armorum retinendorum deſiderio flagrarem, & nihil Sereniſſimæ Celſitud. V. a me denegari cuperem: quandoquidem tamen iam intelligo, quam laudabilem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

lem in finem Celſ. V. ea expetat, diutius Sereniſſ. Celſ. V. petitioni deeſſe nec volui, nec debui. Mitto igitur parentis mei beatę memorię, ac mea ipſius arma, quibus vterque in expeditione Dithmarſica vſi ſumus, itemq; agnati mei Danielis Ranzouii armaturã, quam idem in bello Suecico geſtauit. Simulq; Sereniſſimæ Celſit. V. humiliter gratias ago pro hac exiſtimatione & candido iudicii calculo, quo me, meosque dignos iudicauit, vt arma noſtra inter tam illuſtrium heroum ac fortiſſimorum virorum panoplias locum aliquem haberent; obnixe orans vt hoc meum ſtudium Celſ. V. clementer accipiat, meq; ac meos poſthac etiam ſibi commendatos eſſe patiatur. Vſus quidẽ eſt parens meus etiã alia quadam armatura nigri coloris, aureis lineis diſtincta: ſed quod alias Celſit. V. ſignificare me memini, ea poſt obitum parẽtis in longinquas regiones deuecta, atq; ita amiſſa eſt.

Canem odoriſequum, quem dono a Sereniſſ. Celſ. V. accepi, equidem tum ad meum vſum in venatione, tum pręſertim tanquam liberalitatis veſtrę μνημόσυνον, lubentiſſime apud me retinuiſſem: cum vero nuper comitiis, quæ Sereniſſimus potentiſſimusque Princeps D. Chriſtianus IV. Daniæ & NorWegiæ, Gothorum, Wandalorumq; Rex, Dux Sleſuici, Holſatiæ, &c. dominus meus clementiſſimus indixerat, intereſſem, atq; inter alios ſermones etiam Celſit. V. mentionem facerem, quod ea nuper canẽ eiuſmodi dono ad me mittere dignata ſit; Rex meus clementiſſimus quieſcere prius noluit quam eundem Maieſtati ipſius tradere̋, quod ne Celſ. V. diſpliceat, & hunc fauorem erga me meosq; porro conſeruet, etiam atque etiam rogo: quod quidem certo mihi ſpondeo, ac Sereniſſimam Celſitudinem veſtram, in Dei optimi maximi protectionem commendo, Datæ Segebergæ Idibus Octobris Anno XCIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

STEPHANVS DEI GRATIA REX POLONIÆ, MAGNVS DVX Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæque, &c. Dominus, nec non Tranſyluaniæ Princeps.

MAGNIFICO HENRICO RANzouio de Bredenberga, Sereniſſimi Regis Daniæ Conſiliario, & Vicegerenti in Ducatibus Sleſuici & Holſatiæ grate nobis dilecto.

MAgnifice & Generoſe, grate nobis dilecte. Fecit nobis certam ſpem Paulus Wernicke ſubditus noſter de G. T. erga nos propenſa voluntate, confirmauitque, ſi forte nomine noſtro G. T. de mutuanda aliqua pecuniæ ſumma, belli Muſcouitici promouendi gratia, appellaretur, ipſam reipſa quoque probaturam. Cum autem nobis de belli rationibus mature ſit conſulendum, præuideamusque exigenda decreta a regno noſtro in bellicos vſus pecunia non exiguam temporis partem extractum iri, facile paſſi ſumus nobis perſuaderi, vt eundẽ Paulum Wernicken ad G. T. mitteremus, qui de pecunia mutuanda cum ipſa ageret. Poſtulamus igitur a G. T. vt ſuam voluntatem in ea re nobis explicet, quam primum fieri poſſit. Nos vero G. T. recte cauebimus, & officium ſuum grato clementique animo accipimus. Bene valeat. Datum Varſauiæ XIX. die menſis Februarii Anno Domini M.D.LXXXI. Regni vero noſtri 5.

Stephanus Rex manu ſua.

ILLV-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI AC Domino, Domino Antonio Perenotto, Cardinali Granuelano Archiepiſcopo Mechlinienſi, & Epiſcopus Atrebatenſi, &c. Intimo Regis Hiſpaniarum Conſiliario S. D.

Henricus Ranzouius Produx Cimbricus.

ILluſtriſſime ac Reuerendiſſime Princeps, Domine clementiſſime: Quanta exſtiterit Celſ. T. in me ſuperioribus temporibus humanitas, quando in Aula inuictiſſimi Romanorum Imperatoris Caroli V. piiſſimæ memoriæ cum Illuſtriſſimo Holſatiæ Duce Adolpho fui, ſæpius magna cũ voluptate ac nominis tui cultu ſingulari, & mecũ tacite repeto, & in ſermone cum aliis prædico. Memini namq; quã crebro, quam beneuole Celſ. tua me audiuerit, habuerit, quã multa itẽ Latina partim, partim Germanica lingua mecum variis de rebus contulerit perq̃ humaniter. Quæ quidem Celſ. tuæ beneuolentia inſignis cum ex tam propenſo in me animo fuerit profecta, non dubito, quin etiamnũ conſtanter erga me ſeruetur, nec ob tantam temporis ac locorum intercapedinem penitus ſit exſtincta. Eius fiducia hoc quicquid eſt literarũ ad Celſ. tuam mittere audeo, per hanc præſertim veteris meæ ac aſſiduæ in Celſ. tuam obſeruantiæ teſtificandæ occaſionem, q̃ mihi adeo cõmodam dari, vehementer gaudeo. Proficiſcitur namq; ad vos filius meus Gerhardus Ranzouius, quẽ potentiſſimus Rex meus, ad potentiſſimum Hiſpaniarũ Regem Dn. Philippum, cum literis pariter ac mãdatis, itinere per Belgium & Gallias Madrilum verſus conficiendo ablegauit. Atq; hoc iter vt prędicto filio meo Regia voluntate decerneretur, factum eſt, ob Gallicæ linguæ, quam in Aula principiſſę Arensburgenſis, vbi educatus eſt, didicit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

& Hiſpanicæ peritiã in eo non plane nullam, Italicæ
item cognitionẽ, quam proximis annis Hieroſolymis
rediens in Italia, vbi biennio commoratus, adeptus
eſt. Præter regia autẽ negotia, de cauſa etiam illa mu-
tui, ꝙ tum Carolo V. Imper. laudatiſſimæ memoriæ,
tum ciuitati Antuerpienſi meus ac vxoris meæ parẽ-
tes, egoq; ipſe multis ab hinc annis dedimus, coram
potentiſſimo Hiſpaniarũ Rege, filio meo agendũ eſt.
Quamuis autẽ potentiſſimi Regis mei auctoritas, vt
& ipſius cauſæ grauitas potẽtiſſimo Hiſpaniarũ Regi
ipſum facile (ſpero) ſint cõmendatura: ad expeditionẽ
tamen & velociorẽ negotiorum ſucceſſum patrono
alio ipſi peropus fuerit. De quo cũ paſſim & ſolicite
diſpicerem, neminẽ in potentiſſimi Regis Hiſp. aula
quẽ noſſem, præter Celſ. tuam, reperi. Fretus itaq; ve-
tere illo Celſ. tuę in me fauore ac amore eximio, Celſ.
tuę natũ illum meum ſummo cum ſtudio reuerenter
cõmendo: eamq; ſubmiſſe rogo, pro ſua, qua in Regia
aula pollet auctoritate, ipſum iis, quibus eguerit, libe-
raliter iuuet, benigneq; efficiat, vt ad potentiſſimum
Hiſpan. Regem facile admittatur, a Regia eius M^{te}
clementer audiatur, negotiis deniq; ex voto cõfectis,
beneuole dimittatur. Quod ſi potentiſſimus Rex Hi-
ſpaniarũ Madrilo forſan abfuerit, Olyſipponẽ profe-
ctus ob turbas, in regno Luſitanię nouiter accepto ſe-
dandas; a Celſ. tua peto q̃ diligentiſſime, vt filio meo
cõmendatitias ad Regiam M^{tem} benigne communi-
care, eoq; promouere ipſum dignetur. Hoc Celſ. tuæ
patrociniũ, vt potentiſſimo Regi meo gratũ fuerit, ſic
mihi, atoq; imprimis honorificũ, id ꝙ illuſtriſſimo
ſplendori tuo illuſtrando vtrumq; deuinxerit quam
arctiſſime, quod quidẽ omnibus officiorũ modis, o-
mniq; loco & tempore teſtatũ facere, ſummæ nobis
curæ erit. Hoc Celſ. tua de nobis certo ſibi perſuaſum
habeat: quam rogo magnopere, vt huic audaci ſcri-
ptioni ignoſcat, & veterem ſuam in me, nouam hanc
in filium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

in filiũ beneuolentiam, firmiter porro retineat. Deus Celſ. tuam florentẽ, & incolumem longum ſeruet ex prædio meo Hatſtedio in Ditmarſia, Calen. IXbris Anno C. M. D L X X X I.

SERENISS. AC POTENTISS. PRINCIPI AC DOMINO, Dn. Iacobo V I. Scotorum Regi, S. D.

HENRICVS RANZOVIVS Produx Cimbricus.

VEhemẽter gauiſus ſum, Rex Sereniſſime, vbi cognoui Maieſt. T. Obſlouiam in NorWegiam nauibus e regno tuo incolumẽ appuliſſe; & poſt XXIII. Die IXbr. ibidem cum Sereniſſima Domina ANNA, Regis Friderici II. piiſs. memor. filia, nuptias, prius per legatos contractas, feliciter celebraſſe: Ac inde hac aſperrima hyeme via terreſtri per NorWegiã Coroneburgum, Danię propugnaculũ maritimum, cum omnibus ſuis ſaluam perueniſſe, & Hafniæ cũ Regina matre, auo vxoris tuæ Duce Megapolitano Vlrico, & Henrico Duce BrunſWicenſe affine, amicitiã iniiſſe. Hæc omnia tuæ M^ti^ humiliter gratulor: Deumq; oro, vt illud matrimoniũ numine ſuo firmet ac ſecundet, magno Daniæ & Scotiæ, imo communi totius Chriſtiani cætus incremento ac bono.

Cęterum percuperem, dari occaſionẽ, qua Maieſt. tuę adeſſe, ipſiq; ſubiectionis officia pręſens exhibere poſſim. Quod cũ per negotia mihi commiſſa non liceat, ſignificandæ huius voluntatis mea cauſę, Maieſt. tuæ nonnullos librorũ meorum, auro ac holoſerico cõpactos, ſcrinioq; incluſos mitto, nimirũ De conſeruanda valetudine, deſcriptionẽ arcis meę Bredenbergæ: & de annis Climactericis: quibus adieci quartum tomum vrbium Georgii Brunii, in quo præcipua

Daniæ, NorWegiæ ac Holſatiæ loca deſcribuntur; aliaq; nõnulla, quæ Maieſt. tuæ in hac tua profectione nõ ingrata futura putaui. Ea vt Mtas T. clementer accipiat, ſubmiſſe oro. Scripſi ad filium meum Gerardum Ranzouiũ Coroneburgi præfectũ, vt is Mti tuæ, & hæc munuſcula chartacea meo nomine reuerenter offerat, & meã pariter ſuamq; ipſius obſeruãtiam omni opera eidem probare, & Mti T. in venationib⁹ & aucupiis præſto eſſe ſtudeat, vt tædiũ temporis Mti T. adimatur. Eum officio ſuo non defuturum ſpero. Quod ſupereſt, Rex clementiſſime, Mti T. me meosq; demiſſe commendo. DEVS Mtem T. ac Sereniſſimam coniugem, cum legatis noſtris ac reliquo comitatu ſecunda ac ſecura nauigatione in regnũ ſuum reducat, diutiſſimeq; ſeruet incolumem, ac omni bonorum cumulo largiter augeat. Segebergæ, Calend. Decemb. Anno C. M. D. LXXXIX.

EPISTOLÆ DE OBITV AC SEPVLTVRA IOANNIS RANZOVII, HENRICI FILII: ET EPITAPHIVM eiuſdem: Teſtimonium item Academiæ Heidelbergenſis, de fidelitate Antonii Caucii præceptoris, quam ægrotanti Ioanni Ranzouio diſcipulo præſtitit.

WOLFGANGVS DORNIVS

Henrico Ranzouio ſignificat, filio Ioanni defuncto, ex mandato ipſius monumentum eſſe erectum.

NObilis ac Generoſe vir, domine & patrone perpetua mihi obſeruantia colende, literas T. G. vna cum pecunia ad erectionem monumenti deſtinata, &

Epitaphio,

Epitaphio, recte accepi. Præcipue intellectu mihi iucundiſſimum fuit, Caium Ranzouium, cui Elizabetham filiam tuam deſpondiſti, adhuc proſpera vti valetudine. Vix enim dici poteſt, quanto vterque in periculo, peſte hic graſſante, fuerimus. Caius enim, cum Ioanne, piæ memoriæ, ſemper in vno eodemq; lecto dormiebat, donec peſte hic corriperetur. Ego ſepulturæ adfui.

Finitis exſequiis, non longam in vrbe moram traximus: ſed continuo, omnibus relictis impedimentis, in pedes nos coniecimus. In itinere demum conduximus currum, quo iter cœptum continuaremus. Valde enim metuebam, ne & Caius ex aere illo peſtilenti morbum, vel aliud quid vitii contraheret: a quo tamen tempore, cum tot menſes interceſſerint, nihil amplius metuendum erit periculi. Quare & ego poſt modum, cum audiſſem peſtem deſiiiſſe, librorum, ſupellectiliſq; auferendæ gratia, iſthuc me iterum contuli. Ac conſtitueram intra quatriduum hinc diſcedere. Verumtamen tua de erigendo monumento, in filii defuncti memoriam, intellecta voluntate, mutaui ſententiam: neque prius mihi hinc migrandum putaui, quin tuo iuſſui abunde eſſet ſatisfactum. Egi itaq; cum lapicida, artifice in hoc genere inſigni: qui etiam monumentum hoc perfectum reddidit. Iconem eius tranſmitto, vnde ideam operis quodammodo coniicies. Tumba ipſa conſtat ſolido marmore: & inſignibus gentilitiis decorata, elegantibus ornata literis, ligneiſque cancellis cincta eſt: vt a prætereuntium puerorum iniuriis eo ſit tutior. Nullum præterea non moui lapidem, vt ſenatui perſuaderem, conſeruationem huius monumenti, certa pecunia numerata, quo in ſe reciperet. Quod tamen ſenatus recuſauit: quare ipſe illud tecto operiri curaui. Illuſtriſſimus autem Princeps Dn. Caſimirus, Palatinus Rheni, & adminiſtrator Electoratus, pro ea qua eſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

in Deum pietate & in te beneuolentia, per Secretarium clementiſſime mihi ſignificauit: quod ſi defuncti filii exuuias in Eccleſia, vbi Electores humati ſunt, vellem ſepeliri, mandaturum ſe, vt locus mihi monſtretur ſepulcro idoneus: & non ſolum illud libenter ſe conceſſurum, ſed quod ibi magis ſartum tectumq; foret monumentum, cupere etiam clementer, vt locum indicatum deligam. Ego, vti iuſſeras, reuerenter & ſubmiſſe egi gratias: dixique, me principis laudatiſſimi hac in re oblatam beneuolentiam Generoſ. T. ſummopere prædicaturum: nihilominus tamen collocaui monumentum in loco, vbi ſepultus eſt filius. Reſiduum quicquid erit pecuniæ, quod his vſibus non impendi, illud omne cum venero, reſtituam, & de expenſis reddam rationes.

Nihil iam reliquum eſt, niſi vt mœrorem conceptum abiicias, & filium tuum pie mortuum, & ſub conſtructo monumento reconditum, religioſe ſinas quieſcere. Luctu enim reuocari in vitam hanc non poteſt. Sed aliquando, vbi Deo viſum fuerit, tu ad illum venies: quando in nouiſſimo die, non ſolum Ioannem filium, ſed & vtrumque parentem, omneſque tuos, coram videbis, & mutuo illorum complexu frueris. Vale patrone honorande, virilemque capeſſendo animum, te nobis & Reipubl. quam diutiſſime incolumem ſerua. Dabam Heidelbergæ ad Nicrum, Calendis Iulii, Anno Domini M.D. LXXXIII.

***

EPITA-

EPITAPHIVM IOANNIS RANZOVII, HENRICI FILII,

quod pater marmori inciſum, in memoriam ipſius, Heidelbergæ ad columnam ſacræ ædis D. Petri in cœmiterio collocari fecit.

IOANNES RANZOVIVS loquitur de ſeipſo.

Siſte gradum, quisquis tranſis hac forte viator,
Vt diſcas mortis triſtia fata mea.

EGO IOANNES RANZOVIVS, INFELIX PVER, HENRICI RANZOVII FILIVS, IN HANC VRBEM, LITERARVM GRATIA, CVM DVCIBVS HOLSATIÆ, DN. FRIDERICO ET DN. PHILIPPO MISSVS, PESTE CORREPTVS, ET PAVLO POST IN VERA INVOCATIONE DEI, AN. M. D. LXXXII. OCTOB. XVII. MORTVVS, AC SINE CEREMONIIS FVNEBRIBVS, EIVSDEM DIEI VESPERA HIC SEPVLTVRÆ DATVS, ET SIC HVMANA OPE DESTITVTVS, A DEO AVTEM EX HAC MORTALI VITA AD PERPETVAM IMMORTALITATEM EVOCATVS, IN PATRIAM COELESTEM LOCATVS, ET A TRISTISSIMO PARENTE HOC MONVMENTO DONATVS, RESVRRECTIONEM

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

MORTVORVM, ET REPARATIONEM OMNIVM RERVM EXSPECTO.

Durum eſt extra patriam mori.

IOANNES RANZOVIVS, PARENTEM, QVATRIDVO ante mortem, de rerum ſuarum ſtatu certiorem facit.

SIngulari cum gaudio, mi pater, intellexi ex tuis literis, te, matrem, ceteroſque omnes familiares belle valere, nos quoque hic coniuncti, Dei beneficio, proſperrima fruimur valetudine. Miror, mi pater, literas meas ad te tardius perueniſſe: & cum ternas ſcripſerim, vnicas tibi tantum eſſe redditas. Confido tamen, iam tibi eas literas lectas eſſe, quas Marco Meuio Lubecenſi commiſi, eas enim redditas eſſe confido. His quia te de meis ſtudiis certiorem feci: nulla repetitione ſignificationis eiuſdem eſſe puto. Mitto librum de omnibus Academiis, qui recens editus eſt. Ego hic, pater, optime valeo: & quod de cœli grauitate conquerar, non habeo. Hæc ſunt quæ te ſcire velle putaui. Deus vos ſeruet incolumes. Heidelbergæ, XII. Octobris, Anno M. D. LXXXII.

***

TESTI-

TESTIMONIVM ACADEMIÆ HEIDELBERGENSIS, DE FIdeli cura Antonii Caucii, quam adhibuit aduerſa valetudine laboranti Ioanni Ranzouio.

RECtor Academiæ Heidelbergenſis Ludouicus Grauius, Medicinæ Doctor, lecturis debitam reuerentiam & ſalutem. Quanta ſit miſeria humana, quæ a primo ſtatim ortus noſtri tempore nobiſcum incipit, & dum vita conceditur, durat: quanta deinde vitæ fragacitas & incertitudo: nullius vel eloquentia, vel ſapientia, quantumvis magna, commemorari aut explicari poteſt. Et quotidiana exempla oſtendunt, ac εἰκόνας præ oculis ponunt, nihil hac vita fragilius, nihil inconſtantius eſſe. Inde viri ſapientes & docti, cogitantes vitæ fugacitatem, ærumnas, incertitudinem: multas grauiſſimas querelas ediderunt, quales ſunt:

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo:
Et ſubito caſu, quæ valuere ruunt.

Item facilior eſt mutatio hominis, quam muſcę in pariete. Etſi autem in hac meditatione humana, nullæ nec cauſæ, nec conſolationes traduntur firmę, quibus munire nos aduerſus has miſerias poſſimus: ſed inania μαλάγματα quædam adhibentur: nos tamen qui diuina ſcriptura inſtructi ſumus, cauſas harum miſeriarum veras ſcimus. Nam peccati ſtipendium mors eſt. Et conſolationes præterea certas, non tantum in miſeriis & calamitatibus, ſed etiam in media morte habemus, quibus confirmamur, erigimur & viuificamur. Ac commonefaciunt etiam nos quotidiana hęc fragilitatis ſpectacula, de timore Dei, de modeſtia, de æterna in futura vita lætitia. Quarum ſubiectionum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

has miſerias, quæ quotidie oculis noſtris obuerſantur, teſtimonium eſſe certiſſimum & euidētiſſimum, dubium non eſt. Non enim ad has ærumnas initio conditos eſſe & naſci homines, tanta arte & ſapientia fabricatos, rationis ipſius iudicio & teſtimonio conſtat. Huius fragilitatis vitæ humanæ teſtimonium ac exemplum nobis exhibuit Ioannes Ranzouius, iuuenis pius, obſequens, ac in literis bene verſatus: qui natus eſt ex vetuſtiſſima, nobili & equeſtri familia, in qua plurimi pietate, ſapientia, prudentia, fortitudine, ſcientia rei militaris & gubernationis politicæ, ac eruditione præſtantes viri præ aliis claruerunt, ac hodie eo nomine celebrātur. Is enim iuuenis peſte correptus, & paucos dies afflictus, XVI. die Octobris eadem exſtinctus eſt. Quo triſti caſu, pro paterno, quo erga omnes ſtudioſos affecti ſumus animo, vehementer perturbati ſumus: tum quod Illuſtriſſimis Principibus ac Dominis, Domino Friderico & Dño Philippo, fratribus, heredibus Norvvegiæ, Ducibus Sleſuici, Holſatiæ, Stormariæ ac Dithmarſiæ, Comitibus in Oldenborch & Delmenhorſt, ac reliquis Nobilibus & domeſticis, maximam conſternationem ex domeſtici Ranzouii morte concitari: tum etiam quod parentes piiſſimos, præmaturo Ranzouii filii obitu, in ſummum ac acerbiſſimum dolorem ac luctum conici: & noſtræ etiam Academiæ formidinem ingeri videremus. In hoc igitur contagioſo & formidoloſo morbo, cum D. Antonius Cautius, Illuſtriſſimorum Ducum Holſatiæ, ac nobilium domeſticorum, & defuncti etiā Ranzouii præceptor, ſemper huic in morbo adfuerit, & fidelitatis diſcipulo ſuo a ſe præſtitæ teſtimoniū ſibi dare & perhiberi petierit: nos id denegare ei nec debuimus, nec potuimus: cum quod petitionem eius & honeſtam, & prudentem, & ipſi neceſſariam eſſe iudicemus: tum quoque quod propter ſingularem pietatem, vitæ integritatem, erudi-

tionem

tionem, ac fidelem etiam Illuſtriſſimis Principibus, Ducibus Holſatiæ, ac nobilibus domeſticis, qui ſub eius diſciplina ſunt, nauatam inſtitutionem, nobis omnibus & ſingulis cariſſimus ſit. Teſtamur itaq; hoc publico ſcripto, prædictum Dominum Anthonium Cautium vere paternum affectum erga diſcipulū decumbentem oſtendiſſe: ſemper ab initio morbi, neglecto ac ſpreto vitæ propriæ diſcrimine ac periculo, huic adfuiſſe. Et licet ipſe medicus ſit, nihilominus tamen aliorum clariſſimorum & præſtantiſſimorum medicorum ope conſilioq; vſus eſt: Nihil omiſit curando, confortando, præſentia ſua aſſidua conſolando, in vera de Deo religione ad pium ex hac vita diſceſſum, diſcipulum inſtituendo & confirmando: ita quod piiſſimi patris & coniunctiſſimi conſanguinei vices eum obiiſſe, & fideliſſimi præceptoris officio functum eſſe, vere affirmare poſſimus. Nec dubitamus, optimum hunc iuuenem, vi peſtilētiali tandem ſuperatum, & piæ inſtitutionis fructum hunc percipientem, quod pie & placidiſſime, ſine alicuius animi vel corporis cruciatu, ex hac miſera & caduca vita euocatus eſt, iam modo diuinę maieſtatis & omnium angelorum & Sanctorum conſpectu frui & lætari. Porro autem ſuperioribus de cauſis, prænominatum Dominum Cautium omnibus, cuiuſcunq; ſtatus, dignitatis, ordinis, ac conditionis ſunt, apud quos teſtimonio noſtro opus habuerit, cum debita ſubiectione ac reuerentia commendamus. Datum Heidelbergæ, ſub ſigillo Rectoratus, decimoquarto Calendas Nouembris, Anno milleſimo, quingenteſimo octuageſimo ſecundo.

* * *

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO S. D.

DAVID CHYTRÆVS D.

LIteras tuas, nobilis & magnifice Domine, datas 21. Martii, triduo poſt in feſto Paſchę accepi, vna cum Epitaphio filii tui Heidelbergæ ex his terris euocati: de quo grauiſſimos & eruditos Paulini verſus ex Panegyrico ad Pneumatium recte me vſucapturum exiſtimo:

Gratuler an doleam? dignus vtroq; puer.
Cuius amor lacrumas, & amor mihi gaudia ſuadet,
Sed gaudere fides, flere iubet pietas.
Tam modicum patribus tam dulci e pignore fructum
Defleo in exiguo temporis eſſe datum.
Rurſus vt æternæ bona voluo perennia vitæ,
Quæ Deus in cœlo præparat innocuis:
Lætor obeſſe breui functum mortalia ſeclo,
Vt cito diuinas perfrueretur opes.
Ne terrena diu contagia, miſtus iniquis,
Duceret in fragili corporis hoſpitio:
Sed nullo iſtius temeratus crimine mundi,
Dignius æternum tenderet ad Dominum.
Ergo Deo potius quam nobis deditus, &c.

Cetera, ne dolorem tuum tempore ipſo iam lenitum refricem, omitto. Reuerenter autem oro, vt hunc honeſtum & eruditum iuuenem, M. Dauidem Vaſmarum, beneuolentia & patrocinio tuo complecti, ac ſi aliquis tui ordinis pædagogum & cuſtodem filio in Academiã aliave loca mittendo, adiungere velit, commendare digneris. Nõ enim bonis literis ſolummodo, ve-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

do, verum etiam bonis moribus, fide, & diligentia in omni officio excultum cognoſces. Quod te ſingulis epiſtolæ meę capitibus poſt menſem velle reſpondere, & quæ peto effecta dare, oſtendis; reuerenter gratiam habeo. Nouæ gubernationis Liuoniæ formam a Poloniæ rege Stephano in proximis comitiis de conſilio Senatus inſtitutam, hodie typographo excudendam dedi; quam abſolutam ſtatim habebis. Accepi ſimul priuilegiorum Rigenſium confirmationē regiam, & orationem Præpoſiti Ieſuitarum apud Senatum Rigenſem, de collegio ſocietatis illius Rigæ inſtituendo habitam; & alia quædam ſcripta; quæ ſi legere tibi liberet aut vacaret, non grauate mitterem. Bene & feliciter vale heros præſtantiſſime. Feriis Paſchæ anno M. D. LXXXIII.

GVLIELMVS DEI GRATIA, LANDGRAVIVS HASSIÆ, COmes in Catzenelnbogen, &c. S. & conſtantem beneuolentiam mittit.

HENRICO RANZOVIO,
Produci Cimbrico.

NObilis & magnifice, ſincere nobis dilecte: Literas tuas Bredenbergæ Cal. Quintil. datas, accepimus, & ex iis, te viribus tam corporis, quam ingenii adhuc integris antiquum ſtudiorum mathematicorum curſum gnauiter vrgere, ſingulari cum voluptate cognouimus. Id genus ſtudiorum cum ſuperiori ætate noſtra mediocriter nos quoq; habuit diligentes, ſollicitos & exercitatos: tum nec hac ingruente

Epiſt. e Germanico conuerſa.

ſenecta nobis ſordet, quamuis hæc tam nos affligat, vt parum in illis vlterius proficere poſſimus. Nihil tamen nos per has moleſtias ab inueterato illo Vraniæ amore remittimus; ſed dum per ætatem minus quid eximii pręſtare nobis ipſis licet, doctos nonnullos & induſtrios adoleſcentes alimus, horumque opera, & ope organorum perquam exacte & affabre confectorum, quorum haud vſquam exſtare credimus ſimilia, annuente diuina bonitate, ſtellarum fixarum motus, quorum veritas tam in longitudine quam in latitudine, quin etiam diſtantia ipſarum inter ſe, ab annotatione tabularum, quæ circumferuntur, plurimum diſtat, nos correcturos confidimus. Quod ipſum e catalogo, quem re confecta & abſoluta miſſuri ſumus, plenius cognoſcere poteris. Vtrum vero fixæ ſtellæ peculiaribus quibuſdam motionibus, hactenus ob tarditatem neglectis, ferantur, an vero conſignationes veterum perperam excuſæ ſint, iudicet poſteritas. Liber tuus de periodis imperiorum, quem ſuperiori hyeme nobis tranſmiſiſti, diligenter & accurate a nobis fuit perlectus: in quo complures caſus notatu dignos inuenimus: quo nomine admodum nobis grata foret iterata illius, quem auctum iam prælo ſubieciſſe ſcribis, editio. Ac, vt tecum concludamus, omnia ſpectant ad ruinam & interitum: ſed ante ruinam magna fiet & horribilis totius orbis concuſſio. Quemadmodum idipſum Chriſtus, prophetæ, aſtrorum poſitus, & omnes Rerumpubl. circumſtantiæ ſatis ſuperque teſtantur; & præ ceteris inteſtina noſtra in rebus ſacris diſſidia, ac ingens animorum cæcitas: quod vitium certiſſimum eſt inſtantis ruinæ indicium. Fatales autem neceſſitates videntibus & agnoſcentibus eas, ſunt ineuitabiles. De nouis Gallicis quicquid iam habuimus, tibi hiſce communicatum voluimus clementi & beneuolo affectu, quem in te conſtanter retinemus.

Datæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Datæ e munitione noſtra Caſtellana, VIII. Calend. VItil. Anno Chriſti M. D. LXXXV.

ALEXANDER PARMÆ, PLACENTIÆQVE PRINCEPS, Ordinis aurei velleris Eques, Sereniſſimi Hiſpaniarum Catholici Regis in Belgio gubernator.

HENRICO RANZOVIO, Produci Cimbrico. S.

Literas tuas Bredenberga, prima Decembris proxime præteriti anni ad nos datas, accepimus, & ſiquidem cauſa tua iuſtis poſtulatis inniti videtur, petitioni tuæ libenter annuimus, atque ad Antuuerpienſes ſcripſimus in eam ſententiam, quam ex adiuncto hiſce exemplo poteris intelligere. Perſuademus itaque nobis, illos nihil omiſſuros eſſe eorum, quę ab ipſis, vt tibi, tuiſque ſatisfiat, præſtari vnquam poterunt. Verum cum ciuitas illa pernicioſorum hominum aſtu atque tyrannide in eum ſtatum adducta ſit, vt commiſeratione digna videatur: omnino nobis de te pollicemur, quod ea, quæ tibi tuiſque vigore inſtrumentorum debentur, non eo, quo par erat, tempore, præſtita fuerint, aut etiam poſthac forte non ſtatim præſtari, queant, id te iniuriæ temporis aſcripturum. Ideoque a ſtricta iuris via, repreſſaliis atq; durioribus illis remediis, quæ tibi ex pacto illo permittuntur, ad æquabilitatem & humanitatē aliquantulum eſſe deflexurum. Erit hoc prudentiæ ac virtuti tuæ (: quæ nobis a Sudermanno aliiſque lauda-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

tis viris mirifice prædicatur:) maxime conſentaneum, nobiſque pergratum, quod vbi res poſtulabit, benigne liberaliterque reponemus. Datum Bruxellis XIIII. Martii, Anno &c. LXXXVI.

Alexander manu ſua.

CAROLVS DEI GRATIA, PRINCEPS ET COMES ARENburgenſis, &c. S. P. D.

HENRICO RANZOVIO Produci Cimbrico.

E Germanico conuerſa.

NObilis & magnifice Vir, amice nobis admodum dilecte: Ex amico & beneuolo in te animo te celare nolumus, per diuturnam illam & iniuſtam rebellionem hoſtilemque eorum pertinaciam, qui contra potentiſſimum Regem Hiſpaniarum, dominum noſtrum clementiſſimum armis ſumtis, in Selandia & Hollandia tumultuantur, ceteras Belgii prouincias, quæ fideliter adhuc Regiæ ipſius Maieſtati parent, ad magnam annonæ penuriam ob interclusa itinera, quibus frumentum aduehatur, redactas eſſe, adque maiorem indies redigi. Cui inopiæ vt occurreretur, & ſubditi victus difficultate liberarentur, hactenus ſatis proſpici non potuit. Et quamuis ſpes aliqua mediocris leuaminis nobis affulgeat ex meſſe inſtanti, quæ ſatis apparet copioſa, vt eius vbertas caritatem nonnihil ſit ſubleuatura: tamen cum paſſim in agris ſementis nondum facta ſit, verendum eſt, ne proxime affutura hyeme idem vulnus recrudeſcat, ac vehementius has oras vexet. Accedit huc eorum, qui manuarias

manuarias operas tractant,ingens ærumna,quam his infelicibus bellorum tumultibus, victu per opificiorum exercitia colligendo,experiuntur.Quemadmodum & illorum calamitas haud eſt exigua, qui e cenſu ac reditibus vitam tolerare conſueuerunt. Vnde pernicies miſerabilis, & ingens vaſtitas harum regionum eſt metuenda. His tamen incommodis,vt,quoquo modo fieri poterit, Senatus,qui à Potentiſſimo Hiſpaniarum Rege, Domino noſtro clementiſſimo, Finantiæ (:vt vocant:) eſt præfectus, medeatur,& annonæ penuria per frumentum aduectum ſubleuata,ſubditi in fide conſtantes ac firmi retineantur; ad ſe pertinere duxit, in media, quibus frumenta tempori aliis e locis adueherentur, eſſe intentum.Quam curam ſuam vt Senatus ipſo opere afflictis probaret, Magnifico viro,Iacobo Fickio,Regiæ Maieſtatis Hiſpanicæ veteri miniſtro & commiſſario, harum rerum perito negotium dedit, vt in vicinis regionibus & vrbibus, ac inprimis in Holſatia veſtra frumenti vim mediocrem iuſto pretio compararet. Vtque de æris ſolutione & lucro haud vulgari, iis, qui mercaturam ac nauticam cum annona exercebunt, ſecure proſpiceretur, Senatus huius vrbis Bruxellenſis cōtractus modum ac formam ad aliquot modiorum myriades compoſitam,publico ſcripto diuulgauit.

Cum autem Illuſtriſſimus Holſatiæ Dux Adolphus longo iam tempore Regiæ Maieſtati Hiſpanicæ conſilia ac operam ſuam addixerit, tum quoque nuper ipſius Celſitudinis Capitaneus ac legatus Henricus Luchtius de beneuolentia ac promtitudine Principis ſui omnia bona fuerit pollicitus, quod nimirum, is, ſi de hoc negotio frumentario compellaretur, ad ſubleuandas harum terrarum anguſtias, ſingulari amore & cultu in Potentiſſimum Hiſpaniarum Regem, & commiſeratione in afflictos Re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

giæ ipſius Maieſtatis ſubditos, iſtam frumenti collectionem conſilio & auxilio ſit adiuturus; Tu vero, pro auctoritate, qua inſigniter polles, non ſolum conſilio, verum etiam ope tua coram Celſitudine illius plurimum momenti prędicto negotio afferre poſſis: Ideoque a Senatoribus Finantiæ diligenter rogati fuimus, vt publico bono, prædictum Fickium, dilectum noſtrum, qui has tibi reddit, & Reipubl. quam agit, cauſſam tibi commendaremus. Eorum nos petitioni ac voluntati iuſtæ & honeſtæ, pro noſtro in miſere exhauſtas has regiones affectu deeſſe noluimus. Quare amice rogamus ac volumus, vt ſæpius commemoratum Fickium, & eius negotium tibi curæ eſſe patiaris, patrocinio & ope tam coram Illuſtriſſimo Holſatiæ Duce, quam alibi, quaqua ipſi opus fuerit, iuues, omninoq; efficias, vt fructum ſe aliquem noſtræ commendationis percepiſſe, & coram nobis, & publice prædicare poſſit. Hoc vt te lubenter minimeque grauate noſtro amori & honori daturum confidimus: ita viciſſim tibi omnia ſtudia ac ſinceræ beneuolentiæ officia tibi offerimus ac pollicemur. Quod te certo tibi perſuaſum habere, ac vna longum valere volumus. Datæ Bruxellis, IV. Non. Vtil.

Anno Chriſti M.D.

LXXXVI.

***

GVLIEL-

GVLIELMVS DEI GRATIA, LANDTGRAVIVS HASSIÆ, Comes in Catzenellenbogen, Dietz, Zigenhein, & Nidda, &c. Salutem plurimam, ac beneuolum animum mittit,

HENRICO RANZOVIO Produci Cimbrico, &c.

NObilis, Magnifice, & ſincere nobis dilecte. Literæ tuæ pridie Iduum Auguſti in Segebergenſi ſaltu datæ, vna cum carminibus adiectis redditæ ſunt nobis. Quibus impigre perlectis, carmina iiſdem inſita, ſtylum Ranzouianum repræſentantia, eueſtigio ſuboluimus; vt Muſis ea dictantibus te excepiſſe, nobis imaginaremur. Verum enimuero quoniam alii ea adſcribis, fides adhibenda eſt nobis. Nec minus iſti adſtipulamur, filium tuum Fredericum te plane inuito hoc iter ingreſſum. Ea enim natura ac indole præditi ſumus, vt quæcunque ad nos perferuntur, illico veriſſima nobis perſuadeamus. Vtcunque vero ſeſe res habeat, ac qualiſcunque tandem eorum auctor ſit, certe acu rem tetigit. De rebus Belgicis quicquid allatum ad nos, ex quo particularē harum prouinciarum ſtatum cognoſcere licet, tibi, omnia Clementiſſimi Principis officia pollicentes, tranſmittimus. Datum Caſſellis in munitione noſtra, ſeptimo Calendarum Septembr. Anno Chriſti LXXXVI.

E Germanico conuerſa.

IOANNES GEORGIVS DEI GRATIA, MARCHIO BRANdenburgenſis,&c. S. Romani Imperii Archicamerarius,& Elector. S. fauentiſſimam dicit.

HENRICO RANZOVIO, Produci Cimbrico,&c.

E Germanico conuerſa.

NObilis,& præclare, ſincere nobis dilecte: Meminimus adhuc non ita pridem, ꝗ canem venaticũ, qui ſua ſponte inueſtigat feras, & venatorẽ ad repertas deducit, a nobis petieris, quodq; nos clementer operam daturos reſpondimus, vt abſoluta venatione noſtra illi petitioni tuæ ſatisfiat. His pollicitis vt nos exſoluamus, per Regiæ Maieſtatis Danicæ miniſtrum præſentem duos canes illius generis, alterum quidem adultum, ac prouectioris ætatis; alterum vero adhuc iuuenem clementer tranſmittimus. Ille ſenior, quãuis tardius aliquanto inquirat: ſi tamen nonnihil temporis ipſi fuerit relictum, officium ſuũ egregie præſtare deprehenditur. Nec minus iunior ex genere præſtanti,& optimo, quem itidem, ſi nactus fuerit, peritum venatorem, ſuæ induſtriæ, & generoſitatis ſpecimen editurum confidimus. Quare abs te clementer petimus, vt vtrunq; canem tibi gratum,& acceptum eſſe patiaris. Quod munus, vt ex animo in te beneuolo profectum eſt: ita nos eundem vberius erga te declarare quocunq; tempore, loco, negotio fieri poterit, amanter recipimus. Datæ Coloniæ ad Sueuum VI. Id. Octob. Anno Christi M. D. LXXXVI.

HENRI-

HENRICO RANZOVIO VICARIO REGIS, S. D.

PETRVS LINDEBERgius Roſt.

QVAM verum ſit illud illius Lyricorum apud Gręcos Principis, venuſtum ac vetuſtum adagium: *Cum tribuunt homini vnum fata bonum, duplex ſubiungunt malum:* vnus ex multis, ſolus ex omnibus Ranzoui inclyte, teſtis es locuples, qui paucis ante menſibus, nouello & tenello generis tui ſurculo ac incremento, *id eſt*, nepote, quo confectis ſenio auis nihil gratius, nihil ſuauius, nihil amabilius accidere poteſt, a cœli terrarumque conditore benigne donatus, & egregie exhilaratus, nunc rurſum gemino affligeris dolore: dum nepte, quam paulo ante pręmiſiſti, & modo filia, filia cariſſima, cariſſima illa, illa Friderici Alefeldii cõiuge Catharina, etiamnum adoleſcentula, in ipſo ætatis flore, ſubito mortis caſu, proh dolor, abrepta, viduaris ac ſpoliaris. Dii boni, quæ rerum humanarum viciſſitudo hæc? quanta hæc metamorphoſis? Quam cito, quã ſubito poſt ſudum venit vdus Olympus, poſt riſum fletus, poſt gaudia mœror. Quid? nati ne ad hæc ludibria homines ſumus, vt tum potiſſimum cogamur arere, cum maxime cupimus florere, tum potiſſimum decreſcere, cũ maxime putamus ſuccreſcere, tum potiſſimum ad mortem accedere, cum arbitramur ętate procedere. Mehercle ad id nati, & quidem fatis deſtinati, ob protoplaſtę peccatum. Quis autem cõtra fatum, immutabile & ineuitabile? Nemo, vt opinor, ſanæ mentis. Quocirca neque tu, Heros generoſe, eidem refragare: ſed placide & pie fortunæ vtramque paginam, & hoc, quod tibi impo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ſitum diuinitus eſt, oneris, ferendo perfer. Fortiter ferendo vincitur malum, quod euitari non poteſt: & bonus animus in re mala dimidiũ eſt mali. Atqui hoc vt facias, non ſolum Prophetarum & Apoſtolorum te monent & mouent exempla, quemadmodum & aliorum ſanctorum, inprimis Iobi ſingularis patientia, in ſumma ſua afflictione dicentis: Dominus dedit, Dominus abſtulit: vt Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum: verumetiam Ethnicorum pertinax conſtantia, præ reliquis Anaxagoræ, qui audita filii morte, nihil ſibi ignotum & nouum nuntiari affirmauit, quod ex ſe natum mortalem ſciret: Deinde Periclis, qui duobus filiis intra quatriduum ſpoliatus, iiſdem diebus vultu non magis moto, quam ſi fuiſſet dura ſilex, cõcionatus eſt: Tandem etiam Pauli Æmilii & Xenophontis, quorum hic, cum filium fortiter pugnando interiiſſe animaduertiſſet, numina teſtatus eſt, ſe ampliorem ex filii virtute voluptatem, quam ex morte amaritudinem ſentire: ille duorum filiorum iacturam tam patienter pertulit, ac ſi non ex ſe, ſed alio nati fuiſſent. Cum tantam cõſtantiæ loricã induerint Ethnici, quanto magis nos Chriſtiani debebamus? qui maius cõſolationis armamentarium & paratius alleuamentum, ex ſacrarum literarum arcanis haurimus: Animarum nimirum immortalitatem, mortuorum reſurrectionem, & poſt hanc momentaneam vitam vitam æternam: In qua modo Filia tua Catharina, nomine & omine a peccatis pura, a morte & morbis ſoluta, a dolore & angore libera, in cœtu cœleſtium Dominarum, Euæ, Abigaelis, Mariæ, &c. beata viuit, teq; ſuum Patrẽ dulciſſimum, præpoſtero naturæ ordine in terris ſuperſtitem relictum, ſicuti & maritum ſuauiſſimum, & tres ſuos liberos vnice caros, Deo opt. max. commendat, minime cupiens, vt ob immaturũ ſuum ex hac vita diſceſſum, animo cadas, aut te proiicias, ſed vt cedas diuinæ

Maieſtati, quæ nobis hominibus non ſemper iucunda, ſemper tamen vtilia, & in hoc breui exilio, vel in æterna patria profutura, impertitur. Deum trinum & vnũ oro, vt in hoc tuo duplici luctu te confirmet, ne, licet admodũ angaris, prorſus mœrore frangaris: ne, licet paululum premaris, prorſus ſqualore deprimaris: ne licet aliquantulum procumbas, prorſus dolore ſuccumbas: vtq; in hoc arido & morbifero mundi ſenio, & imminenti tuo climactere difficili clementer te conſeruet, fatalis horæ ſpatium diutiſſime extendat, & oẽs tuas actiones ſecundet. Id votis ſuis expetunt, quibus benefacis quotidie, pauperes. Id, quos conſolaris ſæpe, precantur ſenes. Id, quos defendis vbique, probi optant. Id, quæ fulcis ſtrenue, templa & ſcholæ poſtulant. Id, Cimbrica Cherſoneſus patria, cuius tu iam non pater es amplius, ſed auus, precibus ſuis contendit, & ego cum illa. Datum Geltingæ in Anglia minore, Anno mirabilis prodromo: Epochæ autem Chriſtianæ milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo ſeptimo, octauo Calendas Iulii, quo ante annos quinquaginta Chriſtianus III. Daniæ Rex electus, a D. Ioanne Bugenhagio, qui & hoc ipſo die Anno 1499. in lucem editus, multa ſolemnitate & pompa Hafniæ coronatus eſt.

HENRICVS RANZOVIVS S.D.

PETRO LINDEBERGIO, R.

DEcimus iam agitur, Lindebergi optime, dies, cũ cõſolatorias tuas de obitu filię meæ literas accepi, quæ ſane mihi fuerunt gratiſſimæ. Confirmatus enim iis ſum (cur negem?) & erectus nõ parum. Quod prorſus: id non auſim affirmare. Hærent enim adhuc

inopinati iſtius luctus radices in pectore meo, obuerſatur adhuc oculis hiſcè filia mea, filia inquam cariſſima Catharina; eiusq; liberorum, mater vbi es, mater vbi es, clamantium eiulatus, aures circumſonant meas, & alia in mentem veniunt infinita, quibus tamen, cum diuinis eloquiis, tum literarum tuarum panchreſto ſuffultus, quemadmodũ hominem vere Chriſtianum decet, maſcule reſiſto, minime dubitans de filiæ reſurrectione, deque vita poſt hanc mortalem immortali. Quis ſcit quando me mea, te tua, fata manebunt? Ego mehercule, præterquam quod ipſo in limine climactericus meus difficilis ſit, indies, & quidem ſingulis horis, diſſolutionem huius corporis auidepieq; deſiderans exopto, & eſſe cum Chriſto Domino & Saluatore omnium noſtro cupio, cuius protectioni te Lindebergi cariſſime, commendo. Carolo Alefeldio nepoti meo ſalutem ex me plurimam dicito, eiq; vt materteræ ſuæ pie defunctæ epitaphium ſcribat auctor eſto. Segebergæ, An. ſalutis XXCVII. ſupra M. D. Iulii die ſecundo.

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO, S. D.

Georgius Bruno Agrippinas.

ILluſtris, Generoſe & Magnifice Domine ac Patrone, Domine obſeruandiſſime. Binis Mag. veſtrę literis, diuerſo quidem tempore datis, ſed ſimul præſentatis, iam reſpondendum erit. Ac quidem iis, quæ Epitaphium Nobilis Matronæ filiæ cariſſimę continebant. Legi illud, quod mihi placuit, quia verbis, rebus & modis eſt elegans. Conſolarer autem Magn. T. niſi

niſi ſciremus, mortem nobis diuini numinis iuſſu & diſpoſitione contingere. Et cum DEVS ſit optimus, idemq; ſapientiſſimus, illum nihil, niſi quod bonum eſt agere, & cuncta in hoc mundo diſponere ſuauiter. Cum vero Potentiſſimus, ſe, quisnam illi opponet? Cordati igitur viri eſt, eum dolorem, quem temporis longinquitas mitigare ſolet, lenire prudentia, ſapientia mollire. Interim Epitaphiorum munus grate accidit, quo quidẽ nomine gratias dico maximas. Id ad varios amicos meos paſſim tranſmitto. Nunc ad poſteriorem Epiſtolam tuam. Quod iſta initio de vtraque ad me transmiſſa ciſtella commeminit, ad id iampridem enodate ad me reſponſum fuit. Itaq; prolixior earum repetitione non ero, ſed bene valere Magn. tuam iubeo, 17. Auguſti. An. M.D.LXXXVII.

HENRICVS RANZOVIVS PRODVX CIMBRICVS S. D.

GEORGIO BRVNONI Agrippinati.

Literę tuę, vir Reuerende ac Clariſſime, quibus me de morte filiæ meæ conſolaris, fuerũt mihi gratiſſimæ, etſi enim ipſemet probe noui, homines nos eſſe, humanosque caſus fortiter eſſe ferendos: tamen literæ tuæ ad leniendum mitigandumque mœrorem ex morte filię meæ contractum, non parum momenti attulere. Gratias itaque pro hoc officio tibi ago, teque fugere nolo, me ex ſomnio quodam, quod de ſepultura amitæ meæ habui, hunc caſum prædixiſſe, quod ſomnium huiuſcemodi Epigrammate deſcriptum eſt;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

A. C. 1587. XVI. Maii, Hæc amita mea fuit abbatiſſa olim in Cœnobio Itzohoēſi, obiit A. C. 1564. Octogenario maior.

Nuper & in ſomnis amitam ſepelire videbar,
Quæ Catharina ſuo nomine dicta fuit.
Euigilans recito caris hæc ſomnia natis,
Nec minus algenti pectore triſtis eram.
Namq; obitum gnatæ viſum hoc prædicere ſenſi,
Cui quondam ex amita nomen & omen erat.
Nec mora; proh dolor, euentus reſpondit & iſta
Deprendi haud vera viſa carere fide.
Nam Catharina graui correpta eſt filia morbo,
Quem quoq; mors ſubito dira ſecuta fuit.
Illa ſepulturæ cauſam mihi præbuit, illa
In ſomnis viſus quam ſepelire, fuit.
Hic etiam luctus grauior mihi crede fuiſſet,
Ni præuidiſſem nocte ſilente malum.
Nam, quia præuidi, ſtudui ante venire dolorem,
Quem dederant mortis triſtia fata mihi.
Et luctum metuens ſolatia quærere cœpi,
Ex verbo nunquam decipiente Dei.
O felix qui non ſecure ſomnia ridet
Rite ſed obſeruat, quid ſibi cuncta velint, &c.

Hæc in præſentiarum reſpondere tibi volui, teque diuinæ protectioni commendo. Vale datæ Segebergæ 18. Auguſti, Anno C. XIIIC.

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO.

Albertus Leoninus, S. P. D.

ACcepi literas tuas, Heros clariſſime, quibus non mediocriter affectus ſum. Nam tuam optimam in me voluntatem, meque amicorum tuorum numero aſcriptum eſſe, ſumma animi lætitia cognoui, vicitq; exſpectationem meam tuæ humanitatis magnitudo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

tudo. Itaq; nunc quod mihi maxime in votis fuit con-
ſecutus: quanto quidem maior eſt tua illa non inani-
bus titulis, ſed ſpectata virtute omnibusque veræ ra-
tionis modis cōſtituta claritas; tanto illuſtriorem mi-
hi lauream obueniſſe ſentio; tantoq; magis mihi gra-
tulor, & aliquam eſſe in me genialem virtutis ener-
giam percipio: Multi enim dignitates, & virtutis inſi-
gnia, etiam inmerito & ſine virtute aſſecuti ſunt: ta-
lium virorum tantam beneuolentiam & iudicii teſti-
monia, ſola profecto virtus aſſequi poteſt; ea vero et-
iam præclara maximeque iucunda laus eſt, & exiſti-
matio, quæ a laudato præſtantique viro proficiſcitur.
Nomen igitur amici ſingularis, a te mihi inſcriptum,
ſumma lętitia & gratulatione, debitaque reuerentia
amplector & accipio, amicitiamque hanc inter nos
initam non modo literis conſeruare, ſed animi grati-
tudine, omnibusque officiis excolere ſtudebo. Neq;
etiam poſteris ignotum eſſe patiar, quod te non ab-
nuere video. Porro, vt nunquam quicquam eſt ab o-
mni parte beatum felixque, ſic me gaudio per literas
tuas delibutum, quę illis adiuncta erant Epicedia, rur-
ſum turbarunt; Dolui mediusfidius, vt debui, eoque
magis, quod quanto radicem ipſam ſiue arborem ex-
cellentiorem, tanto meliores eius plantas, longiore
vita & ꝓpagatione plurima digniores exiſtimarem.
Sed quandoquidem ita fuit viſum Deo, ad cuius glo-
riam totius naturæ vniuerſitas cōſtituta eſt & diſpo-
ſita, eam ex hac lacrumarum valle luteique tenebroſi
corporis ergaſtulo omnis imperfectiōis pleniſſimo,
& omnibus mundanæ huius externæ multitudinis
circumſonantibus malis in patriam, & ęternam vnius
in bono confirmatæ multitudinis beatitudinem per-
petuamque quietem reuocare, ipſaque anima in hac
naturæ vniuerſitate quaſi ſtadium cucurriſſet, tam
glorioſo expetendoque fine, tam præclara victoria
ad metam perueniens; vt ab iis nunc impedimentis,

quæ rationis vim, magnamq; æterni luminis partem perſtringebant & obſcurabant, omnique certaminis periculo ſoluta; miſera omnia, caduca, obſcura & impedita, veris, feliciſſimis, æternisque bonis & perfecta cognitionis & intentionis puritate commutauerit, nihil amplius dolendum, neque de præpropero vitæ exitu & paucorum annorum amiſſione querendum, quorum inſtar vmbræ fugiētium acceſſio nihil iuuare potuiſſet, ſed potius de repræſentata felicitate tantoque eius bono lætandum eſſe iudicaui.

Libenter autem, quod reliquum erat in amici officio, conſolatoriam ad te ſcripſiſſem; ſed neq; te tanta prudentia præditum, egere conſolatione putaui, neque quicquam a me proferri poſſe, quod tibi incognitum aut nouum videri poſſit; Neque vero etiam credendum eſſe, quin tu & cogites ſemper, penſitesque diligenter omnia, qui eam perſonam ſuſtines, vt in te tanquam in præclarum aliquod lumen, ſiue exemplar, omnium oculi conuerſi ſint. Impulit me vero meus in te amor, vt carmina quædam in obitum præſtantiſſimæ filiæ tuæ conſcriberem; ideoque licet occupatiſſimus, poeticen tamen, a multis annis prorſus omiſſam, in memoriam & paululum reuocaui, quo numeris ſaltem propriis ea, iuſtaque quantitatum proportione edere poſſem; quod ipſum tamē vt ſatis recte fecerim vereor. Nam quod ad poeticam venam attinet, nihil eſſe ſcio, vixque digna, quæ in conſpectum tuum veniant; neque enim Poeta ſum, neque vnquam fui, neque iam fonte labra prolui Caballino, vt ſic repente Poeta prodirem: ſed amator olim artis nunc vellicaui myrtos, ad condecorandum cœleſtes, aſtrorumque lauros. Qualiacunque autem ſunt, mittenda eſſe duxi, vt in eiuſmodi cauſa non & nihil efficiendo tibi deeſſe viderer, & tuam in me beneuolentiam aliqua deditiſſimi animi ſignificatione quam primum remunerarer, amiciq; nomine fungi

inci-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

inciperem: quæ ſi etiam ad leuandum dolorem nonnihil feciſſe videbuntur, gaudebo. Hac hyeme commorabor Coloniæ, niſi quid interpellauerit, ad nundinas autem ero Francofurti; mandabis igitur, ſi quid illic fieri vel curari a me velis, dirigendo literas tuas, vel immediate Francofurtum, ad Goſwinum Colinum Materni filium typographum Colonienſem illic in nundinis futurum, vel alioqui ad Metellum noſtrum. Quod ſi vnquam, ita ferente fortuna, ea loca verſus iter inſtituero, non illibenter ad te tam benigne inuitatus accedam. Immo interea vero etiam, ſi quid forte ſe tibi oſtenderit, heros clariſſime, in quo ego videbor Regiæ Maieſtati operam nauare poſſe, vt mei memineris peto; conſtitui enim (vt me inpellit Genius meus, ac neſcio quid præſagit animus) cōditionem, ſi cōmoda & me digna offeratur arripere, præſertim dum fortuna nos Belgas tractat haud ſuauiter, tempeſtasq; illa non remittere, ſed magis etiam ingraueſcere videtur. Etſi autem pluribus me rebus non inidoneum eſſe exiſtimem, vel legationibus obeundis, vel formandis gubernandisque (ſi qui ſunt) Regiæ Maieſtatis liberis, vel iuris cognitionem, vel rebus gerendis, tuisque prudentiſſimis conſiliis non minore fide expediendis; eam tamen functionem maxime optarim, quæ quam minimum habeat inuidiæ, meque Philoſophiæ interdum vacare patiatur. Sed tuæ hoc prudentiæ, qui omnia apud Regem potes, eſſe iudico. Quod reſtat operam meam non ingratam fore ſpero. DEVS ter maximus tuam Amplitudinem terque quaterque, anima ſcilicet & corpore felicem præſtet. Spiræ XII. Auguſti 87.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

HERMANNVS ADOLPHVS, COMES SOLMENSIS,

Dominus in Munzenberg & Sonnenwalde, Cathedralium Eccleſiarum, Colonienſis, Argentinenſis & Wirceburgenſis, Canonicus: S. & amorem conſtantem mittit.

Henrico Ranzouio Produci Cimbrico.

E Germanico conuerſa.

NObilis & Magnifice Domine, amice ſingularis. Etſi iam non habebam magnopere dignum ſcriptione: motus tamen recordatione beneficiorum ac officiorum, quibus ſuperiori hyeme agnatus meus Dn. Erneſtus Comes Mansfeldicus, &c. & ego, cum ad Potentiſſimum Daniæ Regem, clementiſſimum Dominum noſtrum vna iter haberemus, abs te cumulate ornati fuimus: non intermittere potui, quin oblata hac commoda occaſione aliquid ad te darem literarum. Res autem noſtras ſcito DEI benignitate, antiquam adhuc obtinere faciem, hoc eſt, lætam & ſerenam.

Exercitus Nauarræus diebus abhinc 14. ex his oris in Lotharingiam ſeceſſit, ibidem exurendis ac capiendis pagis, oppidis ac arcibus occupatus, indeque in Gallias ſeſe recepturus. Adieci his exemplar reſponſi illius, quæ iſtæ copiæ Maieſtati Cæſareæ ipſas e Germania diſcedere iubenti, dederunt. Hæc tibi, cuius ſum amantiſſimus & ſtudioſiſſimus, ſcribere volui. Deus te & nos ſeruet. Datæ Argentinę, prop rid. Kal. Septemb. An. C. 1587.

SEQVVN-

EPISTOLÆ DE OBITV ET FVNERE FRIDERICI RANZOuii, in Gallia, apud Bituriges, non procul a Champeraulx, per inſidias interfecti, & in oppidulo Couleuure ſepulti:

Effigies Friderici Ranzouii.



DOMINVS GAMASCHE, AD Illuſtrem ac generoſum Dominum de Schonberg, Comitem de Nanthueill, Mareſchallum Germanorum militum apud Regem Galliæ, de obitu FRIDERICI RANZOVII.

ILluſtris ac generoſe Domine, quod non ea, qua volebas, celeritate literis tuis reſpondi: mea non accidit negligentia. Si enim quiſquam eſt tui ſtudioſiſſimus, mihi profecto præ cęteris, res tuæ maximæ ſunt curæ. In culpa fuit aliud. Longum enim tempus iam hic commoror, neq; vel per miniſtros meos, vel amicos quoſdam præcipuos, quos huius rei gratia ſæpius hinc ablegaueram, comperire potui, quonam modo Nobilis ille Germanus, commiſeratione profecto dignus, quem amiſiſti, perierit. Poſt tot ſedulo habitas inueſtigationes, deprehendi demum, globulis æneis ipſum eſſe traiectum, ad extremitatē magni cuiuſdam lacus, prope arcem Champeraulx. Poſſidet hanc Dominus Beau Regardt Gadagnie, qui tempore cædis perpetratæ Moulini fuit, vt ex eius ad me exaratis literis, quas miſi, colligere licet. Cædis quidē inquiſitionem inſtituit, impetrato ſcripto regio: cuius ſe mihi copiam facturum promiſit. Verum auctores cędis fuga ſibi conſuluerunt. Eſt eorum alter miles ſtipendiarius de Curſi, quo in loco exercitus tui caſtra erant: alter coquus Domini de Beau Regardt. Plane exiſtimo, Dominū de Beau Regardt, pro excellenti ſua virtute, hac in re, officio ſuo & iuſtitiæ adminiſtrationi nō defuturum. Interfecti cadauer reperire nuſquam potui, quamuis de eo plurimū laborauerim. Scelerati namque nebulones tanta cautione iſtud per ſyluas abſcōderunt, vt nulla eius appareant veſtigia. Puer ab illis in arcem deductus fertur, poſteaq; rurſum dimiſſus. At ego cū Domino eum occiſum eſſe credo. Hoc quod de cæde ſcripſi, ipſiſſima eſt veritas. Cæterum ex animo do-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

mo doleo vicem iſtius nobilis. Vtinam captus fuiſſet. Multo certe pretio, ſi vel omnis ſubſtantia mea fuiſſet exhaurienda, in tui honorẽ ipſum redemiſſem. Nam de ſeruiẽtis tibi fide mea, illud audacter tibi pollicearis velim: me pro re, dignitate, ſalute tua, nihil non libentiſſime facturum, ſi vel cum certiſſimo vitæ fortunarumque mearum periculo coniunctum fuerit. Vale, &c.

DOMINVS COVLON, AD EVNDEM DOMINVM DE SCHONBERGK, &c.

ILluſtris ac generoſe Domine, literas tuas, quas ad me miſiſti, Domino Gamaſche tuo mãdato reddidi: qui confeſtim certo homini negotium dedit, vt Germanum nobilem, quem Lurceii amiſeras, inquireret. Is cum in reditu certi nihil afferret: dictus Domin' Gamaſche a me petiit, vt ipſe Lurceium proficiſcerer. Quod cum facile a me impetraſſet, in itinere quanto fieri poterat ſtudio inueſtiganti ſignificarunt, nobilem iſtum in agro arcis Champeraulx, quã Dominus BeauRegardt, tibi nõ ignotus, tenet, eſſe interemtum. Quia vero Dominus de Beau Regardt, cum ego adeſſem, peregre aberat, nec dum a ſuo ex caſtris diſceſſu domum reuerſus, ſed per aduerſam valetudinem Moulini detentus: vicem ipſius gerens plane incertus erat, quid ſibi in hac re agendum eſſet. Hinc præter cædem nihil ex ipſo reſciſcere potui: quod ſcitu admodum fuerit difficile, quo in loco eſſet ſepultus. Tandem ex multis indiciis cognoſcere erat, Domino de Beau Regardt admodũ graue eſſe, quod nefarium hoc facinus, eo in loco, cui ipſe præeſſet fuerit

perpetratum. Nec dubito, quin ſummo ſtudio latrones ſit perſecuturus. Id quod literis quoq; ab ipſo petii. Quibus quid reſponderit, ex adiunctis ipſius, ad 7. Ian. datis, perſpicere licet. In earum calce, quæ lituris ſignata vides, ad hanc rem non attinent. Vt vero certam rei hiſtoriam attexam: celare te non poſſum: homicidas illos, ſub reditum Domini de Beau Regardt ex arce Champeraulx clam aufugiſſe: quod ſibi ab eo, quem ob commiſſum ſcelus vehementer cõmotum eſſe ſciebant, metuerent. Per exploratores tamẽ, cum in arcẽ, quæ ex partibus Regis Nauarræi eſt, in Auueregne, confugiſſe eos reſciuiſſet: exuuiis defuncti ex terra effoſſis, codicillos & cætera ad hanc rem neceſſaria, confici curauit: atque hac de re ſtatim me vt primum corpus repertum fuit, certiorem reddidit. In cuius rei fidem, ipſas eius literas xxx. Ianua. ad me ſcriptas, prioribus addidi. Ante reperiri illud non potuit, etſi quam accuratiſſime quæſitum. Cæterum gladio percuſſus fuit, capite vulnerato, & pectore bis transfoſſo. Equum, cui inſidebat, per bombardę ictum primo confectum eſſe, credibile eſt. Puer ipſius biduum vel triduum prope arcem Champeraulx commoratus eſt. Deinde quæſiuit de via, quæ Bituriges ducit, ea ſpe, fore vt ibi Germanos quoſdam ſcholaſticos offendat, quibus cum hinc diſcedere poſſet. An ibidem adhuc commoretur, facile reſciſcam. Illud, Illuſtris & Generoſe Domine, tibi omnino perſuaſum habeas, Dominum de Beau Regardt nihil vel operæ, vel ſtudii prætermiſſurum, iuſtas ſupplicii pœnas ſicarii ne effugiant: vt conſtare poſſit, & ſcelus teterrimum maximo opere ipſum deteſtari, & tui eſſe ſtudioſiſſimum: vt vero vlterius procedatur, conſultum mihi viſum nõ eſt. Auctores enim cædis ex his regionibus profugerunt, domi tamen ſuæ liberis & vxoribus relictis. Alter Domino de Beau Regardt inſeruiit. Iam vero matrimonio contracto, per annũ officio caruit.

Vix

Vix abfuturum credo, quin rariori & clandeſtino reditu ſuos vterque reuiſat: præſertim vbi inquiſitionem ceſſare compertum habuerint. Atq; tum accurata eorum obſeruatio & cuſtodia non deerit. Corpus exangue balſamo inungi curaſſem, niſi putredo eius nimia, omnes Chirurgos, ne manum admouerent, deterruiſſet. Tandem σαρκοδόχῳ incluſum, honorifice intra ſacram ædem humandum curauimus: tali tamen in loco, vnde, ſi parentes voluerint, repeti facile poſſit. Atque hæc hactenus. De quibus, ſi quid plenius ſcire deſideraueris, publicos codicillos, quorum ſuperius memini (quos tamen integre confectos nondum habemus, quod teſtium quorundam enunciata, necdum excepta, iis inſerenda ſunt) ad te mittam. Vale feliciter. Dabantur Fontonai III. Februarii. Anno M. D. LXXXVIII.

HENRICO RANZOVIO S. D.

PETRVS LINDEBERGIVS.

CONtra decorum & omnem humanitatem facturus mihi videbar, Heros generoſe, qualicunque epiſtola, tibi in hoc ſummo tuo luctu præſto eſſem, & ſi poſſem, hac mei doloris ſignificatione, tuum quodammodo ſubleuarem. Etſi autem is ego non ſum, qui funditus profundum hoc tuum vulnus conſolationum mearum medicamentis, vt nunquam recrudeſcat, conſolidare poſſit: ea tamen expromam & proferam remedia, quibus ſi non prorſus ſanari, certe ex parte refocillari valeas. Atqui ne longius euager, primum omniũ inflicto vulneri linimenti loco, hanc

fati æternam ab æterno in æternum legem, inſeri iubeo; vt lignum natum eſt vri, ariſta ſecari, ſic homo mori. Deinde hoc cataplaſma ſuperimpones; Hominem ea conditione ſatum & natum, vt quandocunq; mundi ſummo Imperatori viſum, vitam hanc breuem & leuem, quam vſui, non mancipio accepit, derelinquat. Quibus, ſi prædicta ad dolorem tuum non ſatis erunt efficacia, fomenta hæc & acopa adiungantur: Hominis fragilitas, mortis æqualitas, vitæ huius breuitas, & alterius e diuerſo longæuitas. Videſis mihi hominis fragilitatem, aut, ſi mauis, fragilem hominem ipſum. Quid ille? Nonne lutum ſcite mixtum, mancipium mortis, tranſiens viator? Bulla leuior, momento breuior; imagine vanior, ſono inanior; vitro fragilior, vento mutabilior; vmbra fugacior, ſomno fallacior? Videſis mihi etiam mortis æqualitatem. Moriuntur Papa, Imperator, Reges, Principes, pauperes, diuites; iuuenes, ſenes; ſapientes, inſipientes, pariter omnes: nec vlli parcit lethum non lætum, Parcaque parca minus. Mors omnes omnibus æquat, & nihil aliud ipſa eſt, quam animæ a corpore abſceſſus, mera requies, & exitus mortalis vitæ. Mortalis autem vita eſt στιγμὴ χρόνου, exſpectatio mortis, ludibriorum ſcena, miſeriarum mare, atque vt breuibus multa dicam, vna hemina ſanguinis, quam quilibet leuis caſus rumpit, quælibet febricula corrumpit. Vnde Poetarum ille ſcite admodum cecinit:

Hæc vita haud vita eſt, ſed vitæ verius vmbra,
Cum viuo viua eſt, viuere, vita DEO.

Et alius quiſpiam:

Viuito venturam valeas vt viuere vitam,
Vita viri, vt ventus vel leuis vmbra volat.

Ventura autem vita, æterna illa eſt vita, vita illa vitalis & patria vera, nullus vbi labor eſt, nullus vbi dolor eſt, nulli luctus, nullæ lachrymæ, ſed feſtiuitas ſine fine, ſerenitas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ſerenitas ſine nube, pax ſine clade, æternitas ſine labe,& gaudia ſempiterna in ſempiternum. Quibus ꝓculdubio filius tuus Fridericus, cum auo & auia, fratribuſque duobus & ſorore, nunc fruitur, adſcitus in beatorum Angelorum conſortium, vbi breui ſequuturus eum videbis, quoque ego & omnes pii, quemadmodum Prophetarum & Apoſtolorum arcanis edocemur, depoſita hac mortali ſarcina, aliquando traducemur. Atat patre procul, patria procul, procul ſepulcris paternis occubuit miſer, inquies? De patre concedo. Interim tamen non inficias eo, quod præſens præſenti tibi maius forſan vulnus obitu ſuo inflixiſſet, quam abſens vnquam potuiſſet. Nam quæ nō vident oculi noſtri, minus tangunt & angunt pectora. De patria minime. Nō enim exiguum hoc, quod Cimbria coercet, quod Oceanus cingit, neque is locus vbi aerem primum hauſit, vbi infantia eius vagiit, ſed vniuerſus orbis, illius aliorumque mortalium patria eſt, Socrate teſte, qui interroganti cuiatem ſe ferret? Mundanum reſpondit, licet vt ſacra teſtantur eloquia, veriſſima & germana cœlum ſit. Atque vt verum fatear, animus magnanimus non includit ſe prædictis terminis, neque patitur ſe adſtringi ad certam terræ partem inſtar captiui, qui compede deuinctus vño perſtat in loco: ſed cogitatione & ſenſu totum hoc vniuerſum complectitur vt ſuum, quibus te quoque, Ranzoui illuſtris, ſubſcripturum non dubito. In bello, pergis, occubuit, & quidem a ſicariis percuſſus clanculum. Quid? illene ſolus, & nemo ante ipſum? At miſerabili & mirabili mortis genere periit. Scio & miſereor. Debuit autem tali genere fati. Debuit, inquam. Lata ita lex eſt, quam fruſtra ſolicitant acumina ingeniorum. Deus qui cœlum quotidie voluit & reuoluit, ſolem ducit & reducit: Deus qui triſtia ſubmittit & læta, & vt paucis concludam, qui omnium rerum diſpenſator eſt (: peccatum excipio,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

cuius auctor diabolus:) tali illum, nō alia, morte mori voluit, eius imperium alacres & pleno gradu ſequi debemus, quemadmodum milites, qui in caſtris audito viæ ſigno vaſa colligunt, audito pugnæ ſigno, deponunt, animo, oculis, auribus parati ad omne imperium. Sed hic paululum te attolle. quid illud miſerabile? cum omnia ad ſacoma trutinaris probe, mori & interire. Mori autem & interire, vt hominibus, ita etiam omni creaturæ commune eſt. Æterna enim lex naſci & denaſci, oriri & aboriri. Totum hoc mundi corpus adſpice. Ruet aliquando. Solem vide: defecit ſæpe. Lunam: tabeſcit. Sidera; labuntur. Tranſi ad aquas, flumina illa, quæ perennia dicuntur, alibi pereunt, alibi alueum mutant & curſum. Si terram intueris, quam immobilem referunt, motu concutitur, & diluuie corrumpitur. Si regum regna: occidūt. Si vrbes: harum vna emoritur, quando alia exoritur. Quod ſi cadauera cœli terrarumque futura ſunt, & ad interitum prædicta omnia deſtinata, quid doles, Heros generoſe, filium tuum? obiit ille nunc quidem, ſequemur omnes. Ah quid dico obiit, abiit ſaltem, nec periit, ſed præiit, nec occubuit ſed procubuit, nec amiſſus, ſed præmiſſus eſt per mortem in æternam patriam, ad quam ſuſpiramus omnes, tendimus cuncti, diuerſo tamen tempore, diſpari fato. Cur id? varia ad eam via eſt, dura, leuis; longa, breuis; lata, anguſta, quamuis vna eademque omnibus, vbi metam attigere, quies. Tuus filius per duram & breuem viam iſthuc peruenit, dum naturæ debitum, at ſceleri latronum indebitum, tranſuerberatus ſclopeto perſoluit. Alios per vndas eo ducit Deus, alios per ignem, alios alio modo, prout Maieſtati ſuæ libitum & lubitum. Hæc cum ita ſeſe habeāt, Mecœnas optime, tuæ prudentiæ & moderationis erit, remedia hæc propinata admittere, depromturus ipſe ex ipſo ſacrarum literarum myrothecio ſalubriora, nec huic Dei voluntati

repugna-

repugnare, neque immodico luctu & mœrore, quibus non tam leuantur mala, quam augentur, fruſtra te conficere. Vale, heros generoſe, meque nouum amicitiæ tuæ candidatum tibi commendatum habe. Datum in arce Epiſcopali Suaueſtedio, anno mirabili, *id eſt*, a partu Mariæ ſemper virginis octuageſimo octauo ſupra ſeſquimilleſimum, menſis Februarii die quarto & vigeſimo. Quo Imperator Rom. Carolus Quintus Gandaui in Flandria, anno M. D. in vitam venit: Et Franciſcum Gallorum Regem ad Papiam, anno M. D. XXV. deuicit, nec non Imperatoriam coronam Bononiæ a Pontifice Clemente VII. anno M. D. XXX. ſuſcepit. Et Imperium Ferdinando fratri, Anno M. D. L VIII. rurſum ceſſit.

HENRICVS RANZOVIVS, S. D.

PETRO LINDEBERGIO Roſtochienſi.

ETSI multarum rerum oneribus & curis, quemadmodum noſti ipſe, ita premor, clariſſime Lindebergi, vt reſpirare vix licitum: facere tamen nō potui, quin literis tuis, de obitu filii mei Friderici in Gallia cæſi, amantiſſime ad me perſcriptis conſolatoriis, breuibus reſponderem. Fuerunt enim illæ, cum propter multiplicia, quæ promis ad leniendum dolorem noſtrum remedia, tum propter ſermonis elegātiam, tam gratæ, tam iucundæ, quam tui ſimilium nullę. Vtque illud planius intelligas, vbi Segebergam, quemadmodum certe nobis recepiſti, te conferes, gratos

nos experiere. Interim longum vale,& tumultuariam hanc reſponſionem æqui bonique conſulens, de me,quæ velis,omnia tibi pollicere. Sed heus tu, percommode occurrit epiſtolam obſignaturo, quod omiſſum dolerem. Pauca hæc Epigrammata,quo vna typis deſcribantur, reliquis addi peto: quæ pro tua prudentia loco iuſto inſeres. Iterum vale. Segebergæ, Anno Chriſti XXCIIX, ſupra milleſimum & quingenteſimum, Martii die ſexto.

LITERÆ PROFECTIONIS QVIBVS HENRICVS RANZOVIVS,

Vicarius Regius, miniſtrum ſuum in Galliam ablegatum,vt de cæde filii inquirat,inſtruxit.

SErenіſſimæ Regiæ Maieſtatis Daniæ ac Norwegiæ,&c. in Ducatibus Sleſuigæ,Holſatiæ,Stormariæ & Dithmarſię locum tenens,Conſiliarius & Pręfectus arcis Segebergæ, Ego Henricus Ranzouius, Ioannis filius, vniuerſis & ſingulis, præſentes literas viſuris,lecturis,vel audituris,cuiuſcunque ſtatus conditionisve fuerint, poſt officiorum & beneuolentiæ meæ oblationem, notum facio: præſentis ſcripti exhibitorem,miniſtrum meum Hermannũ Wolffium, in Lotharingiam,ad Illuſtrem & Generoſum Dominum Chriſtophorum, Baronẽ de Bedſtein,&c. cauſa filii mei Friderici Ranzouii, nuper in Gallia a ſicariis per inſidias interemti a me ablegatum eſſe. Vt igitur dictus meus miniſter iter hoc inſtitutum, abiés reuertenſq; tanto celerius ac tutius perficere queat: omnes ac ſingulos,quibus præſens ſcriptum exhibebitur,

bitur, ea, qua par eſt, diligentia ac ſtudio rogo: vt illi non ſolum per regna, ditiones, ac territoria ſua, liberum & ſecurum concedāt tranſitum: ſed etiam quacunque re poterint, iuuent ac promoueant. Tantundem, vel eo amplius, petitionem meam admittentibus me debere profiteor, atque libentiſſime præſtiturum polliceor. Ad fidem conciliandam præſenti ſcripto, ſigillo id meo muniui, propriaque manu ſubſcripſi. Actum Segebergæ, XXIIII. Martii, anno LXXXVIII.

HENRICVS RANZOVIVS AD

ILLVSTREM ET GENEROSVM Dominum Chriſtophorum, Baronem de Bedtſtein, alias Baſſompierre, Sereniſſimi Regis Galliarum exercitus Ducem ſupremum, &c.

ILluſtris ac Generoſe Domine, D. ſumma obſeruantia colende: cum non ſolum a miniſtris meis mihi ſit relatum, ſed etiam ex literis vltro citroq; miſſis cognouerim: quanto ſtudio quantaque diligentia Celſitudo tua, id egerit, vt in latebris abditum corpus filii mei Friderici, a ſicariis nuper in Gallia ſcelerate trucidati, ſit recuperatum, ac in Celſitudinis tuæ, domicilium Haruuæ in Lotharingiam tranſlatum: ſane ea, qua maxime decet, ſubiectione, Celſitudini tuæ, hoc nomine ago gratias: ac me viciſſim ad quæcunque officia præſtanda Celſitudini tuæ reuerenter & ſubmiſſe offero. Quantum ad defuncti filii corpus attinet: nolim hoc per tantam locorum intercape-

dinem traduci, præſertim hoc turbulento rerum ſtatu: ſed potius ibi, vbi Deus opt. Max. ipſi finem vitæ præſtituit, ſepulturæ mandari. Quocirca maiorem in modum a Celſit. T. ſubmiſſe peto: vt corpus exangue, in vrbis Lotharingiæ Nancei primario templo, quo Duces ac Comites locum ſepulturæ habent, humari clementer procuret. Mitto Celſ. tuæ inſcriptionem marmoreo monumento incidendam. Illud inſertum templi muro, in memoriam filii, iuxta ſepulcrum reponi cupio. Quod vt fiat, ſi mandauerit clementiſſime Celſit. tua, maximo beneficio me affecerit. Sumtus ad eam rem impendendi, nempe 300. coronati, plus minus, Celſ. T. ſubminiſtrabuntur ex ſtipendio regio, quod Friderico filio per Sereniſſimum Regem Galliarum ſoluendum reſtat. Quod ſi vero id tardius numerabitur: ſubmiſſe peto, vt Celſ. T. pecuniam in eum, quem dixi, vſum conuertendam exponere velit, meq; certiorem facere, quo in loco perſolui a me debeat: num Lutetiæ, vel Nanceæ? Simulac enim hoc ſciuero: dabo operam, vt Celſ. T. bona gratia per mercatores reſtituatur. Secretario Celſ. T. viginti coronatos dari: ac reſiduum quod erit, ex ſumma deſtinata ſumtibus funeris Eccleſiæ, in qua Fridericus filius ſepelietur, dicari, cupio: Reliquum eſt, vt Celſ. T. ſummo ſubiectionis ſtudio obteſter: apud Generoſum & Illuſtrem Dominũ de Gadagnie, Dominum de Beau Regardt diligenter vt inſtet: quo ſicarii, qui per inſidias filium meum trucidarunt, ad ſupplicium capitale pertrahantur. Hoc etiam peto: vt ad filium meum ſpectantes equi, quam primum in Germaniam reducantur. Pluribus verbis a Celſ. T. hoc contenderem: niſi perſuaſum haberem: memoriam amicitiæ, qua me ſibi deuincire placuit Oenoponti, cum Dux Holſatiæ Adolphus apud Imperatorẽ Carolum V. ibidem commoraretur, apud Celſ. T. nondum prorſus eſſe exſtinctam: atque priſtinæ erga me bene-

beneuolentiæ recordatione, locum petitioni meæ non grauate illam tributuram. Filii fato accidit, quo minus tum Regiæ Maieſtati, tum Celſit. T. operam ſuam promtiſſime, vt conſtituerat, nauare potuerit. Ego ſi quam nactus fuero occaſionem, Celſit. T. obſeruantiam & ſtudium meum declarandi: amplectar eam cupidiſſime: nec patiar a me requiri vllum officii genus, quod non libentiſſime reddam debitum, vt receptum eſt. Adiunctas literas, vt Celſ. T. ad dominum de Gadagnie prima quaq; occaſione iubeat perferri: & arborem Genealogicam familiæ noſtræ, in mei filiique memoriam conſeruet, ſubmiſſe peto. Hiſce Celſit. T. protectioni diuinæ reuerenter commendo. Datæ, ex arce Segeberga, XXIIII. Martii, Anno M. D. LXXXVIII.

EPITAPHIVM FRIDERICI RANZOVII.

FRiderico Ranzouio, Henrici filio, Archidiacono & Canonico Sleſuicenſi, ætate tenera, in aula Electoris Auguſti educato, Latinæ linguæ non ignaro, cum quinque expeditionibus interfuiſſet: Primæ Colonieñſi, ſecutus Ioannem Caſimirum Palatinum, Anno M. D. LXXXIII. Secundæ Liuonienſi, verſus Oeſeliam & Arnsburgum, cum Regio Danico Admiralio, Anno M. D. LXXXIIII. Tertiæ Gallicanæ, Duce Erneſto de Mandeſchlo, Anno LXXXV. Quartæ Belgicæ, Anno LXXXVI. in qua vnius turmæ equitũ ductor fuit: Quintæ Gallicanæ & ipſi, Anno 87. in qua Regis Henrici III. partes ſecutus, & nõ procul a Champeraulx a ſicariis globo aliquoties ex inſidiis traiectus [a] periit: Henricus parens, qui

[a] *Obiit A. Chriſt. 1587. 29. Nou.*

Catharina filia[a] in Dania: & Catharina ex filia Oligarda, nepte in Germania:[b] & hoc Friderico filio natu tertio in Gallia: nec non duobus fratris ſui Pauli filiis, Ioanne[c] in Polonia, &[d] Daniele etiam in Gallia, ſpatio vnius anni, orbatus eſt. Senex Iuueni, mutato naturæ ordine, ſummo animi dolore affectus, minime opinatum hoc monumentum ſacrauit.

a *Obiit A. Chriſt. 1587. 20. Maii.*
b *Obiit A. Chriſt. 1588. 20. Ianuar.*
c *Obiit A. Chriſt. 88. 23. Ianuar.*
d *Obiit A. Chriſt. 1577. 24. Nou.*

LITERÆ PVBLICÆ FIDEI, AB HENRICO III. REGE GALliæ datæ Henrici Ranzouii Regii Danici Vicarii miniſtris: qui vt exſtinctum corpus Friderici Ranzouii filii ſui in Germaniam deportarent, erant deſtinati.

NOs Henricus, Dei gratia, Rex Franciæ, &c. notum facimus omnibus locumtenentibus, generalibus, adminiſtratoribus, prouinciarum præfectis, prætoribus, iudicibus, aut horum legatis, conſulibus & ſenatoribus, excubitoribus portuum, pontium & viarum, & præterea vniuerſis & ſingulis præſens ſcriptum viſuris: Cum nos præterito tempore, proſequendi ac expellendi peregrini exercitus cauſa, qui regnum noſtrum inuaſerat, arma ſuſceperimus, & Molinum verſus nos contulerimus: Fridericuſque Ranzouius, Regis Daniarum, fratris ac cognati noſtri dilectiſſimi Vicarii in ducatibus Holſatiæ, &c. filius, qui noſtras partes ſecutus, apud Generoſum Dominum de Schonberg, Comitem de Nantueil, ac noſtrorum tribunum militum, operam ſuam militarem nobis aliquandiu præſtitit, in hac expeditione ſit exſtinctus, ipſiuſque corpus in æde ſacra oppiduli Couleuure

leuure ſepulturæ ſit mandatum: Parentes vero a nobis ſubmiſſe petierint, vt faceremus ipſis poteſtatem, exſtinctum corpus e ſepulcro rurſus tollendi, ac in Holſatiam ad ſepulturam maiorum tranſportandi: huic ipſorum petitioni refragari noluimus. Quocirca ordinamus & mandamus, vigore præſentium, vt dicti Dn. Ranzouii corpus rurſus ibi, vbi in oppido Couleuure ſepultum eſt, effodiatur, & ex regno noſtro in Ducatum Holſatiæ tranſvehatur. Ideoque non ſolum currui, funeri vehendo deputato, ac itineris comitibus numero ſex armatis, ad deductionem eiuſdem deſtinatis, abſque omni impedimento, liberam viam, tranſitum ac iter permittetis: ſed potius quacunque re poteritis, eos iuuabitis. Volumus etiam, vt ipſis neceſſaria in itinere, pro iuſto pretio ſubminiſtrentur. Hoc mandato noſtro eſt conſentaneum, cui vt ea, qua par eſt, ſubmiſſione morem geratis, præcipimus. Datum Lutetiæ Pariſiorum, XXIX. Martii, Anno LXXXVIII.

ſignatum

Henricus

Ad mandatum Regis

Brulardt.

IONATHAS GVTSLOBIVS, PROVINCIALIS CANCELLArius Sleſuigæ & Holſatiæ:

HENRICO RANZOVIO Regio Danico vicario, S. P. D. officioſiſſ.

QVæ ſuperioribus diebus ſparſa fuit fama Magnifice & Nobiliſſime vicarie regie, Domine & Patrone perpetua ſummaque obſeruantia colende, de obitu filii, in militia ſuſcepta cæſi, viri ſane nobiliſſimi & fortiſſimi, ac virtutis bellicæ, eiuſdemq; vſus atque experientiæ, qua ſuæ familiæ maiores claruerũt, æmuli ſtrenui & ſtudioſi: illam ego famam hactenus vanam vt opinatus fui: ita vaniſſimam exſiſtere, vehementer exoptaui. Nam cum repetita conſuetudine, pluribus occaſionibus propoſitis, Dominum Fridericum Ranzouium ea vi ingenii præditum perſpexiſſem: vt ſpem conceperim de eo: quam fratres in togata vita nominis celebritatem obtinerent, hanc militaribus illum ſtudiis ſibi conciliaturum: difficulter potui, & inuitus volui illam mihi ipſe ſpem præcidere. Ac hinc quidem ægre admiſi incertis auctoribus iactatos rumores ſiniſtros: quod his terris, harumq; commodo & ſalute, tantos viros ſeruari, atque ſuperſtites diu eſſe: plurimum intereſſe, nullo iudicii errore ſtatuerem. Sed certum iam eſt, occubuiſſe virum ſummæ ſpei. Eſt profecto quod doleat non patria ſolum: ſed vicinæ prouinciæ etiam, nationeſque externæ: quibus & conſilio & opera vtiliter profuiſſet olim,

lim, ætate confirmata Magnificen. tuæ, vtpote patris, atque nobiliſſimæ matris, lectiſſimæ prudentiſſimæque fœminæ, dolorem & luctum, quin ex meo affectu æſtimare queam : non ita ab omni humanitate ſum alienus. Sed quam ille dolor eſt acerbiſſimus: tam ei ſuperando, vobis communiter generoſitatem naturæ præſtantiſſimam eſſe inſitam, meminiſſe poteritis. Manibus excellentiſſimi viri qui parentabunt vobiſcum mœroris ſocietate: non deerunt. Ego mortuum, quod viuum nouerim, lugeo : & parentibus, ac paucis aliis cõcedo, quin his dolore ſim proximus. Verumenimvero dolorem omnium, quos hic funeſtus nuntius afflixit, moderatum eſſe conuenit. Nam in ſuſcepto vitæ genere, ex hac ærumnoſa vita euocati, quo fato interierint, non adeo ſpectandum eſt. Quin potius quod animis & voluntate ſemper fuerint conſociati cum Eccleſia vera Chriſti: ſuiſque ſtudiis & actionibus, pietati & honeſtati conſentaneis, veros ſe Dei cultores declarauerint atque comprobarint, repetenda eſt recordatio. Hæc efficaciſſimam propinquis ſuperſtitibus, & ſuorum deceſſum luctu proſequentibus, præſtabit conſolationem. Statuere enim citra dubitationem debebunt: pietati deditos, quicunque caſus inopinatus eos opprimat, Deo curę eſſe : atque tum vel maxime, cum a vita deſeruntur mortali : quam æterna ipſe æternus ſe commutaturum ſancte promiſerit. Temperabit autem ſibi Magnificẽtia tua ſingulariter, vt deſiderium filii viris bonis erepti æqua mente ferat, vel hanc ob cauſam : ne ingraueſcentem ætatem, eamque maximis grauiſſimisque laboribus continua ſerie ſeſe excipientibus fractam, nimium indulgendo recenti ægritudini, grauius offendat, ſeque dolorum cruciatu prorſus conficiat, maximo Reipub. & multorum priuatim incommodo. Eſt Deus Opt. Max. vita noſtra, eiuſq; conſeruator : quam diu exigere eam in hoc ergaſtulo nobis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ſalutare iudicat. Noſtram ſtationem, ſuo arbitratu, cum meliore commutare quando placet: & ratione quidem modoq; ipſi placente: nulla ratione, nec recte refragabimur. Acquieſcat itaque Magnificẽtia tua & animo ſuo ſi dolorem penitus eiicere nequit: quod quidem patri φιλοστοργοτάτῳ graue fuerit, leniat illum, concepta fiducia emigrationis factæ per filium, pietatis virtutiſque ſtudioſiſſimum, ex mortali, in æternam vitam: ac cogitatione, quod mortalem genuerit: & florentem militari conſpexerit dignitate: nec non illius memoriam dignitatis ipſe ad poſteritatem tranſmiſerit. Deum precor vero cordis affectu, vt id robur animi inſitum Magnitudini tuæ exſuſcitet & proferat, quod ad vim curarum & ſolicitudinis vincendam fuerit par, ac Magnitudini tuæ longa vitæ incolumis atque vegetæ ſpatia tribuat. Ceterum magnitudini tuæ me benigniſſime complectendum & ornandum officioſiſſime commendo. Datæ Sphenopoli Cimbrorum, pridie Cal. April Anno Chriſti Ieſu M. D. LXXXVIII.

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO S. D.

IONATHAS GVTSLOFF. D.

VEritatem ſignificationis, de Sereniſſimi Regis, Domini noſtri clementiſſimi obitu: Magnifice Vicarie Regie Domine & patrone plurimum obſeruande: confirmarunt magnificentiæ tuæ literæ, bene mane hoc ipſo die mihi redditæ. Commutauitquidem

dem

dem Sereniſſimus Regnum pie, iuſte clementiſſimeque hic adminiſtratum ſumma cum laude ad poſteritatem nullo vnquam tempore intermoritura: cum regno cœleſti & æterno, cuius modo poſſeſſione beatus fruitur, inter Reges Eccleſiæ nutritios & defenſores, Ioſaphat, Ezechiam, Ioſiam, Conſtantinum, Theodoſium, Carolum Magnum, Ludouicum Pium, Chriſtianum Tertium, &c. Nobis, quos ſuperſtites reliquit ſubditos & miniſtros, biennium funeſtum necdum exactum, luctu nouo effectum eſt acerbius. Quem vt leniat Deus, noſtri miſertus, iuſta indignatione aduerſus nos licet accenſus, toto pectore oro. Idem pœnas meritas a nobis & vniuerſa Germania quas imminere huic & aliis prouinciis Magnificentia T. pro ſua ſapientia non falſo auguratur, benigniſſime auertat, iudicii & conuentus prouincialis prorogationem, quæ cauſæ patiant, obſcurum non eſt. Capto conſilio cum decretum erit aliquid, Magnificentia T. vt ſciá, faciet. Illuſtriſſima Principiſſa cleméntiſſime ſalutat Magnificentiam T. & coniugem teſtata verum animi dolorem ex nuntio luctuoſiſſimo conceptum: & quod hoc ſe ſolatium nunc efficaciſſimum, quod in rege collocauerit, ſecundum Deum, deſtituerit. Non ignara, inquit, ærumnarum & moleſtiarum, quę nos tantum non obruerunt mole ſua & varietate: a ſolo Deo conſolationem & auxilium exſpecto. Recordata fortunæ filii Magnificentiæ tuæ, qui in Galliis occubuit: mandauit mihi Illuſtriſſima ipſius Celſitas, ſuis verbis Magnificentiam T. & coniugem vtrumque parentem, vt benigniſſime horter, curis & mœrori vt modum ſtatuatis. Siquidem nihil proficiatur illis: præterquã quod nunc ſua Celſitas experiatur, ex languore & imbecillitate virium lætaliter ægra & decumbens, etiamnum, incerta ſpe recuperandæ ſanitatis: ſiquidem nocte proxima luctandum ſibi fuerit acerrime cum

difficultate reſpirationis, poſt remiſſionem morbi leuiculam præcedẽtibus diebus ſenſu perceptam. Hæc mandata vt & ſequentia, ab Illuſtriſſima Principe accepi lectulo aſtans. Significat per me, circiter Cal. Maii Dominum Landgrauium fratrem venturum in Reinbeck: id ſe ex literis recens acceptis, compertũ habere. Cupidiſſimum colloquii cum Rege, illa occaſione præſentiæ magno dolore affectum iri colligit: illud ſibi iam negari. Spem cõmunicationis conſilii, in rebus dubiis de Magnificentia T. fouent Illuſtriſſima mater & Illuſtriſſimus filius. Excuſationem de non miſſis literis, præ animi mœrore, benigniſſime admiſit Illuſtriſſima. Se quoq; quod non ſcribit, excuſat. Hæc ſcribentem benigniſſime moneri curauit Illuſtriſſima quoque a Magnificentia T. vt exquirerem, quid fieri oporteat, pro publici grauiſſimique luctus teſtificatione, de campanarum impulſione, paſſim in omnibus oppidis & vicis harum regionum. Quod ſignificabitur, ad Illuſtriſſimam fideliſſime referam. Inſcriptiones monumentorum maximæ ſpei Filio debitæ, memoriam virtutis, quę in eo eluxit in eorum animis, qui ipſum coluerunt, inter quos ego meum profiteor nomen, conſeruabũt, ſeruabuntur & illæ ipſæ a me accurate, vt ſcripta omnia, quæ mihi a M. T. obuenerunt. His in præſentia finẽ facio. Spirenſes literas & harum ſignificationes exponam cum opportunũ videbitur, vel imperabitur. Propitium Deum oro: vt Magnificentiam T. incolumem nobis diutiſſime tueatur clementer. Chilonio raptim x. April. Anno &c.

M.D.LXXXVIII.

⁂

EPISTOLA SERENISSIMI REGIS DANIÆ, FRIDERICI Secundi, quam triduo ante mortem dedit

AD *HENRICVM RANZOVIVM* *de obitu Friderici filii.*

FRIDERICVS Dei gratia, Rex Daniæ, &c.

NObilis, præclare, ſincereque nobis dilecte, filium tuum Fridericum in Gallia mortem oppetiiſſe, non ſine animi perturbatione audiuimus. Si Deo ita viſum fuiſſet, ſane diuturniorem vitam ex animo ipſi optaſſemus. Cum autem huiuſmodi caſus fatales immutari nequeant: noſtrum eſt, Deo Optimo Maximo, qui vnicuique mortalium certum vitæ exigendæ terminum præfixit, liberam de illis ſtatuendi poteſtatem æquo animo permittere. Fati tamen infelicitas, quo interiit filius, quam nobis commutationem expreſſit regiam ac piam, quin teſtatam his tibi faceremus patri mœſto & conturbato, omittendum non putauimus. Te vero, ſincere nobis dilecte, beneuolentia regia proſequentes, Deo immortali conſolatione ſuſtentandum commendamus. Datum Anderſchouii, xxx. Martii, Anno Chriſti M. D. LXXXVIII.

***

EPISTOLA MARCI DE GAVIER EQVITIS, DOMINO DE Groſſone: ad Dominum de Schonberch, Comitem de Nantueil, Regis Galliæ magiſtrum Equitum, &c.

DOmine colende, in abſentia Domini de Beaux Regardt, cum diuertiſſem ad eius domum in Champeraulx: agnati mei domini de Gadaignie literæ ibi allatæ ad me fuerunt: ex quibus perſpexi ipſum petere, vt negotium de D. Friderico Ranzouio ſuſcipiat. Id ſane ego, ipſo abſente, non minori procuraui diligentia, ac ſi mea, & ipſius præcipue interfuiſſet. Certo enim ſcio, Dominum de Beaux Regardt illud ita efflagitare, vtpote qui ad quælibet officia tibi præſtanda promtiſſimus exſiſtit. quemadmodum & ego tibi operam meam pro virili addico. Regi noſtro a pedibus, copioſe tibi exponet, quanta fide hoc negotium tractauerim. Non dubito, quin dominus Beaux Regardt inſigniter doleat, quod Friderico Ranzouio haud alio officii genere gratificari potuerit. Vale. Datum Couleuure, IX. Aprilis, Anno M. D. LXXXVIII.

TESTIMONIVM CHIRVRGI COVLEVVRENSIS, DE vulneribus Friderico Ranzouio inflictis.

EGo Gebhardus Perret, Chirurgus ac tonſor (:oppiduli Couleuure:) notum facio omnibus, quos præſens

præſens negotium concernit: me XXX. die Ianuarii, Anno LXXXVII. ex mandato magiſtratus mei, ad locum quendam ſpatio vnius miliaris hinc diſtantem fuiſſe profectum, cuiuſdam humani corporis inſpiciendi gratia, quod multis vulneribus fuit confectum. Corpore autem exangui producto, eſt cōpertum, capiti tria vulnera inflicta fuiſſe: primum in vertice, alterum in occipitio, tertiū in inferiore parte maxillę. Omnia hebeti gladio facta fuiſſe apparuit. Præterea aliud pectori: nec non adhuc alia duo, vnum ſiniſtro brachio, alterum lateri eidem, vtrumque vero pugione, inflictum fuiſſe, veriſimile viſum eſt. In cuius rei fidem, pręſens teſtimonium manus meę ſubſcriptione cōfirmaui. 9. April. Anno Chriſti. M.D.LXXXVIII.

CONSIGNATIO CONDITIONVM, QVIBVS DIONYSIVS Niſiers Lapicida pro nobili Friderico Rāzouio monumentum lapideum elaborandum ſuſcepit: & quantum pretii ipſi pro hoc perſolui debeat.

PVblice notum ſit, quod Dionyſius Niſiers lapicida, habitans in oppidulo Couleuure, volēs libere promiſit nobili viro Andreę Pleſſio; ſe intra menſem futurum Auguſti, elaboraturum lapideum ſarcophagum, ſex pedes longum & tres pedes latum, in æde ſacra oppiduli Couleuure collocandum, in quem Friderici Ranzouii corpus reponetur. Eiuſdem nomen ac cognomen, & quibus parētibus natus ſit, ſermone Gallico incidetur ſuperficiei: addito ſcuto, & in galea duobus cornubus bouinis, ac aliis conſuetis ornamētis plumarum: idque præfinito tempore, & impenſis

dicti artificis:ita tamen, vt ſcriptura ſupra indicata, in ſarcophago pingatur colore nigro. Mercedem conuentam, ſexaginta coronatos, Andreas Pleſſius apud nobilem virum Nicolaum Bartenbam, locum tenẽtem generalem in Couleuure, depoſuit: vt medietas in principio operis, reſiduum perfecto opere artifici Nicolao Niſiers perſoluatur: qui poſtea ſe integram ſolutionem accepiſſe per apocham cõfitebitur. Hæc omnia certo promiſit, ſub obligatione omnium ſuorum bonorum. Acta ſunt illa, & obſignatæ hæ literæ ſigno Regio, in caſtro oppiduli Couleuure, ante meridiem, nono die April. Anno M. D.LXXXVIII. In præſentia nobilium, Marci de Gauier Equitis, Domini de Groſone, & Chriſtiani de Ponte Equitis, tanquam teſtium: ex quibus Chriſtianus de Põte & Dionyſius Niſier, cum ſuſcribere non potuerint, ſubſignauit Bekelen.

HENRICO RANZOVIO, REGIO DANICO Vicario,

IONATHAS GUTSLOBIUS, PROuincialis Cancellarius Sleſuigæ & Holſatiæ: de obitu Friderici II. Regis Daniæ, &c. nec non Friderici Ranzouii.

Epiſtola paulo alia quam ſuperior.

Veritatem diuulgatæ ſignificationis, de ſereniſſimi & potẽtiſſimi Daniæ, &c. Regis Frederici II. Domini noſtri clementiſſimi obitu; Magnifice Vicarie Regie &c. cõfirmarunt Magn. T. literæ, bene mane hoc ipſo die mihi redditæ. Commutauit quidem Sereniſſimus ſuæ Maieſtati in his terris diuinitus cõmiſſum, & pie, iuſte, clemẽtiſſimeque adminiſtratum regnum, ſumma Magn. tuæ laude, ad poſteritatem nullo

nullo vnquã tempore intermoritura, cum regno cœleſti & æterno: cuius modo cõmunitate beatus fruitur, inter Reges Eccleſiæ nutritios & defenſores, Dauidem, Ioſaphatum, Ezechiam, Ioſiam, Cõſtantinum, Theodoſium, Carolum Magnum, Ludouicũ Pium, Chriſtianum III. &c. Nobis, quos ſuperſtites reliquit ſubditos & miniſtros, morte inclyti & fortiſſimi Principis Domini Adolphi patris, & magnæ ſpei filii D. Friderici, pariter Dominorum noſtrorum clemẽtiſſimorum, biennium funeſtum, ac necdum exactum, luctu nouo effectũ eſt acerbius. Quem vt leniat Deus noſtri miſertus, iuſta indignatione aduerſus nos licet accenſus, toto pectore oro. Idem pœnas meritas, a nobis, & vniuerſa Germania, quas imminere huic, & aliis prouinciis Magn. T. pro ſua ſapientia, non falſo auguratur, benigniſſime auertat. Illuſtriſſima Princeps Adolphi vidua, Domina Chriſtiana &c. clemẽtiſſime ſalutat Magn. T. & coniugem, teſtata verum animi dolorem, ex nuntio luctuoſiſſimo conceptum & quod hoc ſolatium efficaciſſimum, quod in Rege collocauerit, ſecundum Deum, ſe deſtituerit. Non ignara, inquit, ærumnarum & moleſtiarum, quæ nos tantum non obruerunt mole ſua & varietate: a ſolo Deo cõſolationem & auxilium exſpecto. Recordata fortunæ Friderici, filii Magn. T. qui in Galliis occubuit: mandauit mihi Illuſtriſſima ipſius Celſitas, ſuis verbis Magn. T. & coniugem, vtrumque parentem, vt horter: mœrori & curis vt modum ſtatuatis: ſiquidem nihil illis ipſa profecerit. Quinimo hoc contraxerit, vt ex languore & imbecillitate virium ſuarũ angorib. perpetuis debilitatarum, grauiter ægra iam decumbat, etiamnum incerta ſpe recuperãdæ ſanitatis: cum nocte proxima luctandum ſibi fuerit acerrime cum difficultate reſpirationis, poſt remiſſionẽ morbi leuiculam, præcedẽtibus diebus ſenſu perceptam. Hæc mandata, vt & ſequentia, ab Illuſtriſſima Princi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

pe accepi. Significat per me circiter Calendas Maii, Dominum Guilhelmum Landtgrauium Haſſiæ, fratrem, aduenturum Reinbecum: id ſe ex literis recens acceptis compertum habere. Cupidiſſimum colloquii cum Rege, illa occaſione præſentiæ: magno dolore affectum iri colligit: illud ſibi iam negari. Spem communicationis conſilii, in rebus dubiis, commodo ſuo, & filii Illuſtriſſimi Ducis Philippi, de Magn. T. fouet. Excuſationem de nō miſſis literis, præ animi mœrore, admiſit. Se quoque, quod non ſcribat, morbo impediri affirmauit. Propitium Deum oro, vt Magn. T. incolumitatem diutinam cōmodo publico patriæ, & priuato bonorum concedat clementer. Raptim Sphenopoli Cimbrorum, 10. Aprilis, Anno M. D. LXXXVIII.

HENRICVS RANZOVIVS AD ILLVSTREM ET GENEROſum D. Caſparum de Schonberch, &c.

Illuſtris ac generoſe Comes, Domine obſeruande, officia mea Gen. T. ſubmiſſe defero. Eandem celare nequeo, me literas, filii mei Friderici ſepulturam, ac monumentum huic applicandum concernentes, a miniſtris meis reuerſis, ea, qua decet, reuerentia accepiſſe ac perlegiſſe. Generoſitati tuę, pro ſingulari diligentia, tam indagãdo filii mei mortuo corpore, quam eodem honeſte ſepeliendo præſtita, reuerenter gratias ago. Non minus mihi gratum accidit, quod in eos vſus, Gen. T. c c l. coronatos Andreæ Pleſſio mutuos dederit. Ad Nicolaum Damicium perſcripſi, vt hoc aurum exactū a D. Chriſtophoro Barone de Baſſompierre, Gen. T. reſtituat. Sin minus, idipſum ad Gen. T. fra-

T.fratrem mittẽdum Lipſiam verſus deferri curabo,
certior factus, cui id Gen. T. numerari velit. Epita-
phium filii mei Parienſe, hiſce literis adiunctum Gen.
T. officioſe trāſmitto: cum mihi inprimis probetur.
Proinde perofficioſe peto, vt illud lapidi ſepulcrali in-
cidatur. Hoc mihi nihil gratius futurum eſt. Non ma-
le enim illud congruit cum Epitaphio a me facto at-
que eo etiam eſt elegantius. Cupio ſub illo lapide fi-
liū meū requieſcere, & exſpectare glorioſum illū no-
uiſſimum diem, quo piis vniuerſis æternæ beatitudi-
nis poſſeſſio tradetur. Iterum peto perofficioſe, vt
Gen. T. diligentiſſimam inquiſitionem inſtitui man-
det, qua nefarii iſti latrones, quorum inſidiis eſt circū-
uentus filius, indagentur, & ad ſupplicium meritum
pertrahantur, vel eo ipſo irrogandum loco, vbi filium
globo æneo traiecerunt, vel extra portam oppiduli,
in quo filius humatus eſt. Sumtus, qui eam in rem im-
penderētur, ſumma cum gratia Gen. T. reddam. Si quid
inſuper officii a me viciſſim proficiſci poterit: faciam,
ne vnquam Gen. T. in me vel ſtudiū, vel operam deſi-
deret. Noui his locis occurrit nihil: niſi quod ſereniſ-
ſimus Rex Danię, IIII. Aprilis diem ſuum obiit. Lu-
ctum grauiſſimū inde cōtractum mitigat ſubditis, cō-
cepta ſpes de Regię ſuæ Maieſt. filio Chriſtiano IIII.
paterna veſtigia hunc ſecuturū, aſſerta iuſtitia, & lau-
de amoris atq; clementiæ erga ſubditos expetita. Dā-
tiſcani, Rigenſes ac Pruſſiæ ordines, Regi Poloniæ e-
lecto Sigiſmundo, Sueciæ deſignato, conſuetum ho-
magium præſtiterunt. Rex e conuerſo ipſorum pri-
uilegia confirmauit. Deo omnipotenti Gen. T. diu
incolumem tuendam commendo. Datæ Se-
gebergæ, 14. Aprilis, Anno Chriſti,
M. D. LXXXVIII.

EPITAPHIVM FRIDERICI RANZOVII, IN OPPIDVLO Galliæ Couleuure apud Bituriges ſepulti, per Sorboniſtas Lutetiæ Pariſiorum factum:

FRIDERICVS RANZOVIVS HOLSATVS, PATRE NATVS NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO HENRICO RANZOVIO, SERENISSIMI DANIÆ REGIS CONSILIARIO, ET IN HOLSATIA LEGATO, DOMINO HÆREDITARIO IN BREDENBERCH ET DRAKENBORCH, &c.

PATRIS NEMPE FORTISSIMI GENVINA VIRTVTE FILIVS,

FAMILIÆ COLVMEN, PATRIÆ LVMEN,

EQVITVM SVB COMITE BASSONPIERRO MAGISTER,

DVM SECVNDA CHRISTIANISSIMO REGI GALLIARVM STIPENDIA MERET, ET FVGATIS HOSTIBVS RARIORI COMITATV, CASTRIS LONGIVS ABSCEDIT,

NATVRÆ DEBITVM LATRONVM SCELERI PERSOLVIT.

ET MORTALIS CORPORIS MORTALES EXVVIAS CVM STOLA COELESTI COMMVTAVIT.

EAS PER MAGISTRATVM HORVM LOCORAM HONORIFICE COLLECTAS, ET POSTEA A NOBILISSIMO VIRO ANDREA PLESSIO COGNATO COGNITAS,

MOERENTES AMICI HVIC TVMVLO MANDAVERE,

Patria procul.patre procul,
Procul ſepulcris paternis.
An hoc ille infelicior?
Non eſt,non eſt,viator.
Cur ?
Fortibus & piis omne ſolum
Vt patria eſt,ita ſepulcrum.
Et hoc ſi didiciſti,
Viator,abi.

ILLVSTRIS AC GENEROSVS COMES D. CASPAR de Schonberg , &c.

AD

HENRICVM RANZOVIVM *Regium vicarium.*

NObilis ac magnifice Domine Pręſes,qua ratione filius tuus,infelici prorſus caſu, ꝑ nefarios quoſdam latrones ſit interemtus:id procul dubio ex literis meis,miniſtro tuo a me traditis,cognouiſti. Sane hunc triſtem caſum ita eueniſſe,grauiter doleo. Cuperem rem aliter cecidiſſe. Non ita pridem Pleſſius, cum miniſtro meo,ad locum,vbi filius tuus iacuit,occiſus,ſeſe contulit.Corpus exſtinctum,cum,ſolénita-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

tibus iuris ſolitis ſublatum, ita affectum eſſe deprehenderunt, vt impoſſibile fuerit, illud inde alio transportari. Curarunt igitur, ita neceſſitate poſtulante, vt id in vicina quadam æde ſacra, prope primariã aram honeſte tumularetur. Si pręter lapidem ſepulcralé, aliud quippiam in memoriam filii erigi voles: facies me de eo certiorem. Illud enim non ſolum primo quoq; tempore effectum reddi curabo: ſed etiam argentum, quo ad eam rem opus fuerit, perlubens ſubminiſtrabo. Proculdubio Pleſſius tibi rem omnem, vt geſta eſt, coram pluribus exponet. Si præterea alio in genere tibi gratificari potero: ſemper promtum ac paratum me experiere. Datum Lutetiæ Pariſiorũ, 16. Aprilis, Anno Chriſti M. D. LXXXVIII.

ANDREAS PLESSIVS, NOBILIS HOLSATVS,

ad

HENRICVM RANZOVIVM, *de nece ac ſepultura filii ſui Friderici.*

NObilis ac generoſe regie Præſes, nolo Gen. T. latere, me ſeptimana quinta ante nundinas Chilonienſes, ad Balthaſarem Alefeldium generũ tuum, & Theodoricum Blomium dediſſe literas, quib. cum filio tuo Friderico, cui Deus ſit propiti9, quomodo actum ſit, expoſui. Reſponſum Gen. T. iam pridem exſpectaui, vt quid de exſtincto corpore fieri velit, ſciré. Illud cum nondum acceperim, intermittere non potui, quin quo fine is vitam clauſerit, hiſce literis Gen. tuæ breuiter commemorarem. In Gallia, apud Bituriges, hoſtem copiis ſuis feſtinanter inſequi ſtatuit

magiſter

magiſter equitum,exercitus Duce ſupremo Domino de Bedtſtein abſente,quod ex morbo tunc decumberet. Fueramus Fridericus & ego alias magiſtro equitum præſto. Tunc vero conſcenſo equo,& adiuncto ſibi comite puero ſuo , Fridericus in ſyluas vicinas ſe contulerat. Sæpe idem alias fecerat. Quæ cauſa fuit, tum Mareſchallo, tum mihi, Fridericū, quod incautius feras atque volucres crebro inſectaretur, rogandi: ne temere per loca minus tuta vagaretur,ſeque in vitæ diſcrimen coniiceret. Obtulit ipſi aliquoties Mareſchallus,ad id euitandum, x. atq; xx. etiam ſclopetariorum præſidium. Sed eam animi præſentiam oſtendit Fridericus, vt cum paribus , obuiam vbiuis locorum factis,congredi non expaueſceret. Idcirco minus ipſum mouerunt admonitiones , & periculi propoſiti denuntiationes. Cum vero noſter exercitus progrederetur, prope Lacerittum vicum traiiciens Ligerim , in pagum Laurei dictum tridui itinere iam venerat, necdum ad illum ſe recipiente Friderico, ego impatientia deſiderii longioris,cum miniſtris Fridericum paſſim inquirere non ceſſaui. Exiſtimauimus omnes,eum apud equites hærere:ſed falſo. Ideoq; perreximus ad Elſium ſupremum locum tenētem ſiue Legatum Regis,quæſitum,numnam in eius caſtris commoratus fuiſſet. Hoc negantem rogauimus, comites, qui retro nobiſcum equitarent, ipſius Friderici inueſtigandi gratia , ſi forſitan de via aberraſſet. Sed locumtenens propoſitum noſtrum improbauit, quod prætenderet,toti exercitui inde impendere periculum a ruſticis: tum etiam metuendū eſſe, ne currus præſidio deſtituti diriperentur: ac Fridericum forſitan ex inſidiis nefarie interfectum , & in paludem demerſum, difficulter repertum iri. Interrogati miniſtri , hæc vniuerſa Generoſ.tuæ fuſius enarrabunt. Tranſmiſſo rurſus Ligeri, in nauiculatores incidimus , ſignificantes rumorem conſtanter

ſpargi, nobilem tormento æneo traiectum eſſe, qui quadraginta equorum ductor fuerit. Hoc audito, ego, & Friderici miniſtri, cõcitatis equis iterum ad ſupremum locumtenentẽ reuertimur, petentes, vt nobis quinquaginta equos adiũgat comites: & promittentes, daturos nos operam, vt incolumes reducãtur. Ille ſerio ſuadet, ne palantes in diuerſa ſecedamus. Etiamſi, inquit, veſtrum mille forent equites, ad internecionem omnes cæſi occumbent. Nec vana erat ea prædictio. Copioſus enim non procul ab eo loco numerus erat ſclopetariorum, qui poſt Regis diſceſſum prædationibus inhiabant. Quin & gubernatorem Laceritti conuenimus, de 200. ſclopetariis cõcedendis, quibus ęquum honorarium promiſimus. Sed neque illos impetrare potuimus. Coacti itaque ſumus, cum equeſtribus copiis progredi tantiſper, donec aduenit Mareſchallus, qui Regiæ Maieſtati adfuerat. Hic re omni cognita, ſane Friderici cædem peracerbe tulit: & me inſtante, ad Gubernatorem eius loci, & ad Regiæ Maieſtatis ſtabuli præfectum, qui non procul inde caſtrum ſitum habebat, ac ad alios nobiles, vicina loca incolentes, de Friderico inueſtigando literas dedit. Apud Regiam Maieſtatem præterea, interceſſione ſua effecit, vt edicto hominibus eius loci, nec non rerum capitalium iudicibus præceperit, ſiue viui, ſiue mortui Friderici reſtitutionem. Ita diu diuerſis in locis quæſitus Fridericus, tandem in palude quadam, parum diſtante a magno lacu, a pago vero Laurei vnico miliari, ramis contectus eſt inuentus. Iudices eius loci, adhibitis ſolemnitatibus iuris conſuetis, trucidatum produci curarunt. Conuenerant eo multi viri equeſtris ordinis, cum Regiæ Maieſtatis ſtabuli præfecto, ac Comite quodam, qui exſtinctum corpus per Chirurgum lotum ac purgatum aſpexerunt. Quot vulnera corpori inflicta apparuerint, ex Chirurgi documento patet. Poſt inſpectionem,

corpus

corpus currui impoſitum, ad ædem ſacram in Comitis oppidulo Couleuure ſitam deportarunt. Ibi iubente Comitis vxore, indutum interula munda, ac linteamine inuolutum, debita ſolemnitate in Sacello quodam prope chorum tumularunt. Omnes vicini Nobiles in eo elaborarunt, vt latrones, quos expiſcati ſunt, caperent. Sed horum duo fuga vitæ conſuluerunt, vxoribus & liberis deſertis. De reliquis ſociis cædis adhuc non conſtat; niſi quod narratur, plures eorum exſtitiſſe. Peracta ſepultura, Regius ſtabuli præfectus, ceterique ordinis equeſtris viri, Mareſchallum de omnibus rebus fecerunt certioré: quod ex literis, quas miniſtris tradidi, eſt manifeſtum. Miniſtri quoque Friderici, e ſuo numero, ad Mareſchallum Lutetiam Pariſiorum, vnum ablegarunt. Decreuerunt enim corpus defunctum in patriam traducere: eumque in finem literas ſalui conductus a Regia Maieſtate petierunt. Has in diem decimumquintum miniſter Lutetiæ detentus, tandem Calendas Aprilis obtinuit. Conceſſerat enim Regia Maieſtas in monaſterium quoddam. Hinc tardius illæ ſunt ſubſcriptæ. Secundo Aprilis, ego, cum dicto miniſtro, ad locum ſepulturæ ſum profectus. Mareſchallo enim conſultum videbatur, vt ipſe me iſthuc reciperem, quod ſane feci perlubens. Si enim vniuerſæ Ranzouiorum familiæ officiis meis commodare poſſem, neutiquam id recuſarem. Tuto autem procedere non licebat, abſque ſaluo conductu. Nam viæ adeo erant infeſtæ, vt ne quidem mercatores, citra ſaluum conductum, iter ſecurum haberent. Egimus itaque cum veredario Regio, omnium viarum gnaro, vt nos, pacta mercede vigintiquinque coronatorum, ad oppidum Burſii deduceret. Eo vix ab incurſionibus ruſticorum ſalui peruenire potuimus, quod Germanis eſſent infenſiſſimi. Alteri homini ſex coronatos ſoluimus, quod nobis viam

per locum paluſtrem commonſtrauerat. Diſtat Lu-
tetia Pariſiorum iſthinc, quo tendebamus, octuagin-
ta miliaribus Gallicis. Incidi ibi forte fortuna, in
quendam præfectum mihi probe notum, qui mihi
omnes circumſtantias corporis defuncti retulit: &
colorem veſtium ac pilei, atque ocrearum formam
deſcripſit. Antea enim ſubdubitauerant nonnulli,
Friderici corpus eſſe, quod honore ſepulturæ affectū
fuit. Idem præfectus, & alius quidam, cui aliquantu-
lum nummorum dabam, indicabant, quorſum au-
ctores cędis ſe ſubduxiſſent, & quo pacto facinus hoc
perpetraſſent. Proinde ſtatim acceſſi Comitis con-
iugem, eique reuerenter gratias egi, pro honore,
quem ipſa & maritus D. Comes mortuo corpori ex-
hibuerant. Auxit beneficium eadem, currum offe-
rens, quo corpus, ſi modo per graueolentiam fieri
poſſet, ad Ligerim vſque deportaretur: qui fluuius in-
de VII. miliaribus diſtat. Contuli me etiam ad Do-
minum oppiduli: petiique vt mihi corporis effoſſio-
nem ac auectionem concederet. Quod facile obti-
neri a ſe paſſus eſt. Ipſemet enim mecum ad locum
ſepulturæ profectus, iudici mandauit, vt corpus ad-
hibitis ſolemnitatibus iuris effoſſum, mihi traderet.
Ei mandato ſequenti die obtemperatum eſt. Acceſ-
ſitus & ipſe in ædem ſacram, a ſarcophago ligneo iam
egeſtam ac remotam terram eſſe deprehendo: quo
patefacto, apparuit Fridericus nitida interula indu-
tus, ac linteamento obuolutus, probeque lotus. Di-
midia vero pars faciei, naſus, capilli, ac barba tantum
agnoſci potuerunt. Ceteræ enim partes capitis non
exſtabant: niſi quod oculus loco ſuo excuſſus adhæ-
reſceret tamen, & guttur eſſet ſauciatum. Cutis cor-
poris ac pedum atrum contraxerat colorem. Fœto-
ris exhalantis grauitas ea fuit, vt adſtantes haud fer-
rent. Comparaueram duo linteamina, cera & pice
peruncta, quibus corpus inuoluere conſtitueram:
ſarco-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ſarcophagum item plumbeum & ligneum, ſed abductionis conſilium mutandum fuit, ob ingraneſcentem indies ex cœpta putrefactione odorem ingratum: etſi iam egeram cum certo homine in oppido Barſii habitante, vt ad vicum Laceriti corpus veheret. Ruſticorum operam requirere ibi non licebat. Quin nobiles nos monuerant, quo noſtræ ſalutis exactam ac diligentem haberemus rationem. Germanis enim equitibus, propter damna ſupra hominum fidem illata, illos eſſe infenſiſſimos. Interim nihilominus cum præfectis iudicii certis conditionibus pactus ſum, vt Generoſitas tua corporis Friderici quocunque tempore compos fieri queat, ſi Generoſitas tua illud repetere volet. Proceſſus iudicii non caruit magna moleſtia. Exegerunt enim in illud adſcripti quinquaginta coronatos: ego opponebam, cognatum meum ab illius loci hominibus necatum eſſe, & me ne quidem bona pace ab ipſis impetrare poſſe documentum, complectens ſignificationem, per inſidias interfectus quo modo eſſet inuentus: præbituros mihi ipſos cauſam, deferendi rem omnem ad Regiam Maieſtatem. Hac comminatione tandem ab ipſis extorſi documentum: pro quo numerandi fuerunt iudicũ collegio VIII. coronati: & famulo vnus. Iudicem ſeorſim donaui armorum Friderici parte: vt ſeuere perſequatur ſicarios. Chirurgus honorario mediocri contentus fuit. Cum litoglypho conuentionem inii, ſexaginta coronatorum pretium ſoluturus, vt paret lapideum monumentum, additis ei inſignibus & ſcriptura. Huius exemplum tranſmitto. Pro artifice Iudices ac duo Nobiles fidem ſuam interpoſuerunt. In cryptam impendi XX. In Eccleſiæ Paſtorem & pauperes erogaui eleemoſynam, quanta in rationes eſt relata. Quam rem Generoſitati T. non ingratam fore, confido. Rothomagum verſus, atq; iſthinc mari, in Germaniam tranſuehi commo-

diſſime corpus poterit: ſi ita Generoſitati T. videbitur. Qua in re, ſi opera mea Generoſitas T. vti volet, non huic ea deerit. Sin Generoſ. T. mauult filium hoc in loco ſepultum relinqui: poterit procurare, vt memoriæ ipſius Epitaphium aliud primo elegantius collocetur: quamuis prius etiam exiguis ſumtibus poſſet expoliri. Sacellum ſepulturæ Friderici deſtinatum, ligneis cancellis muniendum eſt, ad inſtar illius, quod ſibi Comes in ſiniſtro latere templi fecit. Sunt & nobilibus in eadem Eccleſia ſuæ ſepulturæ: elegante quidem illa, & adiacente viæ regiæ, quæ ab oppido Burſii verſus Lugdunum vergit. Quid Generoſitas T. huius fieri velit, faciet vt ſciam. Mareſchallus ad omnes vſus neceſſarios argentum perlubens ſubminiſtrabit: nec abnuet ſolutionem, ſi Lipſiam reiiciatur. Qua forma Gen. T. Epitaphium confici velit, in charta penicillo per pictorem mandabit deſcribi. Mitto conſignationem de hiſce rebus omnibus, gallico idiomate: cum cito in germanicum ſermonem conuerti non potuerit. Quod ad ſicarios attinet, facile illos indagabo, & ſupplicio tradi curabo, feriis quæ imminent, elapſis. Sunt quidam patrati ſceleris conſcii, qui breui ſeſe prodent. Vnum nactus, reliquos etiam facile inquiram. Prætori in Burſii ſpem feci honorarii honeſti: eius itidem miniſtris aliquot coronatos promiſi, ſi auctores cædis ſiſtere poterunt. Duorum domicilia exploraui: noui etiam, quo ſe abdiderint. Abeſt locus X X X V. miliaribus ab oppido Burſii, extra iuriſdictionem Burſenſem ſitus. Impetrandum erit a Regia Maieſtate mandatum, ad prætores rerum capitalium, vt ſicariis in quacunque ditione deprehenſis manum iniicere procuratori in eam rem conſtituto permittatur. Mouebo omnē lapidem, quo ex G. T. & totius familiæ ſententia gerantur vniuerſa: G. T. de omnibus rebus faciam quamprimum certiorem. Ad grata enim officia

tam

tam Generoſitati T. quam eius toti familiæ præſtanda ſum promtiſſimus. Hiſce G. tuam, vna cum omnibus, quibus bene cupit, protectioni diuinæ commẽdo. Datum Lutetiæ, XVIII. Aprilis, Anno Chriſti M. D. LXXXVIII.

RESPONSIO D. CHRISTOPHORI, BARONIS DE BASSOMPIERRE, ad Dom. Henricum Ranzouium, Vicarium Regium Danicum.

ILluſtriſſime Domine, mihique ſumma obſeruantia colende, dici non poteſt, quanto cum luctu & animi perturbatione, filii tui crudele fatum ſim proſequutus: quantamque diligentiam operoſe adhibuerim, audito infelici nuntio, Friderici interemti vt corpus recuperarem. Intellexi, quod nolis filii cadauer, ex diſſito locorum interuallo, in Germaniam deportari: ſed vbi Deus Opt. Max. filio finem lucis tribuit, ſepeliri. Studioſe ſum enixus, illud vt traduceretur in Lotharingiam, in domicilium meum Harouel, aut in præcipuam aliquam Galliæ ciuitatem. Sed difficultas itineris, & corporis corruptio fecit, vt cum Domino de Chombert egerim, de corpore in Gallia relinquendo, & in vrbis eius non incelebris Couleuure præcipuo templo, cum illuſtri pompa funebri humando. Vt ibidem ſacello aſtruatur marmoreum monumentum, eique miſſo a te ſcripto comprehenſa incidantur, præcipiam. Sumtus funeris & ſepulturæ ſubminiſtrari nequeunt ex ſtipendio, filio tuo per Regiam Maieſtatem debito. Nam totum illud, quãtum fuit, filii ſeruis dedi: & per

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

eoſdem, omnes etiã illius equos ad te remiſi. Nihilominus omnem pecuniam neceſſariam ſuppeditabo. Agam inſuper omni diligentia cum D. de Gadaignie, Domino de Beau Regardt, vt homicidę comprehendantur, & capitali ſupplicio plectantur: tuaſq; literas ad illum quam citiſſime deſtinabo. Gratiam habeo ſingularem, quod me donatum Genealogica arbore nobiliſſimæ familiæ tuæ honoraueris. Aſſeruabitur a me, quoad vixero, in tui filiique memoriam. Propter eam quoq;, quæ Oenoponti inter nos interceſſit neceſſitudinem, omne officium, omnẽ laborem, omne ſtudium & operam, quouis tempore tibi præſtabo. Grata accidit ſignificatio, de nuntiis Archiducis Auſtriæ: de Turca congratulante Regi Poloniæ: & de legatis ab hoc, & Rege Sueciæ in omnes mundi cardines ablegatis. Hiſce Henrice Ranzoui Dei protectioni te reuerenter commendo. Data Harguel, in Lotharingia, xv. April. Anno M.D.LXXXVIII.

HENRICVS RANZOVIVS REGIVS DANICVS Vicarius, AD *ANDREAM PLESSIVM.*

NObilitate generis ac virtute præſtans vir, cognate cariſſime: literas tuas XVIII. Aprilis Lutetię Pariſiorum datas, ſuperiorib. diebus accepi: quantumque ſtudii, diligentiæ ac laboris, ob filium meum Fridericum Ranzouium aliquandiu ſuſtinueris ac impenderis, ex illis intellexi. Peramanter itaque tibi gratias ago, hac adiuncta beneuola ac amica oblatione, ſi

ne, ſi in te tuoſque viciſſim aliquid beneficii cõferre potero, nihil in me deſideratum iri. Nam quod filio meo, in peregrinis ac remotis regionibus, varia pietatis officia præſtiteris: mihi lõge fuit gratiſſimum. Ad nos feliciter reuerſus, equos, aut quicquid voles, viciſſim a me exſpectabis. Epitaphiũ Domini Mareſcalli, Comitis de Schoneberg, & tuo impulſu Lutetiæ Pariſiorum filio meo compoſitum, mihi inprimis probatur. Quocirca rogo peramice, vt idem ſacrophago per litoglyphum, prout inter vos conuentum eſt, incidẽdum, corpusque primo quoque tempore in teſtudinem collocandum non grauate curetis. In Eccleſiæ Paſtorem, pauperes & Chirurgum factam donationem, liberaliorem fuiſſe decuerat. In poſterum a me ſarcietur, quod hac in parte neglectũ ab aliis eſt. In iudicem ex Friderici, piæ memorię, armis collatam donationem, ratam habeo. Spero enim inquiſiturum facinoroſos diligenter: & vindicaturum necẽ filii ſeuere. Ad Nicolaum Damicium perſcripſi, vt CCL. coronatos a magiſtro equitum mutuo ſumtos, Domino de Baſſompierre reſtituat. Per eum hoc magiſtro equitum remitti oportune poterit. Si qua mora, hoc in negotio nummario, præter opinionem incidet: pecuniam omnẽ Lipſiam trãsferri curabo: vbi ſciuero, cui debeat tradi. Coronatos 27. quos vltra ſummã acceptorum a magiſtro equitum expoſuiſti, magna cum gratia huc reuerſo perſoluã. Hoc vnice a te peto iterum atque iterum, vt apud dominum Magiſtrũ equitum pro virili inſtare non deſinas: quo authores cædis inquirantur, ac iuſto ſupplicio afficiãtur, vel eo loco, quo Fridericus globo eſt cõfectus, vel non procul ab oppidulo Couleuure, vbi ille eſt ſepultus. Sũtus ad eam rem neceſſarios promtiſſime rependam. Domino Magiſtro equitum officia mea deferes: gratiaſque ages, quod Epitaphium filii componi fecerit. cum meo quia conuenit, ſummopere placet. Qua ra-

tione gratiam dignam referam, neſcio. Captabo tamen occaſionem referendi. Quæ ex voluntate mea effici velim in his curãdis te facilem præbebis. Tuam diligentiam grato animo ita amplectar, vt referendæ gratiæ cupidiſſimum me perſpicias. Deus incolumitati tuæ faueat. Datæ Segebergæ, 14. Maii. Ann. 88.

RESPONSIO SECVNDA D. HENRICI RANZOVII, AD ILLVſtrem & Generoſum Dominum, D.Chriſtophorum, Baronem de Baſſompierre, ac sereniſſimi Regis Galliæ exercitus Ducem.

ILluſtris ac Generoſe Domine, ſumma mihi obſeruantia colende, Generoſæ T.Celſitud. literæ, quibus de ſepultura filii mei certior reddor, ante paucos dies, a miniſtris meis ex Gallia reuerſis, mihi ſunt traditæ. Ex his, nec non ex miniſtris meis, abunde cum cognouerim: quantum ſtudii, quantumq; diligentiæ adhibuerit Celſ. T. vt corpus interemti filii mei, tum recuperaretur, tum etiam in celebri Galliæ apud Bituriges vrbe Couleuure, in æde ſacra, atq; ſacello nobiliſſimi Domini de Chombert, honorifica pompa funebri humaretur: immortales Illuſtri Celſ. tuę gratias me debere profiteor. Officia mutua mea Celſ. tua experietur paratiſſima. Illuſtri domino de Chõbert, tum etiam nobiliſſimę eius vxori, ſummopere gratias ago: quod corpus filii mei non ſolũ ſacello ſuo inferri ſint paſſi, ſed etiam præcipuo ſepulturæ honore affecerint. Tale officii genus non vulgarem poſtulat gratiam. Si quid igitur, in his oris, viciſſim præſtandi dabitur occaſio, quod Celſit. tuæ, atque etiam ipſis gratum fuerit: eum me declarabo, vt nihil me recuſare omnium veſtrum cauſa, liquido conſtet. Quantum

ad in-

ad inſcriptionem monumenti marmorei attinet, Illuſtris Comes D. Caſpar de Schonberch, ac Andreas Pleſſius Holſatus, Lutetiæ Pariſiorum epitaphium in haſce literas coniectum componi fecerunt. Id monumento filii mei incidi cupio, per artificem ad hoc cõductum. Nam mihi valde placet, quod in eandem, qua meum, confectum eſt ſententiam: & verbis conſtat lectiſſimis. Sub illo monumento filius meus requieſcens, reſurrectionem ad vitam æternam exſpectabit. Non enim ſinam corpus inde ad alium locum transferri. Sumtus omnes neceſſarios ſubminiſtrabit Illuſtris Comes de Schonberg. Hos Nicolaus Damitius Celſit. tuæ reddet, vt acceptam pecuniam Illuſtri Comiti remittat, eum obnixe rogatum velim. Cæterum etiam atque etiam peto, vt Illuſtris T. Celſ. apud D. de Gadaignie, Dominum de Beau Regardt, id ſerio agat, vt nefarii latrones ac ſicarii, qui filio meo violentas admouerunt manus, iuſto ſupplicio capitali quã primum plectantur: Idq; vel eo ipſo loco, vbi latrocinium nefandum perpetrarunt, vel etiam, ſi commodius videbitur, prope oppidum Couleuure, in quo filius ſepulturæ mandatus eſt. Sumtus in hanc rem impendendos, itidem ſumma cum gratia exſoluam, admonitus, quo loco & tempore id fieri debeat. Munuſcula chartacea, qualibus ego nõ vulgariter delector, eam gratiarum actionem, quę a Celſ. tua profecta eſt, minime merentur. Volui illa tantũmodo præ ſe ferre qualemcunq; ſignificationem ſtabilis amicitiæ, ante aliquot annos Oenoponti inter nos initæ. A qua tantum abeſt vt neglecta fide recedam: vt potius, ad ſancte conſeruandã, quæ conducere cognouero, omnibus neruis proſequi vehementer geſtiam. Hęc breuiter perſcripta, in optimam accipiat partem Celſ. tua: quam vt Deus Opt. Max. tueatur, opto. Datæ Segebergæ, XIIII. Maii, Anno, &c.

LXXXVIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

QVÆ SEQVVNTVR, EXCERPTA SVNT EX LITERIS INſtructionis, de cuius præſcripto, Illuſtriſſimi Principis ac Domini, D. Iulii, Ducis Brunſuicenſis ac Luneburgenſis mandata Nobilis ac Magnificus vir D. Henricus a Luhe, præfectus Epiſcopatus Halberſtadienſis,

HENRICO RANZOVIO Vicario Regio expoſuit.

INITIO Conſiliarius noſter Hērico Rāzouio noſtram gratiam & beneuolentiam, prętereaq; ſignificet: nos non ſolùm in genere erga inclytum Daniæ regnū, de Sereniſſimi potentiſſimique Principis D. Friderici II. Danorū quondā &c. Regis, Ducis Sleſuici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, &c. noſtri Domini, affinis, agnati & fratris dilectiſſimi, laudatiſſimæ memoriæ: ſed etiam ſeorſim reſpectu ipſius, de filii Friderici, filiæ, neptiſque ex filia nec non fratris Pauli duorum filiorum obitu (quos omnes deus Op. Max. pro immutabili ſuo conſilio & voluntate, intra anni vertentis ſpatium per mortem ex hac vita eripuit) cōmiſeratione pia & clementi affici: interim tamen nihilominus cupiētes, quod alias etiam illum nō facturum confidimus, ne humano illi dolori & mœrori nimium indulgeat: ſed potius ſpe reſurrectionis, & omniū piorū congregationis, in nouiſſimo & glorioſo illo die Domini, vt Chriſtianum decet, ſeipſum ſoletur & ſuſtētet: hac ſpe concepta, Deum pro ſua bonitate, vel in hac vita, illorum caſuum triſtitiam, ſubſtituta inſperata lætitia, abſterſurum paterne, nedum alleuaturum, &c. Datæ ex arce Lycaonia, XXV. Maii, Anno Chriſti LXXXVIII.

IVLIVS.

HENRI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

HENRICVS IV. FRANCIÆ ET NAVARRÆ REX, &c. S. D.

HENRICO RANZOVIO, P. C.

SCio iampridem, Domine Ranzoui, q̃ pulcræ raræq; virtutes in te ſint ſitæ, & quanta me beneuolentia complectaris: ac quemadmodum iſtæ non niſi tecum poſſunt emori, ita hanc te non niſi cum vita depoſiturum ſpero. Quæ quidem ſpes fidem mihi facit, te Domino Bongarſio, quem negotiorum cauſa in Daniam ablego, non defuturum. Rogo itaque, vt ipſi tantum commodes, quantum potes: Scio autem te plurimum poſſe. Tu me tuique tam gratum ſemper habebitis, quam virtutes & ornamenta tui animi amore ſingulari proſequor. Deum oro Domine Ranzoui, vt te benigne ſeruet. Scriptũ in caſtris Dieppanis, XXVII. die Auguſti Anno 1589.

EPISTOLA SERENISSIMI AC ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC Domini, D. Chriſtiani eius nominis IIII. Daniç, Noruuegiæ, Wandalorum ac Gothorum Regis, &c.

AD

HENRICVM RANZOVIVM Regium Danicum Vicarium

NObilis ac fidelis cõſiliare, ſincere nobis dilecte: cum nobis iamdudum perſpectum exploratum-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

que ſit, quam ſingulari laude ac integritate, noſtro in Chriſto pie quieſcenti D. auo ac parenti piiſſimæ ac illuſtriſſimæ memoriæ, per tot annos vtiliter ac fideliter inſeruiendo nauaueris operam, quantaq; diligentia regiam illorum dignitatem in quibuſcunq; arduis ac grauibus negotiis & cauſis defenderis: Omnino non dubitamus, quin noſtri quoq; rationem non minori fide ac obſeruantia conſtanter ſis habiturus, &c. Datum in arce noſtra Coldingæ, ſub ſigillo noſtro regio, ac noſtrorum ad regni deputatorum Conſiliariorum ſubſcriptione. 4. Ianuarii. Anno M. D. XCI.

Nicolaus Caaſius, ſubſcr. Petrus Munckius, ſubſcr. Georgius Roſenkranzius, ſubſcr.

HENRICVS RANZOVIVS, AD ILLVSTREM AC GENEROSVM D. Caſparum de Schonberch.

ILluſtris ac Generoſe Domine, amice plurimũ colende: etſi per literas ſuperiores, quibus iſtarum exhibitorem gentilem ac agnatum meum Paulum Ranzouium Gen. T. cõmendaui, eidem officioſe gratias egi, pro ſingulari ſtudio ac labore, quem inquiſitioni contra auctores cædis, in filium meum Fridericum, crudeliter admiſſę, Gen. T. impendit: quam gratiarum actionem hoc loco repetitam volo: tamẽ cum præ nimia celeritate ac negotiorum multitudine ſit neglectum, quo minus iiſdem literis etiam Gen. tuam denuo rogauerim, vt reos cędis ad ſupplicium pertrahi curet, id ſummopere a Gen. T. modo petendũ eſſe iudicaui: ne inultum ferãt atrociſſimum maleficium. Maiorem itaq; in modum a Gen. T. omni contentione rogo:

me rogo: ne hac in parte mihi operam ſuã neget: quo in vincula coniiciantur, & iuſtas pœnas dent ſicarii improbi: quorũ alter eſt miles ſtipendiarius de Courſi, alter vero Domini de Beaux Regardt coquus: teſtantibus id Gen. T. literis: atq; etiam comprobante idem domino de Gadaignie. Hac in cauſa nullis ſumtibus parcere conſtitui. Quare aliquot centenos coronatos propter id negotium expoſitos, Gen. tuæ animo grato reſtituere non recuſarem. Ad hæc Gen. tuæ mutuo ſtudio atq; opera mea nullo loco deero. Reſtat in clientelam Dei propitii Generoſ. tuam diligenter vt commendem. Datæ Segebergæ, 28. Iulii, Anno Chriſti, M. D. XCI.

In eandem ſententiam ſcripſit Henricus Ranzouius, ad gentilem ſuum Paulum Ranzouium.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. CHRISTIANO, Principi in Anhalt, Comiti Aſcaniæ, Domino Zerueſtæ & Bernburgi, &c. ſummo Chriſtianiſſimi Regis Galliæ equitum Germanorum Duci atque Imperatori, Domino ſuo clementiſſimo.

HENRICVS RANZOVIVS Vicarius Regius.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine, Domine clementiſſime: cum ex variis diuerſiſque locis ad me allatum ſit, Illuſtriſ. Celſitudinem veſtram, non modo expedito per omnia loca tranſitu in Galliam veniſſe: verum etiam militiæ ſuſceptæ, tum ſe, tum militem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

qui ſub Illuſt. tuę Celſit. imperio eſt, proſpero etiam-
num vti ſucceſſu; fuere mihi noua hæc auditu tã gra-
ta, quam quæ gratiſſima: eamque fortunam Illuſt. ve-
ſtræ Celſit. reuerenter & ex animo gratulabar, atque
etiam nunc gratulor: cæterum quamuis non ſum ne-
ſcius, Illuſtriſſ. Cel. veſtram in hac expeditione ſua, in-
genti grauiſſimarum occupationum varietate diſtra-
hi, vt priuatis meis rebus eaſdem interpellare vix au-
ſim; inſignis tamen illa στοργὴ, qua filio meo pie defun-
cto Friderico me Deus ipſe deuinxit, nolentem vo-
lentem cogit, vt ſumma gratiæ veſtræ fiducia, qua me
ſub ingenti hoc grauiſſimarum curarum & ſolicitu-
dinis onere ſuſtento, ad *Illuſtriſſimam* veſtram Cel-
ſitud. accedam. Summus namque ille Celſitud. veſtrę
in me fauor declaratus eſt primum, cum Haderslebii,
præſente Rege Friderico, piiſſimæ memoriæ, veſtræ
Celſ. frater ſponſalitia celebrauit: quo tempore ca-
tena aurea ex Illuſtri Celſ. veſtræ munificentia dona-
tus ſum. Nec ita pridem huius veſtrę Celſ. alia quoq;
ſingularis beneuolentiæ exſtiterunt indicia, quando
ab Illuſtriſ. Electore Brandẽburgico Ioanne Georgio
&c. teſtis baptizatæ filiæ anno proxime elapſo, Berli-
ni adhibitus fui. His nixus ſignificationibus clemen-
tiæ erga me minime vulgaris, ad ea, quæ ſumma ani-
mi mei ægritudo mihi exprimit, digredior; quæ ma-
iori ex parte Celſ. veſtra ex fama paſſim diuulgata, co-
gnoſcere potuit. Non enim dubito, quin Celſ. veſtra
cõpererit indignam cædẽ dicti filii mei, pię memorię,
ante quadriennium, a duobus nebulonibus, altero ſti-
pendiario Domini de Curſii milite, altero Domini
de Beaux Regart coquo, per inſidias crudeliter patra-
tam. Cuius rei indigniſſimæ graui commotus iniu-
ria, nullis hactenus nec laboribus, nec ſumtibus pe-
perci, vt cædis auctores ad debitas ſceleri pœnas tra-
herentur. Sed quid? laterem (quod aiunt) hactenus la-
ui. Verũ cum certo mihi perſuaſum habeã, Illuſtriſſ.

Celſ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Celſ. veſtram ſingulari me meosq; proſequi beneuolentia: ac ad omne id, quod fas ac iura nobis tribuunt, clementer eandem non defuturam; tum quoq; horrendum hoc ſcelus extreme deteſtari: Illuſtriſſimam veſtram Celſit. quanto poſſum ſummo obſeruantiæ ſtudio, etiam atque etiam rogo; vt ſua interceſſione, auctoritate & ope, clementiſſime efficere dignetur, quo dicti nebulones deprehenſi ex merito ſuo grauiter plectantur. Quod ſi Illuſtriſſ. Celſitud. veſtra, per occupationes ſuas militares, huic negotio minus vacare poterit, reuerenter & obnixe peto, vt Illuſtriſſ. Celſit. veſtra, hac de re ad dominum de Tureine referri curet, vt is ſuis hominibus, qui cum imperio iis in locis ſunt, mandet, inquiſitioni aduerſus facinoroſos ſedulo vt ſtudeant. Sumtus eam ob cauſam impenſos quantoscunque, licet aliquot coronatorum centurias ſuperent, nõ modo lubenter, verumetiam gratiſ. ac obſeruantiſſima mente Illuſtriſſ. Celſit. veſtræ reſtituam: eique omne id officii genus, quod pro virili præſtare poſſum, reuerenter & ſubmiſſe offero. Hiſce Illuſtriſſ. Celſit. veſtra feliciter valeat: ac optatiſſimo actionum omnium cœptarum, atque in poſterum ſuſcipiendarum ſucceſſu, quam diutiſſime fruatur. Dabantur Segebergæ, XXI. Septem. Anno LXXXXI.

EPISTOLA HENRICI RANZOVII, V. R.

AD CASPARVM PENSIVM.

NObilis vir, cariſſime cognate, non te latet, quam indignis modis anno ab hinc quarto Fridericus

filius meus, piæ memoriæ, crudeli ſicariorum duorum manu interemtus ſit. Eius rei gratia ad Illuſtriſſ. Principem Anhaldinum ſcripſi, ſubmiſſe rogans, vt cædis auctores comprehendi, & iuſto ſupplicio ſubiici, benigne curet. Sceleratorum alter tunc temporis ſtipendia merebat apud dominum de Courſii; alter vero coquum domini de Beau Regardt agebat. Quia vero tua quoque opera non parum momenti huic negotio afferre poteſt: amanter peto, vt omnem moueas lapidem, iis in locis, quibus iuris adminiſtrationem impetrari poſſe ſpes eſt, ne debitas pœnas flagitioſi iſti homines effugiant. Hoc tuo dabis in meamori. Mea viciſſim in te officia conſtabunt. Hiſce te tuitioni Dei ter Opt. Max. commendo. Dabantur Segebergæ, 21. Septemb. Anno XCI.

ILLVSTRI AC GENEROSO VIRO D. PHILIPPO DE Fraxinis, &c. Chriſtianiſſimi Galliarum & Nauarræ Regis Legato digniſſimo, S. D.

HENRICVS RANZOVIVS,

Magnifice ac Generoſe Domine, vt res ſecundas ac felices natorum in ſummam parentibus lætitiam; ita infelices horũ caſus iiſdem in ſummum mœrorem ac animi perturbationem cedere, etiam me non monente, Generoſa Dom. T. probe nouit. Quocirca quantum in luctum me immaturus ac infelix coniecerit obitus filii mei Friderici: qui dum partes Chriſtianiſſimi Regis Galliarũ in bello ſequitur, ante quinquennium, prope arcem Champeraulx, ex inſidiis a quibuſdam ſicariis, globulis aliquot ex tormento æneo exploſis, traiectus ac miſere interfectus eſt; Dom. T. facile conſiderare poteſt. Etſi autem is

dolor

dolor tum longinquitate temporis, tum etiam cõſo-
lationibus tam ex ſacris, quam prophanis literis peti-
tis, aliquo modo ſit imminutus: tamẽ neſcio quo pa-
cto, paterna illa στοργὴ ſiue affectio, qua filium vnice
proſequor, me exſtimulare ac incitare non deſinat, vt
nefarios latrones ad meritũ ſupplicium pertrahi cu-
rem: quin & manes filii mei iure quodam a me hoc
flagitare videntur. Proinde cum certo mihi perſua-
deam, D. tuam in hac re mihi fidelem nauare poſſe o-
peram, intermittere non potui, quin ad eam literas
hac de re darem. Latere D. tuam autem nolo, duos
nebulones huius cædis auctores exſtitiſſe: quorum
alter Domini de Courſii miles ſtipendiarius; alter
vero Domini de Beaux Regardt coquus fuit: quos li-
cet aliquoties literis ad Generoſos Dominos D. de
Baſſompierre, nec nõ Comitem de Schonberg datis,
diligenter perſecutus fuerim: tamen hactenus impu-
ne euaſerunt. Cum autẽ nihil magis exoptem, quam
vt tandem iſti latrunculi in vincula coniecti meritas
luant pœnas; maiorem in modum, ea qua decet ob-
ſeruantia, D. T. rogo, ne quid laboris, diligentiæ vel
ſtudii prætermittat, quo tandem indagentur, ac ad di-
gnum ſupplicium pertrahantur. Sumtus quos hoc
negotium inquiſitionis ſiue indagationis requiret,
magna cum gratia refundam: ac ſi qua in re in hiſce
oris Dom. tuæ viciſſim inſeruire potero, promtiſſi-
mum atque paratiſſimum me experietur. Reueren-
ter autem peto, vt Dom. tua hanc meam in ſcribendo
audaciam, cum antehac nulla mihi cum ea interceſſe-
rit amicitia, boni conſulere, neque eam meæ impu-
dentiæ, ſed paternæ affectioni imputare velit. Hiſce
Dom. tua diu incolumem ſaluamque valere iubeo.

Dabantur ex arce Regia Segeberga, in Hol-
ſatia, Calendis Octob. Anno Sa-
lutis M. D. XCI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

HENRICVS RANZOVIVS D. IACOBO BONGARSIO Legato Gallico. S.

QVAs Francofurto, vir nobiliſſime, amice cum primis dilecte, XXII. die Septembris ad me dediſti literas, eas cum libellis & literis, amico noſtro inſcriptis, poſtridie Calend. Octobris demum accepi: & literas quidem ea ipſa hora, cum certam nactus eſſem occaſionem, iſthuc quo oportuit, tranſmiſi. De libellis & nouis, quæ literæ tuæ continebant, ago tibi gratias peramanter, ſummopere rogans, quotieſcunque nouarum aliquid rerum e Gallia habueris, de iis me certiorem vt facias. Humanitatem noſtram in te tuosq; non eſt quod tantopere prædices. Hilari quidem & libenti animo exhibemus adueniẽtibus quorumcunque, atque inter hos etiam exterorum Regum ac Principum legatis humanitatis & hoſpitalitatis officia, quæ ſi non ſatis reſpondent dignitati perſonarum, attamen, vt ſpero, eiuſmodi commode ſentientibus videbuntur, vnde voluntatem noſtram, facultas ſi deſit, non obſcure poſſint cognoſcere. Quapropter ſi tale quippiam in te tuosque fuerit profectum, peto vt id boni conſulas. Scripſi ad Dominum de Freſnes, ſuper negotio filii mei Friderici, in Galliis, quod noſti, prope Champeraulx ex inſidiis interfecti: & ſummo ſtudio eius Generoſitati eam cauſam, vt nimirum curet ſicarios inquiri, & ad ſupplicium trahi, commendaui. Mihi non conſtitit hactenus te Francofurti iam ſubſiſtere, alias & ad te hac de re ſcripſiſſem fuſius. Quamuis de tuo in me ſtudio, & gratificandi animo non dubitem: tamen quantum in te erit, vt hoc negotium perſequendi, & puniendi eos, qui violen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

violentas manus intulerunt filio meo, cordi tibi eſſe patiaris, etiam atque etiam peto. Habebis me viciſſim ad omnia beneuolentię ſtudia promtiſſimum. Vale vir nobiliſſime: & me data occaſione literis tuis crebro inuiſe. Datæ Segebergæ, IIII. Septembris, Anno XCI.

GENEROSO DOMINO HENRICO RANZOVIO, BREdenbergæ Domino, &c. Sereniſſimi Daniæ Regis in ducatibus Vicario. S.

ILluſtris ac generoſiſſime Domine: accepi ante aliquot dies Celſ. tuæ literas, calendis Octobris datas, quibus quot citius non reſponderim, nolim ex vlla negligentia factum putet Celſit. tua. Nam præter inclytam heroicę tuæ virtutis famam, quę omnium bonorum animos & ſtudia tuæ Celſitudini cōciliat, memor ero in perpetuum ſingularis illius humanitatis, qua me ante octodecim menſes Segebergæ excepit tua Celſitu. cum in Daniam cogitarem. Et ſunt adhuc apud me luculenta illa & eruditionis & Illuſtritatis tuæ monumenta, quibus me tum temporis ornauit tua Celſitudo. Sed cum ab aliquot menſibus perpetuis & laborioſiſſimis peregrinationibus fuerim iactatus; nullaq; ſatis tuta ſcribēdi occaſio ſe obtulerit, exſpectandum fuit, donec Françofurtū ad ſtationem ordinariam me reciperem. Quod cum primum Dei beneficio mihi contigit, etſi variis negotiis curiſque implicitus: nihil tamē prius habui, quam vt hoc qualecunque, ſed certiſſimum in tuæ Celſitud. obſeruantiæ teſtimonium, exararem. Itaque vt ad literas tuæ Celſitud. reſpondeam, cum non ignoret Celſitū. tua, in regnorum & populorū gubernatione iam pridem

ingenti cum laude verſata, fieri non poſſe, vt aliquis ad ſupplicium trahatur, niſi legitima accuſatione & probatione ex legum præſcripto præcedente; tuam Celſ. obnixe rogo, vt ſi quas apud ſe habeat informationes, ex quibus de iniuſta Illuſtris tui filii nece, aduerſus illos ſicarios in literis tuæ Celſit. nominatos, conſtare poſſit, illas quam primũ ad me mittat. Tum enim cauſæ perſecutionem lubenter ſuſcipiam, neq; ante deſiſtam, quam rei iure conuicti, iuſtis pœnis afficiantur. Sed ſi nullas informationes aut teſtium depoſitiones habeat tua Celſitu. omnino opus eſſet, vt procuratorem in Galliam mitteret, qui apud Iudices locorum ſuo nomine querelam inſtitueret, & vt tota res geſta ſit, ſigillatim exponeret. Neq; enim ego, vel alius quiſpiam, qui defuncti conſanguineus nõ ſit, aut a Celſitudine tua mandatum non habeat, idoneus eſſet ad litem hanc capitalem inſtituẽdam. Sed vereor, ne fortaſſe res aliter tuæ Celſ. relata ſit, quã apud nos feratur. Eſt enim fama, Illuſtrem filium tuæ Celſitud. cum prædam ex pagis aliquot, more militari, ageret, a ruſticis ſpoliatis interfectum fuiſſe. Quod ſi ita eſt, vix Iudices ordinarii cognitionem de tali facinore inſtituent. Debuerant enim Illuſtris tuæ Celſitu. filii amici, apud Iudices caſtrenſes agere, aut certe (vt plerunque fit) armata manu vindictam exercere. Itaq; Celſitud. tuæ prudentiæ erit, in rei veritatem diligenter inquirere, antequam quidquam moueat. De me vero omnia ea officia & ſtudia ſibi promittat, quæ ab amico addictiſſimo, & virtutis tuæ admiratore ſummo, debet exſpectare. De rebus noſtris puto Celſit. tuam frequentiores Hamburgo, & ex aliis maritimis locis, literas accipere, quam vt a me quidquam noui poſſit audire: cũ tibi de his cura ſit longe maxima. Iam enim a menſe nihil fere certi habeo: ſed in horas magnum aliquod nuntium exſpecto: cum Regiæ Maieſtati ſit conſtitutum, prælii aleam vel iniquo Marte ſubire,

antequam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

antequam ab incepta obſidione deſiſtat. Deus autem, qui bonę cauſæ ſemper fauet, iniuſtos conatus & auſus irritos reddet: & Regiam Maieſtatem, vt hactenus fecit, aduerſus omnem vim iniuſtam tuebitur, & in auito ſolio pacifice tandem ſtabiliet. Cum autem Magnificus Dominus Bongarſius de his ſigillatim ad Celſitud. tuam ſcribendi prouinciam in ſe ſuſceperit, pluribus illam non detinebo: ſed Deum Opt. Max. orabo, vt Celſitu. tuam incolumem & florentem bono publico conſeruet diutiſſime. Francofurti Idibus Ianuariis, Anno CIↃ. IↃ. XCII.

Celſitud. tuæ

Studioſiſſimus & ad omnia officia paratiſſimus,

De Freſnes.

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO PHILIPPO CANAIO, Baroni in Fraxinis, ſanctioris conſilii Regiæ Maieſtatis Galliarum Conſiliario, & eiuſdem per Germaniam legato. &c.

Henricus Ranzouius Produx Cimbricus.

ILluſtris ac generoſe Domine, non opus fuerat excuſatione vti, quod tardius ſuperioribus meis literis reſponderis. Prope enim ipſemet noui, te hactenus variis peregrinationibus a ſcribendi officio auocatum eſſe. Nunc autem te incolumem & ſaluũ Francofurtum ad ſtationem ordinariam rediiſſe lætor.

Quod humanitatem meam, quam ante aliquot

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

menſes hic Segebergæ te expertũ eſſe ſcribis, tantopere prædicas: in eo ſane, vt par eſt, beneuolum tuum animum agnoſco. Ego vero fateor fuiſſe illam exiliorem, quam pro Magnificentia tua decebat. Si quid enim officii in te, vel alios potentiſſimorum Regum ac Principum legatos, a me proficiſci poteſt: more meo dabo operã ſedulo, ne animi mei promtitudo a quopiam iure deſiderari queat.

Cæterum quantum ad negotium ipſum attinet, de quo nuper ad te binas literas dedi: non eſt dubium, filium meum Fridericum interfectũ eſſe prope arcem Champerauix, in ditione Domini de Beau-Regardt Gadaignie ſitam, auctoresque cædis exſtitiſſe ſtipendiarium quendam militem de Courſy, & coquum dicti Domini de Beau-Regardt. Confirmant hoc literæ ipſius, nec non D. de Gamache, D. Coulon, & D. de Schonberg. Francofurti prælo ſubiiciam breui eas Epiſtolas, vna cum Chriſtianiſſimi Regis Galliarum Henrici III. Illuſtriſſimæ ac piiſſimæ memoriæ, literis, quas miniſtris meis clementiſſime tribuit. Abſoluta editione, exemplum vnum atque alterum tibi tradi curabo. Ex lectione facile deprehendes: filium meum haud propter commiſſam more militum prædationem, a ruſticis, ſed a ſupra dictis ſicariis, immerito ac citra omnem culpam per maleficium ſcelerate interemtum eſſe.

Ac vt interim habeas rei geſtæ verã narrationem, paucis hæc accipe. Mirifice delectabatur Filius meus feris ac auibus ex inſidiis per globulos bombardicos traiiciendis, habebatq; equos ad hoc venationis genus aſſuefactos & idoneos. Huius honeſtæ voluptatis ſuiq; ipſius exercendi gratia plerunque ſolus egredi ſolebat, comitatus vno aut altero miniſtro: ita vt Comes Schonbergius ex mãdato Regis aliquoties illum admonuerit, ne ſolus ſyluatũ luſtra ingrederetur; eãque ob cauſam aliquot illi milites obtulerit, quorum

cuſtodia vteretur. Has admonitiones paruipendens, cum puero mane, prius dictis precibus, egreſſus eſt, vt ſolito exercitio indulgeret, duoſque pedites bombardis armatos ſecum ſumſit, quos tamen vix paululum progreſſus, domum remiſit. Vbi igitur in paluſtria conſueta venerat, & traiiciendæ volucris gratia globum e ſclopo emiſerat: ſtatim ſcelerati iſti ſicarii, qui aduentum ipſius ſpe prædæ, putantes ipſum catenis, armillis, annuliſq; aureis fore ornatum (:quæ tamen omnia eo die depoſuerat:) ibi præſtolabantur, ex inſidiis proſilientes, equo prius vulnerato, ipſum inermem aliquot vulneribus confecerunt. Id & in aula Regia percrebuit, & ita contigit, vt Dn. Schonbergio, & ceteris, qui illic loci ſunt, notum eſt.

Procuratorem, qui accuſationem contra reos capitalem intētaret, in Galliam iamdudum ablegaſſem: niſi turbulentus rerum ſtatus prohibuiſſet, nec ipſi relictis domiciliis in alia loca profugiſſent. Quocirca quam primum tumultus bellicus deſæuiet, procuratorem literis mandati inſtructum mittam, qui nefarios iſtos latrunculos coram iudice ordinario illius loci accuſet, quo tandem inueniantur. Alia autem ratione quam legitima, reos perſequi nolo, ne Dominis locorum, vbi cædes in vicinia commiſſa eſt, vis vlla inferatur. Quod quoque facile nunc ſubornari a me poſſet; cum habeam iam in Gallia cōſanguineos, gentiles & affines, ab vtraque parte caſtra militaria ſequentes. Nam Domino de Beaux Regardt multum debeo: quod nullum recuſauerit laborem, Friderici corpore exangui indagando. Coniunx etiam honeſtiſſima Domini de Chombert, Comitis, &c. cui oppidulum Couleuure paret, in omnibus, quæ ad honorem ſepulturæ pertinuerunt, præſtitit ſe promtiſſimam atque humaniſſimam. Quo officii genere me ſibi illa non vulgariter obſtrinxit. Pietas interim paterna hanc mihi iuſtam indignationem &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ſeueritatem exprimit: vt ſceleris perpetrati pœnas reis improbiſſimis remittere nequeam. Quapropter denuo maiorem in modum rogo: cum in Galliam reuerteris, meis ſumtibus, quantum fieri poteſt, inquiri mandes: vbi nam locorum iſti latrones commorentur: meque de hac re quam primum certiorem facias, quo tandem iuſto ſupplicio afficiantur. Nocetur enim bonis, cum parcitur malis. Hoc tuum officium mihi erit longe gratiſſimum. A me in his oris officia mea paratiſſima viciſſim exſpectabis. Vale. Datæ Segebergæ, XXIIII. Febr. Anno XCII.

SEQVVNTVR

EPISTOLÆ DE CAPTIVITATE ET OBITV CAII RANZOVII, ab Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo Principe, Domino Ioanne Adolpho, Archiepiſcopo Bremenſi, & Epiſcopo Lubecenſi, Herede Noruegiæ, Duce Sleſuigæ, Holſatiæ, &c. in Conſiliarium ac Præfectum Gottorpienſem cooptati: atque eidem ſcripta Epitaphia & Elogia.

Effigies



In eandem Epigramma:

Quis iuuenis, cui tam forma placet indice virtus?
Tam grauis humani quem nitor oris amat?
CAIVS RANZOVIVS, *cui ſpes ſurgebat honorum*
Maxima, ni lethi falce reſecta foret.

EXEMPLA LITERARVM SEreniſſimi Daniæ Regis Friderici II. ad Status Hollandiæ confœderatos, & Illuſtrem Baronem de Willigbui, Reginæ Angliæ D. Eliſabethæ Bergii ad Somam Gubernatorem, de dimiſſione Caii Ranzouii ſcriptarum Scanderburgo, XI. *Februarii, Anno Christi*
M. D. LXXXVII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Salvvs Condvctvs, QVO REX DANIÆ FRIDERICVS II. CAIVM Ranzouium, in Belgicum cum ablegatus eſſet, inſtruxit.

NOs Fridericus II. Dei gratia, Daniæ, Noruegiæ, Vandalorum, Gothorumque Rex, Dux Sleſuici, Holſatiæ, Stormariæ, ac Dithmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt: notum facimus, nos nobilem miniſtrum noſtrum aulicum & inprimis dilectum fidelem Caium Ranzouium, ad Illuſtrem Principem conſanguineum & vicinum noſtrum cariſſimum, Dominum Alexandrum Farneſium, Parmæ & Placentiæ Principem, &c. clementiſſime ablegaſſe: ac quo tutius illud iter conficere poſſet, hiſce noſtris literis communiuiſſe. Quamobrem omnes & ſingulos, quibus hæ noſtræ oblatæ fuerint literæ, pro cuiuſuis ſtatus ac conditionis ratione, amice ac clementer rogatos volumus; noſtris vero mandamus, vt prędictum miniſtrum aulicum, non modo ſecure & ſine vlla impeditione, ire & redire permittant: verum etiam quocunque caſu exſiſtente, prout res poſtularit, omnem gratiam, fauorem atque auxilium, noſtram in gratiam præſtent. Hoc nobis de ſingulis indubitato animo pollicemur: pari animi promtitudine, beneuolentia ac gratia, data occaſione compenſaturi. Noſtri vero qui iuris ſunt, eo ipſo huius noſtri mandati ſententiam exſequentur. Datæ in Regia noſtra Coldingenſi, xi. die menſis Nouembris, Anno Chriſti, &c. LXXXVI.

Friderich.

HENRI-

HENRICVS SVDERMANNVS ANSEATICArum ciuitatum Syndicus,

D. HENRICO RANZOVIO, Produci Cimbrico S. P. D.

ELegantiſſimum Magn. veſtræ filium vidi. Amplexus, & in eo plurimũ recreatus ſum. Fortunet magnos ipſius conatus altiſſimus. In eo toti nunc ſumus, reliquum vt itineris, ꝙ pluſculum periculi habet, feliciter perficiat. Comitatum itaq; ipſi nũc tutum procuramus. Heſterna cœna ampliſſimus ſenatus noſter, pro antiqua patriæ conſuetudine, vino ipſum, vti Regium legatum, honeſtauit. De reliquo ita mihi commendatus erit, veſtra vt Mag. meum erga iſtam familiam affectũ plane cognoſcat. Quam bene feliciterq; Neſtoreos in annos valentem, diuinæ protectioni committo. Hæc raptim, ex Muſeo noſtro, occupatiſſimus, XVI. Decemb. Anno M. D. LXXXVI.

HENRICVS SVDERMANNVS, ANSEATICARVM ciuitatum Syndicus,

D. HENRICO RANZOVIO, Produci Cimbrico, S. P. D.

NIhil hoc tempore ſcriptione dignum habeo. Itaque has ſaltem cariſſimi filii tui literas, quas ante ſex dies Bruxella accepi, tranſmitto. Quibus me etiã plurimum recreauit, eo quod ex harum latore, ciue Colonienſi, qui filio hinc itineris ductor fuit, ma-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

gno cum gaudio perceperim, ipſum & ſaluum Bruxellas veniſſe; & Arenburgicum Principem, cum Duce Parmenſi, præter opinionem, ibidem offendiſſe. Abfuerant enim Gandaui in Flandria; quo filium ſubſecuturum metuebamus, ob maxima itinerum pericula, & hoſtiles Bergenſium ad Somam excurſiones. Nunc itaque ſingulos in dies ipſum reducem exſpecto, qui vbi, gratia fauente diuina, ſaluus & incolumis in Cimbriam veſtram redierit, vel volumen de Belgicis rebus ſuppeditare poterit. Laminam paratam habeo, cuius exemplar hiſce adiungo. Eam, cum literis, & aliquot exemplaribus filio deinde tradam. Supereſt iam vnica Epiſcopi Ranzouiani perficienda, quæ Aquisgrani a præſtantiſſimo quodam artifice, in æs ſculpitur. Noſtri enim hic Coloniæ ita occupati ſunt, vt eam nobis perficere non potuerint. Bene vale. Datæ Coloniæ Agrippinæ, ſexto Ianuar. anni LXXXVII. quem annum tibi ſalutarem & felicem opto, cum tot aliis, quot vixit prope Arenſburgum in Weſtphalia ſacerdos quidam curatus, Tithonus noſtri ſeculi, qui ante paucos dies obiit, anno ætatis ſuæ centeſimo vigeſimoquinto, ſacerdotii vero, centeſimo primo.

POST LITERAS.

Regius veſter legatus Caius Ranzouius, adoleſcés ſane lectiſſimus, & ſummæ exſpectationis nobilis, quem non modo indies, ſed in ſingula quaſi momenta reducem exſpectabam, die XIX. Ianuar. cum literis & reſponſis ad Maieſt. Reg. Danicam Bruxella Coloniam ſe conferens, in prædones Brabanticos incidit, & ab iis Bergam ad Somam captiuus eſt abductus. Id quod hac ipſa hora, has obſignatas ad Tabellarium mittens, ex viro fide digno accipio; qui triſtis ſane & condolens id mihi ſignificauit.

Certe, vt omne incommodum, quandoque ſecum

aliquod commodum trahit; ita minus quidẽ malum, quod captiuus abductus, nõ ſtatim nefariis latronum manibus trucidatus fuerit. Quod nimis apud illos frequens & familiare. Datæ, vt in literis.

HENRICVS SVDERMANNVS, ANSEATICARVM ciuitatum Syndicus,

D. HENRICO RANZOVIO, Produci Cimbrico, S. P. D.

CAriſſimi filii tui Caii memoriam vix vnquam deponere poſſum, de quo, an certi quidpiã ex Brabantia per Hollandiã acceperis, ſcire percupio. Certo ſtatuo, iamdudũ a Regia Maieſtate literas directas eſſe ad Bergenſes ad Somam, aut eius loci præfectos: ne bonus ille Caius diu ibidem detineatur. Neſcio ſane, quidnam illi, hinc in Brabantiam abeunti, animus præſagiuerit mali. Cum enim illi rationem itineris difficultatemq; explicarem, & quanam potiſſimum curſum dirigeret, pericula vt prædonum declinaret: incidit illi, & quidem valde prudenter, incidit de catena ſua aurea cogitatio, quam apud me in reditum ſuum deponeret. Fidem illi meam, operamque fideliſſimam, pro meo erga iſtam familiã ſtudio, obtuli; ſed ita tamẽ, vt vel anlas prius certo numero, vel catenã ipſam ponderando, vel demum eam in capſulam concludendo & obſignãdo, mihi exhiberet. Riſit curioſitatem hanc meam, & tamẽ rationibus meis adductus, catenã ſuam in capſula occluſam, ante diſceſſum meæ fidei concredidit, eamque apud me de-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

poſuit;ita vt abſconditum apud me theſaurum nunc habeam: de quo quid nam fieri velis, an diutius mihi retinendus, an ad te in filii aduentum, vel per noſtros, vel per veſtros nuntios remittendus, iube & impera. Nihil enim ſine expreſſo mandato faciam. Non arbitror eum hac iter habiturum: ſed poſt dimiſſionē impetratam, per Hollandiam domum profecturum. Minori etiam cum periculo & detrimento liberabitur, quam ſi alius quiſpiam eiuſmodi conditionis ac fortunæ ex hoſtilibus oris detentus fuiſſet. De Regiis literis quidnam facturi ſint, mirabor: an etiam illas reſignaturi? facturos putarē, cum ab Illuſtriſſimo Duce Parmenſi, hoſte ſuo profectæ.

Porro hinc diſcedens, quatuor ſecum meritorios equos, cum ciue quodam Colonienſi, viro optimo, cuius equi erant, abduxit. Mercedem illi Bruxellę obtulit 27. Imperiales Daleros. Verum ciuis ille rogauit, pecuniam vt illam apud ſe retineret, nō enim audere ſe, ob periculum, illam ſecum recipere. Sed nominaret amicum aliquem Coloniæ, qui ſuo nomine 27. illos Imperiales perſolueret. Itaq; viſis literis manuque filii, curaui, vt agens Bonauenturæ Bodequeri, hanc iſti ciui pecuniam numeraret. Quod Magn. tuæ ſignificandum eſſe duxi, ne Bonauentura Bodequer difficultatem forte aliquā in hac ſolutione acceptanda moueat. Quod eum tamen non eſſe facturum puto. Atque hæc quidem ſunt, quæ iam hoc tempore ſcribenda eſſe putaui. Reſtat nunc, vt ex voto bene valentem, Mag. veſtram diuinæ protectioni committam; Deum orans, Reipublicæ vt te ſanum multos in annos obſeruet. Ex Muſeo noſtro Agrippinenſi, x. Febr. ſtylo antiquo, Anno M. D. LXXXVII.

HENRI-

HENRICVS RANZOVIUS PRODVX CIMBRICVS,

D. HENRICO SVDERMANno, Anſeaticarum ciuitatum Syndico, S. P. D.

BInæ a te mihi ſunt redditæ literæ, vir reuerende ac humaniſſime, quæ mihi gratæ fuerunt, eo quod priores de filii mei Caii Ranzouii captiuitate, poſteriores vero de dimiſſione eiuſdem certo me edocuerunt. Ad quarum capita præcipua cum antea reſponderim: iam tantum de filio meo nonnihil ad te perſcribam. Et ſane ita ſeſe res habet, quemadmodum antea ſcripſiſti, nempe quod is, dum reditum Coloniam parat, tribus miliaribus a Bruxellis, ab 23. equitibus Brabanticis captus, per deuia quæque loca & flumina per octiduum fere pertractus, ac tantũmodo pane ac aqua ſuſtentatus, tandem Bergam ad Somam deductus eſt, omnibus prius ſpoliatus: ita vt ne quidem calcei ipſi relicti fuerint. Erepta etiam ipſi fuit catena aurea, qua ab Illuſtriſſimo Duce Parmenſi donatus fuerat: cuius niſi etiam effigiem auream apud ſe habuiſſet, ac eadem ipſis ſpem maioris lucri feciſſet, proculdubio interemtus eſſet. Ad Bergenſes vbi venit, præfectus eius loci lectis literis Regiis ſalui conductus, in diuerſorium eum deduci iuſſit, ac poſtea dimiſit. Idem enim præfectus in aula Sereniſſimi noſtri Regis Daniæ fratrem habet, quæ res ad impetrandam dimiſſionem non parum momenti attulit. Longolius etiam inſuper ipſi viaticum ſubminiſtrauit. Diſcedens inde filius meus Caius miniſtrum

ſuum ibi reliquit, qui ſedulo inſtaret, vt ademta illi reſtituerentur: verum nihil eorum recuperare potuit. Illuſtriſſimi Ducis Parmenſis literas Regi Daniæ inſcriptas, Ordines Hollandiæ per biduum apud ſe detinuerunt, ac poſtea ipſi reſtituerunt; Comitiſſæ vero Arensburgiæ literas omnes reſignarunt. Putarunt, vt mea fert opinio, filium meum, priuatorũ negotiorum cauſa, ad Illuſtriſſimum Ducem Parmenſem ablegatum eſſe. Caius eos ſedulo monuit, ne literas Regiæ Maieſtati inſcriptas reſignarent. Hactenus enim a Regiis Hiſpanicis miniſtris id non factitatum. Quod ſi committerent, ius gentium violarent. Ceterum quantum ad Illuſtriſſimum Ducem Parmenſem, ac Comitem Arenſburgicum attinet, filius meus ſatis ſplendide ac magnifice exceptus ac tractatus eſt: ita vt illorum beneficentiam apud Regiam Maieſtatem merito prædicare teneatur. Quid Caius ipſemet ad te ſcribat, ex literis adiũctis cognoſces. Nihil tam male Caium habet, quam iconis Illuſtriſſimi Ducis Parmenſis iactura. Sed nullum eſt dubium, quin aliquando reſtitutionem ſint facturi. Quas enim Rex literas, ob dimiſſionem eius impetrandam, ad Status & Baronem de Willigbui deſtinarit, ex literarum exemplis annexis patet.

Vale. xx. Februar. Anno

LXXXVII.

***

FRI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

FRIDERICVS II. DANIÆ, NORVEGIÆ, GOTHORVM, VANdalorumque Rex, Dux Sleſuici, Holſatiæ, &c.

GENEROSIS, NOBILIBVS AC Strenuis Status Hollandiæ confœderatos repræſentantibus, ſingulis ac vniuerſis.

EX ſingulari clementia noſtra vos ignorare nolumus, per fide dignos homines ad nos certo afferri, quam indignis modis nobilis aulę noſtræ miniſter, fidelis ac ſincere dilectus, Caius Ranzouius, a Duce Parmenſi, ad quē cū literis noſtris ipſum dimiſeram⁹, rediturus, a quibuſdam militibus, qui ſacramento vobis obſtricti dicebantur, inter Bruxellas & Coloniam captus ſit. Quia vero nec propter res noſtras, nec ex priuato commodo, ſed communi totius Belgii bono, vt nimirum bello inter Regem Hiſpaniarum, Reginam Angliæ, ac Ordines Belgicos cōpoſito, priſtinæ quieti loca iſta reſtituerentur, ad Ducem Parmenſem ipſum ablegauimus, ſaluo conductu noſtro inſuper munitum, quamuis, abſq; iſto, de fide ac beneuolētia veſtra optima, quæq; nobis ac illi pollicebamur. Idcirco hanc iſtorum prædonū petulantiam, quam cōtra omnes omnium locorum cōſuetudines ac leges, eas pręſertim, quibus legati iure gentium ſacroſancti habentur, nefarie in hunc noſtrum miniſtrum exercuerunt, ægerrime ac ſingulari cum indignatione ferimus. Nec dubitam⁹ quin Illuſtr. Principiſſa cognata, ac ſoror noſtra cariſſima, sereniſſima Angliæ Regina, vbi ſcelus compererit, extreme nobiſcum illud ſit deteſtatura, & per vicarios ſuos in Belgio, ſeueriſſimis pœnis in nequiſſimos auctores animaduerſura.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Et profecto nec vobis ipſis , nec bono cuiquam huiuſmodi quid poteſt probari. Clementiſſime itaque nec non ſeueriſſime a vobis poſtulamus, vt, ſi dictus miniſter noſter Caius Ranzouius, ante redditas has noſtras, dimiſſus nondum fuerit: confeſtim inquiratis, vbi locorum a veſtris detineatur: tum inuentum abſq; vlla mora non modo dimittatis incolumem ac immunem: verum etiam omni opera ſedulo iuuetis, ac quibuſcunq; opus fuerit rebus citiſſimum eius ad nos reditum promoueatis. Quod ſi clementiſſimo huic noſtro ac ſerio poſtulato ſtatim non ceſſeritis; experiemur remedia ea, quæ vobis ſint futura difficilima, noſtris vero cum teſſera ſalui conductus proficiſcentibus, tranſitum facilem ac tutum, quacunque eant, deinceps paritura. Quod vos conſiderare volumus ; quos alioquin regia beneuolentia proſequimur. Dabantur Scanderburgo, XII. Februar. Anno M. D. LXXXVII.

FRIDERICVS DEI GRATIA, DANIÆ, NORVEGIÆ, VANdalorum, Gothorumq; Rex, Dux Sleſuigæ, Holſatiæ, Stormariæ àc Dithmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt, &c.

BARONI DE VVILLIGBVI, Reginæ Angliæ gubernatori Bergii ad Somam.

NObilis, ſtrenue, ſingulariter nobis dilecte: retulerunt nobis homines fide digni, aulicum noſtrũ miniſtrum, nobilem, dilectum noſtrum fidelem Caium Ranzouium, ab illuſtri Principe Parmenſi, quo eum

eum ablegaueramus, redeuntem, a militibus quibuſdam, prædonibus verius, inter Bruxellam & Coloniã interceptum, & captiuum abductum eſſe. Hunc vero nos, non noſtri priuati commodi cauſa, ſed cum literis, quæ pacem, quam non ſine magno labore & ſumtu conficere ſtudemus, prouinciis Belgii procurent, teſſeraq; ſalui conductus, & Latine & Germanice ſcripta, noſtraq; manu & ſigillo firmata, inſtructum dimiſeramus. Ideoq; ſane, vti par eſt, indigne ferimus, nullo habito reſpectu, ab hominibus iſtis contra ius gentium tam inſigniter eſſe peccatum. Ac minime etiam probaturam eſſe hoc factum sereniſſimã Angliæ Reginam, ſororem noſtram cariſſimam, cui prædones iſti ſe obſtrictos eſſe prætendunt, imo ex merito per ſuos Præfectos punituram, certo confidimus. Nuntiatum eſt inter ſuperiora hoc quoq;, perductum eſſe miniſtrum noſtrum Ranzouium, Bergam ad Somã, quam adminiſtrationi tuæ creditam exiſtimamus. Etſi autem de optima tua erga noſtros voluntate minime dubitemus: & abs te nobis prolixe polliceamur, Ranzouium tuo iuſſu, tuaque ope dimiſſum, ad nos liberum incolumemque breui rediturum: hoc tamẽ ipſum vt ſtudioſe efficias, clementer cupimus. In poſterum etiam militibus illis, vt interdicas, ne quid iuris ſibi in noſtros vſurpent, atque præcipias, præclaris potius virtutibus, quam prædonum illicitis artibus, famam ſibi conciliare vt ſtudeant, te hortamur. Id enim niſi fiat, vt noſtræ ferent rationes, conſilium capiemus, quo noſtri deinceps tutius itinera ſua noſtro iuſſu inſtituta conficere poſſint. Cęteroquin Regia noſtra beneuolentia te complectemur. Dabantur Scanderburgo, XII. Februar. Anno

M. D. LXXXVII.

***

IVSTVS LIPSIVS HENRICO RANZOVIO, S. D.

ILluſtris Domine, binas a te literas (quæ tua diligētia eſt) eodē exemplo accepi: ſemper mihi gratas, cum ſignum & manum tuam agnoſco, & magis cum verba lego, nō noui amoris non nouos ſemper teſtes. Dona etiam mittis nō ab auro, vt nuper, ſed a meliore ingenii tui aura: quibus fateor ex animo me affectū. Hiſtoriolam quidem illam ſtatim legi: prudēter profecto, dilucide, ordine ſcriptam. Nam quin vere qui ambigam, a tali vel auctore, vel directore? Iam Elogia illa ad æternę famę virum patrem tuum, quæ ſubiuncta, profecto preſſo & rotūdo ſtylo ſcripta. Quiſquis is auctor, ſcio non inuiſum eum vixiſſe melioribus Muſis. Doctrina vetus, nec affectata in iis apparet, & iudicium ante omnia directum quoddam in togatis ſagatiſque rebus. Vno verbo, pręco ille non indignus eo Achille.

Zonta veſtra nuper clauſa, mirifice anxios nos habuit. Quid mirum? ab ore illius freti pendent tot millena hæc ora. Nonnulla iniuria, fateor, illata filio tuo Caio in his terris: & doluimus ego, aliique boni viri (nec id clam) nō paulo honeſtius cum eo actum. Sed fons mali a prædonibus: & qui mederi debebāt, lenti & imperiti potius horum remediorum, quam mali aut contemnētes. At Regis tui ſereniſſ. eam magnitudinem animi & manſuetudinē ſperamus, vt diſſimulare eiuſmodi noxas malit quam vindicare. Hoc laudabilius, & niſi fallor, magis ex Germaniæ bono.

Nos nūc Politicum quiddam damus, & mittemus ad te inter primos. Adiunxi huic epiſtolæ libellos e meis,

meis,& e tuis,quos petebas. Scribe autem, Illuſtris Domine, ſi quid amplius voles, illi qui parere & auſcultare tibi paratus eſt. Lugd.Batauorum, Cal.Iun. ∞ IↃ LXXXVII. Saluere officioſe iubeo R. virũ D.Dauidem Chytræum. De filio tuo Friderico nihil intellexi; quæram tamen,& ſi quid reſciero,ſcribam.

CONSOLATORIA CASPARIS HOYERI, REVERENDISSIMI & Illuſtriſſimi Principis,Domini Ioannis Adolphi, Archiepiſcopi Bremenſis & Epiſcopi Lubecenſis, heredis Noruegiæ,Ducis Sleſuigæ,Holſatiæ,&c. Conſiliarii,& præfecti Eiderſtedenſis,

AD

ILLVSTREM, NOBILEM ET Magnificum virum,Dn.Henricum Ranzouium, Regium Vicarium.

EX tuis literis,Illuſtris ac Nobilis vir,inopinatum ac immaturum obitum Caii Ranzouii filii tui, ornatiſſimi iuuenis,magno animi dolore percepi : Siquidem inſperatus caſus iſte, non minus me affecit, quam ſi de filio meo eſſet ad me ſermone perlatus. Doloré autem meum auxit perſpecta & a teneris annis cognita filii tui optima indoles & admirãda naturæ bonitas,ad omnem virtutem propẽſa,& quodammodo honeſtati & ſuauitati humanitatis nata:tum etiam,quod indubitatam ſpem animo conceperam, ipſum optimorum parentum veſtigia perſecuturum, & Reip.capeſſendæ, ſingulari communis patriæ bono,maxime idoneum futurum.Sed hac ſpe (proh dolor!) triſti caſus inopinati nuntio fruſtratus,non im-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

merito deploro vicem patriæ:quam paucis retro an-
nis,nobiliſſimis & eximiæ ſpei adoleſcētibus, & pro-
xime præteritis diebus filio tuo, fortuna minus nobis
amica orbauit: ſuperſtitibus relictis quibuſdam aliis
parum frugi hominibus. Sed dandum hoc infelicita-
ti noſtræ,quæ a Deo, ob manifeſta delicta offenſo &
nobis irato,merito immittit̃. Exorandus igitur Do-
minus,vt miſericordiæ recordetur: pœnas plus ſatis
meritas clementer auertat & leniat,ne hominibus ad
gubernandum idoneis Reſp. noſtra penitus deſtitu-
ta, grauius damnum aliquando ſentiat. Non defue-
runt hactenus nobis viri boni,& Reip.vtiles; ſed re-
cidit numerus ad paucos: extimeſcēdum,ne breui ad
pauciores. Scribo hæc non ignarus rerum noſtrarū:
ſiquidem in iis plus minus annos xxx. verſatus ſum.
Cogit itaq; me publicæ ſalutis ſtudium, vt quod ſen-
tio exprimam. Niſi enim iuuentus & rectius educe-
tur,& informetur, quam ſuperiore ætate, parentum
& præceptorum incuria,factum eſt: non video,quid
ſeneſcētibus his,qui ad gubernacula modo ſedent,de
Repub inpoſterū recte adminiſtranda ſpei reliquum
ſit.Præſtitiſti tu quidem,& nōnulli alii præcipuæ no-
bilitatis præclari viri,in liberis ſuis informandis opti-
mi parentis officiū, ex quo ſine dubio fructum vber-
rimum aliquādo Reſpub.noſtra percipiet. Ceterum
perrarum hoc eſt,& ſingulare decus paucorum.Reſ-
pub.autem,vt quævis,ita noſtra, numero nō paucos,
ſed multos requirere videtur homines , ad virtutem
& gubernandi artem educatos. Diutius huic argu-
mento immoror, tibique viro longo rerum vſu pru-
dentiſſimo,ac naturæ dotibus ornatiſſimo,non igno
ta in memoriam reuoco, triſtitiæque maiori cauſam
præbeo: cum conſolari lugentem potius oporteret.
Sed veniam daturum te mihi, nec ſecus quam ſcripta
hæc ſunt interpretaturum,confido. Mouet enim me
amor patriæ, deſiderium filii tui Caii, & præcipitata

fata

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

fata quorundam nobilium adoleſcentum; vt patriæ, tibi, & aliis bonis viris condoleam: meaque vota & preces, pro florentis ſtatus harum prouinciarum cõſeruatione, veſtris coniungam. Tu interim, Magnifice vir, pro animi tui magnitudine ferens hunc caſum, qui mutari ob fati neceſſitatem nequit, patienter, dolori modum ſtatuas, & Deo repetenti ſuum ne refrageris. Eſt enim illud fortis & magnanimi viri: hoc in Deum pii, & in ſecundis pariter & aduerſis obſequentis. Quod vt facias, amicitiæ noſtræ iure, iam multis annis inter nos ſincere cultæ ac continuatę, maiorem in modum abs te peto, & fideliter moneo. Expedit hoc inprimis valetudini tuæ, laboribus debilitatæ, & ingraueſcenti ſenio, indies pluſculum infirmitatis contrahenti. Oro ego DEVM Opt. Max. vt tuum & nobiliſſimæ honeſtiſſimæque coniugis dolorem leniat: & iacturam defuncti filii, ſingulari exoptatæ felicitatis vſura benigne recompenſet: teque quam diutiſſime Reipublicę, coniugi, liberis, ac nobis amicis tuis ſaluum & incolumem conſeruet. Quod autem ad exequias defuncti filii me inuitaueris: agnoſco ex eo ſingularem tuam in me beneuolentiam: de qua gratias ago permagnas. Adero lubens ad præſtitutum funeri deducendo diem, niſi me iudicia Tunderenſia, quibus ſecundus dies Maii deſignatus eſt, pręter voluntatem meam impedient. His vale, præſtantiſſime vir: & me tui amantiſſimum redama.

Ex Hoyers Worda Eiderſtedii, viceſimoquarto April. die, An. Chriſti M.D.XCI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

EPISTOLA REVERENDISSIMI ILLVSTRISSIMIQVE DOMINI, D. Ioannis Adolphi, poſtulati & electi Archiepiſcopi Bremenſis ac Epiſcopi Lubecenſis, Ducis Sleſuuigæ & Holſatiæ, &c.

AD *HENRICVM RANZOVIVM Regium Vicarium.*

Qua ipſum conſolatur, de obitu filii Caii.

NObilis ac ſincere nobis dilecte: nobilis ac fidelis Conſiliarii noſtri Caii Ranzouii filii tui obitum, tum ex literis tuis, tum etiam fama publica non ſine animi perturbatione cognouimus. Sane optandum erat, longiorem vitam ipſi diuinitus fuiſſe cōceſſam. Cum autem vniuerſarum hominū vita e Dei immortalis pendeat voluntate; eaque benigna æque ac conſtans ſit: diſſentiendum ab illa non eſt, multo minus illi repugnandum. Quamobrem patienter & moderate feres mortem filii, ex hac ærumnoſa & fugaci vita, ad beatam æternamque euocati. Diem VII. Maii cum intellexerimus funeris exequiis præſtitutum eſſe; nobili ac fideli noſtro Conſiliario Theodorico Blomio mandauimus, vt noſtro nomine & loco illius ſupremi diei honeſtet celebritatem, quo ad templum Itzehoenſe filio funus ducetur. Reſpondimus his breuiter ad tuas, noſtram tibi voluntatem propenſam in his declaraturi benigniſſime, quib. plurimum ſignificare poterimus. Datum Ieuenſtedæ, 29. Aprilis, Anno Chriſti M. D. XCI.

CONSO-

CONSOLATORIA DAVIDIS CHYTRÆI, AD Henricum Ranzouium.

NObilis & Magnifice Heros, Patrone colende, poſteaquam de nobiliſſimi generis ac ingenii iuuene, ſenilem prudentiam & virtutis maturitatem ante annos adepto, filio tuo Caio, ſuperioribus diebus ex hac vita euocato, intellexi: ad officium pietatis & gratitudinis Domino & patrono de me optime merito debitæ pertinere iudicaui, συμπάθειαν meam, & doloris ac mœſtitiæ ſocietatem tali tempore declarare. Vult enim Deus nos aduerſis amicorum & patronorum caſibus vero mœrore affici: & ſimul de communi naturæ noſtræ infirmitate, de cauſis ingentium miſeriarum & mortis humanæ, & de fontibus conſolationum, quos Deus monſtrauit, cogitare. Magnum quidem & acerbum vulnus, ꝑꝑropera & immatura mors talium liberorum, cordi noſtro infligit, in quibus ingenium cæleſte ſuis velocius annis ſurgit: qui ante annos animumque gerunt, curasque viriles: qui virtute & induſtria ſingulari exculti ac politi, iam patriæ ſuæ, & Regibus ac Principibus, patriæ Dominis, cũ laude ſeruire cœperant: & quos ſi diutius vixiſſent, magno Reipubl. & ſuis præſidio & ornamento futuros, ſpes erat. Sed non caſu fortuito, nec cauſis ſecundis tantum naſci & occidere homines, vt pulcerrimi arborum & herbarum flores, hoc anni tempore, ſubito defluunt ac pereunt: veluti poma, alia matura, alia ante maturitatem decidunt: ſed certo Dei patris cæleſtis conſilio & voluntate, certa vitæ ſpatia, aliis longiora, aliis breuiora tribui ſcimus. Definiti enim dies

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

hominis ſunt, vt vox diuina inquit: numerus menſium illius penes te DEVS eſt: conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Etſi autem cauſas diuini conſilii, optima quæque prius a nobis auferentis, & impleri numeris deteriora ſuis permittentis, omnes perſpicere non poſſumus: tamen cum omnibus hominibus ſtatutum ſit ſemel mori: multis calamitatibus & periculis tempeſtiue morientes præripi, non ſolum exempla plurimorum fortuna, potentia, dignitate florentium, Pompeii, Ciceronis, Crœſi, Polycratis, Valeriani Cæſaris, &c. quibus diutius vixiſſe nocuit: verumetiam cæleſtia oracula confirmant. Et vno veluti faſce, Seneca mortis tempeſtiuæ commoda complectens exclamat: o ignaros malorum ſuorum, quibus non mors, vt optimum naturæ inuentum, laudatur: quæ ſiue felicitatem includit: ſiue calamitatem repellit: ſiue ſatietatem aut laſſitudinem ſenis terminat: ſiue iuuenile æuum, dum meliora ſperantur, in flore deducit: ſiue pueritiam ante duriores gradus reuocat: omnibus finis: multis remedium: quibuſdam votum: de nullis melius merita, quam de iis, ad quos venit, antequam inuocaretur. Floruit filius tuus, ingenii ſagacitate & prudentia ſenili: ſingulari in rebus agendis dexteritate ac induſtria: morum grauitate, & victore omnium voluptatum animo, plane adhuc iuuenis. Iam quicquid ad ſummum peruenit, ad exitum properat, ait idem Seneca. Eripit ſe aufertque ex oculis perfecta virtus: nec vltimum tempus exſpectant, quæ in primo maturuerunt. Ignis quo clarior fulſit, eo citius exſtinguitur. Sic ingenia, quo illuſtriora, eo breuiora ſunt, vt de Marcello adoleſcente, Auguſti ſororis filio, Virgilius cecinit: Oſtendent terris hunc tantum fata, nec vltra eſſe ſinent. Auguſtus ipſe, viuum & vnicum fere, inter Reges, Ariſtotelicæ beatitudinis, cum excellenti ſapientia, virtute & felicitate, cætera etiam fortunę

bona

bona coniuncta habentis, exemplum, duos nepotes ſuos, Caium & Luciũ, in quibus ſpem generis & imperii præcipuam collocarat, in ipſo ætatis ac rerum gerendarũ flore amiſit. M. Cato ille ſapiens & ſenex, filium prætorium, virum optimũ & virtute præſtantem, terræ ſe mandaſſe refert, cum contra ſibi ab illo parentari decuiſſet. Paulus Æmilius ille, qui Perſeum Macedoniæ Regem a ſe captum in triumpho duxit, cum ex quatuor filiis, duos adoptandos in Scipionum & Fabiorum familiam dediſſet, duos ſuperſtites, illis ipſis triũphi diebus, ante ſe ex hac vita migrare vidit.

Hęc cum ſummis iſtis imperii Romani luminibus, & aliis Principibus & priuatis, in Eccleſia Dei euenerint: iniuſtum eſſet a nobis ſimilia onera recuſari: pręſertim cum Deum ſapienti & grauiſſimo cõſilio, noſtræ potiſſimum vtilitatis & ſalutis cauſa, nos morbis, & noſtrorum morte, & aliis aduerſis caſibus, interdum exercere ſciamus: vt timor Dei, fides, inuocatio, patientia noſtra, & cæteræ virtutes: quæ rebus omnibus ad volũtatem fluentibus, languidiores fiunt, & paulatim prorſus exſtinguuntur, per crucem & calamitates in nobis explorentur, exerceantur, creſcant & confirmentur.

Vere enim Demetrius, vitam ſecuram & ſine vllis fortunæ incurſionibus, mare mortuum appellat, quod nullis ventorum flatibus, vt cætera, agitetur. Nam nihil habere, ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denuntiatione & incurſu firmitatem animi tui tentes: mortuum verius, quam viuum refert. Hinc Attalus etiam Stoicæ diſciplinæ Philoſophus dixit, Malle ſe, vt a fortuna in caſtris ſuis, quam in deliciis habeatur. Sed noſtræ potius philoſophiæ Principis Christi teſtimoniis vtamur, qui omnis doloris ac ærumnarum expertes, pro ſpuriis & nothis, non pro filiis, a Deo haberi oſtendit. Quis enim eſt filius, quem non erudit ſubinde & caſtigat pater?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Quod igitur te quoque, non Ariſtotelica ſolum felcitate, vt de Auguſto Cæſare paulo ante dixi, ſapientia, virtute, doctrina, ſplendore, gloria, flore liberorum, opibus, latifundiis, plena auctoritatis & dignitatis ſenecta vigentem: ſed etiam poſt mortem, ſecuturam beatitudinem in cælis æternam exſpectantem: ſubinde mortalitatis & fragilitatis humanæ, Deus, tuorum funeribus, & aliis rebus incommodis, admonet: beneuolentiam Dei erga te paternam hac quoque in parte agnoſces, nec voluntati Dei vehementius repugnabis.

Cumque cariſſimus filius tuus, in vera agnitione & inuocatione filii Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti deceſſerit, certo ſtatuimus, eum in æterna cum Deo eccleſia & cæleſti conſuetudine, conſecuturum eſſe æterna cum Chriſto gaudia, & nunc lætari, ſe miſeriis ærumnoſæ huius vitæ mortalis perfunctũ eſſe, & coram frui conſpectu & voce filii Dei, & clariſſimorum Regum, Dauidis, Ioſiæ, Conſtantini, Caroli I. Chriſtiani III. Friderici II. & nobiliſſimi Herois Ioannis Ranzouii, aui paterni, & fratrum, qui eum præceſſerunt, & tuam, ac nobiliſſimæ matris, & fratrum, ſororumque ſuperſtitum ſalutem Deo commendare.

Quod ſi in Chriſtum credimus, & fidem verbis ac promiſſis eius habemus (inquit D. Cyprianus) cur non cum Chriſto futuri, & de Domini pollicitatione ſecuri, ad Chriſtum, cũ quo victuri & ſemper regnaturi ſumus, læta ſecuritate venimus? Quis non ad meliora feſtinet? Iam terrenis cæleſtia, & magna paruis, & caducis æterna ſuccedunt. Quis hic anxietatis & ſolicitudinis locus eſt? quis inter hęc trepidus & mœſtus eſt, niſi cui ſpes & fides deeſt? eius eſt enim mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire: eius eſt nolle ad Chriſtum ire, qui ſe nõ credit cum Chriſto regnarę. Et paulo poſt: non igitur ſunt lugendi fratres & liberi noſtri, accerſione dominica de ſeculo liberati:

cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

cum ſciamus,nõ eos amitti,ſed præmitti:recedentes, præcedere,vt proficiſcentes & nauigantes,deſiderari eos debere,non plangi: nec accipiendas hic eſſe atras veſtes, quando illi ibi indumẽta alba iam aſſumſerint.

Non dubito autem,te,vniuerſam Eccleſiæ doctrinam,& hunc præcipue portum vitę ac ſalutis æternę, in quem filius tuus tempeſtiuo curſu iam peruenit, intuentem,& hæc,quæ commemoraui omnia,& alia dolorum remedia cogitantẽ, mediocriter in Dei voluntate acquieſcere,& mœſtitię repugnare.Exiſtimaui tamen ad officium patrono & amico de ſe optime merito debitum pertinere,tali tempore aliquã communis mœſtitiæ & luctus ſignificationem oſtendere, quod te, tali ſapientia & bonitate virum, non aſpernari confido. Deum æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti,fontem omnis conſolationis,& vitę prę-ſentis ac æternæ, ardentibus votis precor: vt tibi, & nobiliſſimę coniugi tuæ,vires animi & corporis confirmet, & vitam ad multorum hominum & Reipublicæ ſalutẽ proroget, & vniuerſam familiam veſtram, incolumem & florentem perpetuo ſeruet.Datæ Roſtochii Calendis Maii. Anno M.D.XCI.

RESPONSIO HENRICI RANZOVII.

AD

EPISTOLAM CONSOLATORIAM D. Dauidis Chytræi.

Literas tuas Chriſtianæ pietatis & humani officii pleniſſimas,Reuerende ac Clariſſime vir,quibus me de immaturo filii mei Caii Ranzouii, in ipſo æui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

flore exſtincti, obitu conſolaris, accepi cupide, & ſpe bona, operam in id a te collocatam eſſe, vt meum ſedare ſtuderes obortum dolorem, legi, hoc ipſo fructu efficaci percepto. Non ſolum enim multorum clariſſimorum virorum, qui parem mecum experti ſunt amiſſis liberis fortunam, prolixam continebant enumerationem: ſed etiam ex ipſis ſacris literis, veriſſimis nempe conſolationum fontibus, certa remedia proponebant. Quo factum eſt, vt dolorem ac luctum, ex triſti illo caſu contractum, non parum leuari atque leniri deprehenderim. Quocirca pro hoc officii genere, gratias tibi habeo quam maximas.

Equidem ingenue fateor, me legiſſe conſolationes philoſophicas, cum eam, quam Criticorum cenſuræ expoſitus libellus, de luctu minuẽdo, in quo, ſi genuinus eſt, ſeipſum Cicero de morte filiæ cõſolari conatus eſt, exhibet: tum alteram, quam olim Iacobus Sadoletus, initio Apoſtolicus Cubicularius, poſtea Cardinalis, ad Ioannem Camerarium Dalburgicum Epiſcopum Wormatienſem, & quondam Maximiliani I. Imperatoris Conſiliarium, de obitu matris, Romæ ſcripſit. Coniunxi Marci Antonini Imperatoris, Senecæ, Boetii & Petrarchæ libros, ad animi tranquillitatem, in fortuna tam ſecunda, quam aduerſa conciliandam, lectu vtiles: Meditationes item in aduerſis, quæ auctore Ioachimo Camerario Papebergenſi in publico exſtant. Occurrerunt ad hæc magnorum virorum, & Græcorum, & Romanorum innumera vetera atq; etiam domeſticorum recentia quædam exempla, quæ ad animi firmitudinem cõparandam non parum valere poterant.

Pericles enim, amiſſis duobus filiis, coronatus nihilominus in concione diſſeruit.

Xenophon ſacrificans, cum audiret filium fortiter dimicantem occubuiſſe: depoſuit quidem coronam, ſed eandem continuo capiti repoſuit.

Anaxagoram, cũ ei mors filii nuntiatur, nihil aliud dixiſſe ferunt, quam, genuiſſe ſe eum mortalem.

Demoſthenes orator ille inſignis amiſſa filia vnica, ſeptimo die indutus albis veſtibus coronatuſq; in publicum proceſſit.

Rex Antigonus audita filii Alcyonei magno animo dimicantis, & mediis in hoſtibus occumbentis, morte, nihil aliud dixit, quam, mea opinione tardius, o fili, audacter in hoſtem impetum faciendo, cecidiſti.

Quintus Martius Romanorum Rex, cum vnicum filium amiſiſſet, eo ipſo die, quo filii rogum ſpectarat, curiam ingreſſus ſenatum conuocauit.

Harpagus Medus, cum filius interfectus, ipſi, inter epulas, iuſſu Regis ſui Aſtyagis proponeretur, nihil perterritus, quicquid Regi placeret, ſibi non diſplicere, innuit.

Prexaſpes morientis filii, cũ Cambyſes iaculo eum tranſuerberaſſet, ſine indicio doloris ſpectator fuit.

Lucius Paulus præterea, duos filios, ſpatio ſeptem dierum: Lucius Bibulus totidem filios, ab Ægyptio milite crudeliſſime necatos: P. Craſſus in conſpectu ſuo filium: D. Iulius, vnicam filiam: D. Auguſtus liberos & nepotes (quorum & tu, mi Chytræe, mentionem facis) & ſuorum frequentem turbam: L. Fabius Maximus vno die vxorem, & matrem: Filium etiam paulo poſt conſularem amiſit. Ex his quemq; ſuorum interitum infracto animo tuliſſe, proditum eſt.

Recens etiam, nobiles illi Holſati, Petrus Dominus in Troieburg, & Dethleuus in Kletkamp, Rãzouii, ambo gentiles & agnati mei cariſſimi, poſtquam vnius anni ſpatio, patria procul, vita exceſſiſſe vnicum ſuum filium vterq; cognouit: mirum in tam acerbo caſu, quam viros Chriſtianos, & a nobilitate fortitudineq; Cimbrorum veterum haud alienos ſe præſtiterunt: Petrus præſertim, qui vt ætate, ita animi præſentia & firmitate Dethleuum ſuperauit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Obuerſatur in primis Illuſtriſſimæ quoq; Principis Chriſtinæ Landgrauicæ, Adolphi bellica virtute laudatiſſimi optimique Ducis viduæ, in ſexum fœmineum imbecilliorem vix cadens animi moderatio: dum magnam illa funerum domeſticorum frequentiam, paucorum annorum curriculo patiēter ſpectauit, orbata marito fortiſſimo, filiis duobus ætate prouectioribus, Friderico & Philippo, indole & eruditione plæclara ornatiſſimis, atque etiam filia Elizabetha, ſpectatiſſima puella.

His exemplis omnibus non parum a ſolicitudine me abduci ſentio: præſertim hoc etiam conſiderato: mala, quæ nec vitari, nec humanis vel conſiliis, vel viribus auerti poſſunt, ferenda eſſe toleranter.

Quæ non tolerari poſsũt ea ſunt toleranda.

Verumtamen nihil magis me conſolatur, quam ſpes & fiducia, quam de reſurrectione corporum humanorum, immortalitate animæ, ac tribuenda vtriq; vita æterna, certam concepi, ita verbo diuinitus pate: facto edoctus: ſecundum quod in ſacris literis expoſita exempla Patriarcharum, Abrahami & Iacobi, Regis Dauidis, Iobi, & aliorum ſanctorum, intuenda & imitanda (quatenus mea fert tenuitas, ſpiritu diuino ſuffulta) mihi propono.

Vel vnus Apoſtoli locus, in prioris Epiſtolę ad Corinthios 15. capite, ſæpe a me relecto, cui non eximat omnem dubitationem, de futura pie defunctorum glorioſa reſuſcitatione? Diſſerit de hac luculenter & prolixe D. Paulus, diſerte docens: Quomodo & quali corpore reſurgent defuncti, & prodibunt vitæ reſtituti. Affert enim imaginem & experimentum vulgo cognitum, de ſemine, quod nõ viuificatur, niſi emortuum fuerit: & cui Deus dat corpus, ſicuti voluit: & vnicuiq; ſeminum proprium corpus. Quam partem Apoſtolici typi venuſtiſſime illuſtrat Tertullianus, in libro de reſurrectione carnis: ſeritur ſolummodo granum, inquit, ſine folliculi veſte, ſine fundamento

ſpicæ,

ſpicæ, ſine nutrimento ariſtæ, ſine ſuperbia culmi: exſurgit autem copia generatum, compagine ædificatum, ordine ſtructum, cultu munitum, & vſquequaq; veſtitum. Hæc ſunt ei corpus a Deo aliud: in quod non abolitione, ſed ampliatione mutatur. Hæc ille. Quemadmodum noſtra etiam corpora, terræ mandata & corrupta, reſurgent in potentia, οὐ φυσικὸν, ἀλλὰ πνευματικόν. Plane enim ſignificanter τὸ φθαρτὸν τοῦτο, ait D. Paulus. Quæ verba Theodoretus ſuo quodam dialogo inſigniter vrget & ponderat, ſic ſcribens: ὁρᾷς τὴν ἀκρίβειαν, τὸ θνητὸν τοῦτο ἔδειξε δεικτικῶς, ἵνα μὴ ἄλλης νομίσῃς σαρκὸς ἀνάστασιν. Quod ita interpretari conati ſumus: Vides accuratam expreſſionem, mortale hoc, quaſi digito extenſo monſtrauit, ne putes alterius carnis (præter hanc quam circumfers) reſurrectionem.

Quid prohibet? inter alia argumenta neutiquam dubia, quæ confirmant perſuaſionem piorum animis alte infixam, de redituro aliquando in corpora emortua vitæ ſenſu: quo minus huic quoque conſiderationi aliquid tribuatur. Compertum habeo, corpora humana iamdudum exſtincta, exſanguia, omnique vitali ſpiritu carentia, atque ex illis amputatas partes etiam poſt longum temporis interuallum, priſtinum recipere ac ſtillare ſanguinem.

Libet eius rei duo exempla certo cognita hoc loco commemorare. Vnum factum, recordor, Chriſtiernum II. eius nominis Regem Daniæ mihi narrare. Aulicorum ſuorũ quidam tempore veſpertino, quod lis inter eos exorta eſſet, luminaribus exſtinctis, ſtricto pugione interemtus eſt in conclaui: in quo tunc temporis, præter regium curſorem, adhuc vndecim aut duodecim aulici nobiles conuenerant. Cum autẽ de cædis auctore non conſtaret, ac nobiles culpam in curſorem conferrent: Rex vero curſorem, quem ſingulari fauore complectebatur, exiſtimaret extra noxam eſſe, & nobiles contra curſorem conſpiraſſe:

omnes in conclaui dicto congregatos ſimul cuſtodiæ tradi, ac prope corpus interfecti ſiſti, ſingulosq; manum dexteram nudo illius pectori admouere, atque iurato ſe purgare coegit, quod extra culpam patratæ cædis eſſent conſtituti. Id cum a nobilibus ordine fieret, corpus occiſi nullum ſignum emanantis cruoris edidit. Acceſſit tandem curſor, admiſſi ſceleris conſcius. Hic mortui pedes primum doloſe deoſculatus eſt, vt eum hac ratione ob commiſſam cædem placaret. deinde vero manu ad exanime pectus defuncti applicata, ſtatim ſanguis, tam ex vulnere, quam ex naribus cadaueris magna copia erupit, neciſque auctorem oſtendit. Curſor huiuſmodi ſanguinis indicio conuictus, conſcientiaque ſceleris adactus, reum ſe confitetur. Proinde mandato Regis ſtatim capitis ſupplicio eſt affectus.

Idem factum Illuſtriſſimus dux Megapolenſis Vdalricus, Sophiæ Danorum reginæ pater, Regem Chriſtiernum commemorantem audiuit: quod tibi opportune percontanti, opinor, exponet. Viuunt adhuc ex nobilibus nonnulli, qui iſtius cædis fuerunt inſimulati.

Poſt eum diem, Rex Chriſtiernus dictum modum explorandi cædium auctores, in toto regno ſuo paſſus eſt obſeruari.

Addam exemplum alterum, quod patris mei tempore Itzehoæ accidit. Cuidam viatori in itinere interfecto, quod de latrocinii auctore non conſtaret, manus reſecta, ac in carcere ſenatus Itzehoëſis, ex tigno in fumo ſuſpenſa eſt. Tandem cum forte fortuna poſt decem annorum interuallũ, auctor cædis in eam domum ſe recepiſſet: manus iam dudum exſanguis & arida, ſanguinem ex alto in menſam ſubiectam ſtillare cœpit. Ex quo coniectura facta eſt, hominem latrocinii reum exſiſtere. Carnifex viſa ſenatui indicat. Hic homine in vincula coniecto, patrem meum accerſit.

Latro,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Latro, eo præſente, euidens iudicium diuinum agnoſcens, cædemq; ante multos annos a ſe perpetratam affirmans, iuſtam ſceleris pœnam, quam ſibi infligi vltro petiit, perſoluit.

Huiuſmodi exempla ego, cum multis aliis, in hiſce aliisque regionibus, aliquando adhibitus emergentibus eius generis caſibus, obſeruaui, quæ ſcio vere ſe ita habere. Nec dubito, quin tu quoque Roſtochii quædam notaueris.

Teſtatur de conſimili admirando iudicio reorum homicidii, dictũ Gen. 4. Clamauit vox ſanguinis fratris tui de terra. Equidem exiſtimo, a tempore illo, videlicet ab anno mundi 130. ſemper clamaſſe ſanguinem iniuſte interfectorum. Colligi id poteſt ex Chriſti dicto, Matth. 23. Ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & horum aliquot occidetis: vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, a ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templũ & altare. De illo ſanguine D. Euſebius, & D. Auguſtinus ſcribunt, quod fluxerit adhuc tempore gubernationis Ioas, Iudæ regis ordine decimi: & quod ſanguis ebullierit inſtar ollæ aqua plenæ & igni admotæ: donec Nabuzardan ſupremus Dux Nebucadnezaris, videns hanc ebullitionẽ ſanguinis, quam diuinæ iræ eſſe teſtimonium, recte iudicauit, interfectis aliquot Iſraelitarum, ex omnibus tribubus, ſic ſanguine illorum litauit. Quo peracto, ſanguinem e terra fluere deſiiſſe, volunt citati ſcriptores.

Theodorus Bibliander, Albertus Stadienſis in Chronicis.

Anno mundi 3100.

Euſebius vixit anno Chriſti 340.

In ſermone de tempore 242. Et in explicatione capit. 23. Matth.

Epiphanius cum nobis aſtipuletur, ſentientibus teſtificari de corporum humanorum reſurrectione promanantem e cadaueribus ſanguinem, illius huc verba adſcribemus, omiſſa diſquiſitione, quod dixerit, in ſanguine animam eſſe. Negantes, inquit, reſurrectionem mortuorum, cõuincuntur ex Abele: quia ſanguis eius poſt mortem ad Dominum clamat. San

Vixit Anno Chriſti 396.

Sanguis clamat: germanice, Das Blůdt klaget.

guis autem non eſt anima, ſed in ſanguine anima eſt. Et non dixit Deus: Anima clamat ad me, ſed ſanguis clamat ad me, oſtendens ſpem reſurrectionis corporum.

Vidimus etiam corpora mortua interdum emittere ſanguinem, proximis cognatis ad ea poſt aliquot hebdomadas accedentibus: cuius rei facultas ex eo datur, quod in his regionibus, corpora defunctorum nobilium, in patentibus ſarcophagis ad multos dies conſeruantur, ita vt facies aſpici poſſit, antequam in conditorium maiorum reponuntur.

Præterea non vulgare futuræ hominum reſuſcitationis argumentum ſuppeditare exiſtimo, inita horrenda iſta cum diabolo pacta, quibus nonnulli miſeri homines, Spiritu ſancto gubernatore deſtituti, & Dei ſuæque ſalutis obliti, ob exigua quædam, imo fallacia caducæ vitæ lucella, corpus æque atque animam, tum viua voce, tum chirographis proprio ſanguine ſignatis, diabolo in æternum mancipant. Exempla huius generis etiamnum plurima (proh dolor) ſuperſunt. Superioribus annis, quæ Roſtochii acciderunt, recenti memoria plurimi tenent. Magnam multitudinem virorum, atq; in his etiam quorundam Iuriſperitorum atque ſacrificulorum, vt taceam numeroſiorem cætum fœminarum, in Archiepiſcopatu Colonienſi atque Treuirenſi, & finitimis vtriq; locis, ignis ſupplicio, ob horrendas haſce conuentiones, periiſſe, non ita diu nuntiatum eſt.

Poſſem & ego huius generis plurima auditu horribilia, enarrare: quæ intra annos XXXVII. quibus præfecturæ Segebergenſis præſidem egi: & a parentis mei, piæ memoriæ, obitu Bredenbergam tenui: his in locis, tum ipſe præſens conſpexi, tum per ſcribas ac miniſtros meos comperi, ex maleficis hominibus ſupplicio affectis: qui aperte profeſſi ſunt (& nonnulli quidem abſque tormentorum vi) ſe diabolo, ad

crebras

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

crebras eius ac importunas flagitationes, & animam & corpus deſpondiſſe. Vnicum exemplum, quod in ipſo gubernationis meæ limine, triginta ab hinc annis, ſingulari profecto Dei prouidentia, accidit, adſcribere non pigebit: vbi hoc præmiſero.

Solebam iuuenis, in Academicis diſputationibus, & familiaribus colloquiis, necdũ ſtabilita ſatis aſſenſione, in ea parte doctrinæ Chriſtianæ, qua corporum humanorum reſurrectio aſſeritur, conquiſitis rationibus contrariis, liberius contra illam diſſerere. Hoc quo minus poſtea facerem, ſolidius in doctrina religionis publice inſtitutus, & in lectione ſacra priuatim diligentius verſatus, non inficior, hæc etiam confectarum cum immani hoſte pactionum adminicula qualiacunque, dubitationem de reſtituendis rediuiuis corporibus illis, quę tantum non euanuerunt, ſubinde obrepentem, mihi exemiſſe: atque hanc immenſa Dei miſericordia, datam eſſe mihi occaſionem, atque cogitationem eiuſmodi, de formidanda exitii extremi hominum cupiditate in diabolo, iniectam mihi eſſe, me agnouiſſe, atque nunc etiam agnoſcere.

Habet autem ſe, quod inſtitui commemorare, hoc modo. Deferebatur ad me nomen mulierculæ, quæ magicas fraudes ab anno ętatis decimoſexto a diabolo edocta, vicinis ſuis damna multa intulerat. Ac conſueuerat iſte impoſtor, formam viri holoſerico induti, in ſyluis repreſentare: interim vel prominente ferina vngula pedis, vel alterius cuiuſdam membri defectu non occultato, notam ſui conſpicuam gerens. Nam in verum perfectumque hominem, qui Dei eſt imago, quod ſe tranſmutare poſſit, vel etiam auſit, nunquam crediderim.

Muliercula cum maritum haberet, & aliquot liberorum mater eſſet: ad crebriorem Veneris vſum nihilominus impurum admiſerat Diabolum. Poſt-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

quam examini vt ſaga ſubiiceretur, mandaueram: neque tamen carnifex manum tormentis adhuc admouiſſet, caput iſti adeo intumuit, vt duplo grandius appareret. Ibi ego protinus, cum cæteris qui aderant, flexis genibus Deum ardenter precabar, vt diaboli molitiones, exitium corpori & animæ intentantis clementer prohiberet. Ad preces communes noſtras, cum priſtina capitis forma rediiſſet, percontanti mihi quidnam illi accidiſſet, reſpondit: diabolum caput & linguam ſubiiſſe, & ſi promiſſis prioribus ſtaret, ſe omnibus ex anguſtiis liberatum iri, clam inſuſurraſſe: cum conſentire noluiſſet, peccatorum atrocium gratiam precata Deum, tandem a ſe illum receſſiſſe.

Poſt hæc, totam malorum, quibus afflixerat alios, telam libere retexendo, culpam agnitam abſque tormentis faſſa eſt, & petiit enixe, metu diabolici inſultus, quod redire denuo poſſet, mutatæ voluntatis facturus periculum, ne in carcere diu ſola detineretur: ſed vſu cœnæ dominicæ de remiſſione peccatorum confirmata merito ſupplicio quam primum ſubiiceretur.

Nocte ſequente, cum duobus furibus eodẽ tempore comprehenſis, iterum carceri incluſam, ante fores conſiſtens, & ſermones obſeruans prolatos, diligenter admonere fures deprehendi; vt ſe Deo commendarent. Fatebatur quoque ſe antehac a Diabolo, in cuius fuiſſet poteſtate, miſerrime eſſe seductam, & Diaboli potentiam diu admodum expertam. Iam vero ſe ad Deum conuerſam, firmam habere dicebat fiduciam, perſoluta pœna mortis merita, cum immortali DEO ſibi deinceps æternam fore conſuetudinem corpore pariter & anima. Ad ſimilem conuerſionem & fidei conſtantiam, fures etiam cohortata eſt, ita poſſe eos effugere inſidias noxias diaboli, & DEVM ſibi reddere placatum, dictitans.

Poſtridie

Poſtridie ſupplicium patienter ſuſtinuit, pieque deceſſit muliercula.

Talia horrenda facinora dum animo attento mecum ſæpius repeto, ita colligo, damnatos etiam Spiritus teſtimonium de reſurrectione corporum humanorum perhibere. Neque enim, cur diabolus tam impenſe corpus ſimul & animam ſibi obſtringi & addici cupiat, cur miſerum in modum organa corporis ſæpe inuadat, cur variis aliis modis μυριότεχνος ille ſua in caſtra illecebris corporeis homines pertrahat, aliã cauſam reperio, quam quod vehementi odio æterni Dei & hominum inflammatus, & cruciatuum infernalium ſocios complures ſibi adſciſcendi cupiditate incitatus, glorioſam corporibus deſtinatam reſurrectionem defunctis inuideat: cum huius veritatem, & ſua inter impios æterna in inferno tormenta, piorum vero cœlis perpetua gaudia, poſt alterius vitæ reſtitutionem, certo certius ſciat.

Quid vetat, vt iterum dicam, præter luculenta reſuſcitationis mortuorum teſtimonia ſacra, hæc quoque ſuperius expoſita, atque alia illuſtria reſurrectionis veſtigia, quæ Deus impreſſit toti rerum naturæ aſſumere, atq; inde ratiocinando colligere? Si in corpus mortuum, quod omnis ſenſus & ſanguinis expers, & iamdudum arefactum eſt, ſanguinem redire, ac inde emanare cernimus: ſi dæmones exitium corporibus humanis, peculiari quodam ſtudio & vafro conatu machinantur: ſi appetente vere terra reducit gramina, flores, fruges: ſi arbores frondibus, floribus, fructibus veſtiuntur: ſi inſectis frigore hyberno exſtinctis vigor & vita reſtituitur: ſi Phœnix ex flamma & cineribus, vt dicunt, renaſcitur: nam perit vt viuat, ſe tamen ipſe creat: æternam vitam mortis adepta bono, &c. profecto in dubium vocari nequit, corpora humana ad vitam æternam diuinitus quoq; reſuſcitari, & cum anima iterum copulari poſſe.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Etſi autem teſtimonia collecta, pleraq; ἀναγκαῖα ϗ ἀποδεικτικὰ, atq; ob id ἀξιόπιστα & irrefragabilia ſunt: nonnulla etiam πιθανὰ ϗ ἔνδοξα, euidentia tamē & luce meridiana clariora: atque hinc vberiore confirmatione nō indigeat religioſa hæc noſtra de ſecutura vita corporum humanorum aſſertio: fortaſſe tamen erunt, quibus illa non ſatisfacient, opinātibus eſſe παντάπασιν ἀδύνατον, corpora hominum, ita diſſipata, vt illorum ne quidem reliquiȩ conſpectui ſe offerant, denuo reſurgere. Ex his, cum venerando & clariſſimo viro D. Nicolao Henningio, quæro: Cur putent mortuos non reſurrecturos? Nam ſi abiicienda penitus eſt περὶ τῆς ἀναστάσεως ſpes: omnino neceſſe eſt, vt id fiat, vel quia Deus non poſſit: vel quia non velit mortuos excitare. Si non poteſt, vel ignorat modum ſuſcitādi: vel ſi nouit, imbecillior eſt, quā vt facto eum exprimere valeat. Nunc autem quia ſapientiſſimus eſt, ignorare non poteſt: Et quia potentiſſimus (vt patet ex creatione rerum ex nihilo, & earundem perpetua gubernatione & conſeruatione) non poteſt imbecillior dici, quam vt valeat. Præter hæc quæro, vtrum facilius ſit, ex nihilo aliquid creare, vel corrupta reſtaurare? Si enim Deus fecit nos qui non eramus: facilius eſt illi nos reparare qui eramus: Auguſtino teſte.

Sed ſentiant alii, quid velint. Caueant tamen, diffidentia ſua & futilitate contradicendi veris ſententiis, indignationem diuinam ne incurrant.

De me liquido pronuntiare poſſum, niſi ſpe ac fiducia ſecuturæ alterius vitæ beatæ, me erexiſſem, & cogitaſſem, vnicuique certum vitæ terminum præfinitum eſſe diuinitus, quem præterire nemini liceat, ac Deo nos ex hac ſtatione euocanti parendum eſſe: iamdudum perturbationi animi atque dolori ſuccubuiſſem, & cum Cicerone exclamaſſem: Cedo, & manum tollo: quod ipſum tamen virum grauem haud decuit. Non enim paucæ, neque exiguæ aduerſitates,

Germ. Ich gebe mich.

ex frequentia funerum, intra aliquot annorum ſpatium, me exercuerunt. Nam non ſolum parentes meos, & fratrem vnicum Paulum, ſororemq; vnam, me iuniores: ſed etiam præter filiam, quatuor filios amiſi: quorum duo eo ætatis proceſſerant, vt tum Regibus ac Principibus operã ſuam vtiliter iam nauare: tum etiam mihi ætate confecto, meiſque, pręſidio ac ornamẽto eſſe potuerint: ac maiore quidem, ſi Deus Opt. Maximus longiorem vitæ vſuram ipſis cõceſſiſſet: vt interim ſilẽtio præteream fratris filios, ac meos nepotes, cum neptibus, ſubinde mihi ereptos: atque inter neptes, ante paucos menſes, Idam ex filia Elizabetha natam.

Præmatura etiam mors ſereniſſimi Regis Daniæ Friderici II. me ſummopere commouit, magnamq; omnibus ingentis publici, mihi etiam priuati luctus acerbitatem attulit: quod editis in eiuſdẽ Regis ſempiternam memoriã monumentis, conſtructo ſacello, excitatis pyramidibus, & erecto obeliſco ſum atteſtatus. Caii filii mei mortis caſum, quod is nouiſſimus eſſet, grauius aliquantulum quam reliquorum filiorũ tuli. Hic enim debita obedientia promtiſſimoq; obſequio, nulli ceterorum liberorum cedens, me ſingulariter coluit. Acceſſit, quod Reuerendiſſimus ac Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Bremenſis, Ioannes Adolphus, & Dominus meus clementiſſimus, decreto ſtipendio honeſto, ipſum in Collegium Conſiliariorum Holſatiæ aſciuerat, præfecturamque arcis Gottorpienſis ampliſſimam ipſi cõmiſerat: & quod meo maternoque conſilio, nuptias cum lectiſſima & pudiciſſima filia Theodorici Blomii, iam ipſi deſponſata, breui celebraturus erat. Quo ex felici rerum ſucceſſu, in hac ſenili mea ætate, non parum ſubſidii ac ſolatii, maioremq; amicorum & affinium numerum mihi eram pollicitus. Sed Deo aliter viſum eſt, quem eundem agnoſco eſſe, qui & finem vitæ filii de-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

terminauerit, & vt copulationis animi atq; corporis olim, ſic nunc diſſolutionis fuerit auctor. Hoc variorum caſuum eorundem concurſu, quibus luctus luctum ferme continenter excepit, cumulatis funeribus, placide conquieui, ad exemplum Iobi me componens. Deo autem cum primis acceptam referendam eſſe ſtatui εὐτεκνίαν, atq; Dei hoc præcipuum beneficium interpretatus ſum, quod ſe, donec eſſent ſuperſtites liberi, morigeros declararunt parenti vtriq;. Quocirca etiam illis corporalis vitæ munere perfunctis, diuinæ voluntatis decreto, eidem minime eſſe refragandum duxi.

Teſtimonium meæ erga Deum ſubiectionis, & præſentis animi, complures, qui Caio filio, poſt ſumtam ſacram euchariſtiam, in pia recordatione meritorum filii Dei, morienti, mecum vna adfuerũt, abunde ſunt præbituri. Viderunt enim non pauci, flexis genibus, & vero cordis affectu, Deo immortali animã illius me commendare, & oculos placide conſopiti propriis manibus claudere: quod ipſum pietatis officium antea pręſtiteram parentibus, fratri, ſorori & filio Theodorico. Plures fuerunt αὐτόπται, ꝙ ab adminiſtratione regiorum negotiorum, quibus proximum triduum ab obitu filii conſumtum eſt, in pręſentia ſereniſſimæ Reginæ Daniæ, & quibus magna omnium admiratione Segebergæ interfui, me auocari paſſus non fuerim, ſed ſingularem adhibuerim animi præſentiam, ac in rebus gerendis, de ſtudio priſtini illius mei conſtantiſq; moris remiſerim nihil. Cum funus Bredenberga Itzehoam vicinum in oppidum deduceretur: legatis Reginæ Danię, & Archiepiſcopi Bremenſis atq; Antiſtitis Lubecenſis, qui ad cohoneſtãdam pompam funebrem miſſi erant: propinquis itidem gentilibus & amicis meis, ob commodatã præſentiam ſuam, conſueto orationis filo, in cœmiterio ipſe gratias publice egi. Pleroſq; conſimilibus caſibus

confli-

conflictātes ſæpenumero ita occupare dolorem cernimus, vt & vox ipſis intercipiatur, & inter ſingultus atq; ſuſpiria, materia ſermonis ægre ſuppetat. Concioni inſuper & exſequiis funebribus interfui: & exuuias in auitum monumētum, ſine animi commotione ſingulari, in præſentia mea deponi curaui.

Omnino ita faciendum fuit, niſi mei diſſimilimum me perhibere, & ab eius generis ſubiectionib⁹, quas, mi Chytræe, præclaras tua epiſtola es complexus, abhorrentem, vniuerſis me præbere voluiſſem conſpiciendum. Quapropter vt ita me comparare poſſem, multiplici cōſolatione animum triſtitia affectum obfirmaui, præter alias in has defixus cogitationes, huius corporis compage ſoluto mihi, ad filium Caium paulo poſt emigrandum eſſe, & poſt hanc omnibus hominibus communiter propoſitam mortem, nos tandem, cum illo bonis omnibus circumfluente cœleſtium Angelorum & beatorum cœtu, ſimul coniūctos, perpetuam rurſus eſſe adepturos vitam: ac beatę immortalitatis cōpotes, iucundiſſimo conſpectu auguſtiſſimæ diuinitatis, in æternam perfruituros inter cœleſtes æternitatem, quam nulla temporis circumſcriptio metietur: atq;, hic licet mœſti & moleſtiis infinitis confecti, ex ordine, tanquam illiberali hoſpitio exceſſimus: lætos tamē & recreatos in cœleſti patria, corpore & anima ἐν ἀτόμῳ καὶ ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ conſociatis, rurſum eſſe conuenturos. Eadem hæc ego, ingraueſcente nunc ætate mea, ſæpe attenteq; cogitare nō deſino. Velim itaq;, Deo ex immenſa ſua miſericordia, meam hanc momentaneam vitam, cum ea, quæ vera vita eſt commutante, eos quos ſanguine, vel beneuolentia mihi coniūctos relicturus ſum ſuperſtites, hoc ſibi habere perſuaſiſſimū: ſic eos a me appellari, mei deſiderio aliquo fortaſſe affectos, *Non finis (o liberi, conſanguinei, amici) meæ vitæ, ſed melius & altius initiū aduenit. Nunc enim veſter parens, propinquus, amicus*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

naſcitur, quia moritur. Quo modo, alio tamen ſenſu, Epaminondam ad ſuos moribundum verba feciſſe accepimus.

Illas ipſas meditationes meas, breuibus expreſſas verbis, etiam ad poſteritatem prodidi, in illa inſcriptione, qua Sacellum, in monumentum & conditorium patris, matris, filii mei Caii, & poſterorum, Itzehoæ de integro ædificatum, exornaui: vt is etiam locus conſolationis aliquid mihi adderet, quem pia affectione in religioſum conuerti.

Reſtat, vt tres etiamnum ſuperſtites filios, ac quatuor filias, cum 22. nepotibus ac neptibus, Deo clementiſſimo incolumes ſeruandos & gubernãdos, vt ſint ſalutaria organa ſibi & aliis, ardentibus votis aſſidue commendem.

Tu quoque longum vale, mi Chytræe, videbor equidem modum epiſtolæ exceſſiſſe. Fateor, me ſcribendo longius progreſſum eſſe conſulto. Hoc enim egi: vt ex hac opera ſcribendi producta, leuationem aliquam moleſtiarum, quibuſcum luctor in præſentia, perſentiſcerem. λόγος γὰρ ἐστὶ λύπης φάρμακον μόνος. Et, *Colloquium mœſtis lenit minuitq; dolorem.* Dimouenda quoque fuit ſuſpicio, minus gratum accidiſſe mihi ſcribendi officium tuum: quæ ſi fuiſſem reſcribendo breuior, fortaſſe naſci potuiſſet: cum re vera tam fuerit gratum id officium, quam quod gratiſſimum. Iterum vale, bono eccleſiæ, & ſtudioſorum eruditionis vſibus: cuius vel vnica ſuauitas, vitam propter ingruentes varias moleſtias alioquin ingratam, reddit vtrique noſtrum iucundam. Datæ in arce mea Bredenberga, Cal. Iun. Anno Christi M. D. XCI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Monumentum ſeu Sacellum, ab

HENRICO RANZOVIO

Vicario, Itzehoæ nuper conſtructum.



Condidit HENRICVS monumentum hoc nomine RANZOW,
Pro ſe, proque ſuæ poſteritate domus.

Ad lectorem Ranzouiorum exſuuias prætereuntem.

Ranzouidum exſuvias & mortua corpora cernis,
Verum per Danos fortia geſta vigent.
Norunt Germani, nouit gens Cimbrica facta:
Virtutem & famam, lector amice, foue.

Referatur ad folium 207.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

EPIGRAMMATA IN MONVMENTVM RANZOVIANVM in Sacello Itzehoenſi.

C*Ondidi ego* Henricus *monumentum hoc nomine* Ranzou,
Pro me, proque mea poſteritate domus.
Hoc ſimul & vobis poſui commune ſepulcrum,
Quod mea cum veſtris oſſibus oſſa tegat.

Aliud ad HENRICVM RANZOVIVM.

Dum templa ædificas, Ranzoi, *terrea patri,*
Præparat ipſe tibi cœlica tecta Deus.

Alio modo.

Dum buſtum condis, Ranzoi, *vtriq; parenti,*
En rurſum in cœlis aurea templa meres.

Alio modo.

Templum, Ranzoi, *paruum ſtruis, optime patri:*
Templa tibi rurſum præparat ampla Deus.

Petrus Lindebergius.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Effigies Henrici Ranzouii.



INSCRI-

INSCRIPTIO SACELLI ITZEHOENSIS, NVPER AB HENrico Ranzouio conſtructi: cuius in præcedente Epiſtola mentio eſt facta.

EGo Henricus Ranzouius, trium Daniæ Regum in Ducatibus Vicarius, ex vnanimi Dominæ Abbatiſſæ Catharinæ Alefeldiæ, & conſulum Itzehoæ, ac templi ibidem D. Laurentii curatorum conſenſu, quibus pro loco D L X. tetradrachmas dedi, Anno a partu ſemper virginis M D. X C I. ætatis vero meæ L X V I. hanc ædiculam ſeu Sacellum propriis ſumtibus exſtrui, Deoque trino ac vni dedicari ac conſecrari feci: inque illud, ex auita iam penitus repleta, & nimis anguſta crypta, patris, matris & filii Caii corpora transferri curaui: vt eſſet tam ipſis quam mihi, coniugique Chriſtinæ ab Hallen, vnice cariſſimæ, & poſteris, conditorium commune, cum quibus etſi nunc non queo loqui: tamen a morte oſſa miſcebimus noſtra: & quemadmodum in terris viximus vitam mortalem, ſic iterum reſuſcitati in cœlis viuemus æternitatem æternam.

O

INSCRIPTIO SARCOPHAGI, QVEM HENRICVS RANZOuius mortalitatis memor, ex ſolido lapide ſibi & vxori excauari, & in prænominato conditorio, ad ſe & illam in iis ſepeliendum ſeorſim, poni curauit.

IN HOC SARCOPHAGO CONDITVS EST HENRICVS RANZOVIVS, IOANNIS EQVITIS AVRATI FILIVS, HENRICI NEPOS, BREDONIS PRONEPOS, CAII ABNEPOS, REGIS DANIÆ CHRISTIANI III. FRIDERICI II. ET CHRISTIANI IV. VICES IN DVCATIBVS SLESVICENSI, HOLSATIÆ ET DITHMARSIÆ OLIM GERENS, PRÆFECTVS ARCIS SEGEBERGENSIS, DOMINVS IN BREDENBERG, DRAKENBVRG, RINTLEM, WELLINGSBVTTEL, HADSTEDT, TVSCHENBECK, RANZOVISHOLM, WANDESBECK, BVGKEN, MELBECK, REDINGSTORP, OVENDORP, NVTSCHAW, NVCHEL, GRONOW, STELNOW, ERFRAD, ET RANZOW: QVI MORTVVS EST ANNO DOMINI

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

MINI M...... CVM VIXISSET, ... ANNOS, ET HIC EXSPECTAT SECVTVRAM COPVLATIONEM ANIMÆ CVM CORPORE, RESVRRECTIONEM CARNIS, AC OMNIVM RERVM REPARATIONEM.

HENRICVS RANZOVIVS VICARIVS AD IMITAtionem Pontani de ſuo Sarcophago.

Viuus lapideum hunc mihi paraui lectulum,
In quo iacerem mortuus.
Noli obſecro me mortuum laceſſere,
Qui viuus obfui nemini.
Henricus ille namque ſum Ranzouius
Regis Dani Vicarius:
Quem plurimum plures amarunt Principes,
Suique paſſim ſubditi.
Quem docti honeſtarunt viri, cumque improbis
Laude cumulauerunt probi.
Nunc, Hoſpes, ecquis ſum, aut mage fuerim, tenes.
Veruntamen qui tu ſies,
Non cognitum eſt mihi. Igitur tu teipſum bene
Noſcas, rogo. His longum vale.

EPITAPHIVM HENRICI RANZOVII.

Henrici heic tumulum cernis cognomine Ranzou
Cetera facta viri terra fretumq; ſciunt.

Daniel Tuitemeier.

ALIVD.

Henrici tumulus Ranzoi *heic: cetera norunt*
Europæ gentes orbis & occiduus.

M. Filliardus Lubbinus.

AD LECTOREM EXVVIAS RANzouiorum prætereuntem.

Ranzouidum exuuias & mortua corpora cernis,
Quorum per Danos fortia geſta vigent.
Norunt Germani: nouit gens Cimbrica, facta:
Virtutem & famam, Lector amice cole.

Daniel Tuitemeier.

AD HENRICVM RANZOVIVM Tetraſtichon.

Fortunate ſenex, ergo te clara manebunt
Aſtra: ea cum tanta ſedulitate colas.
Sic paulo ante obitum depinxit Tullius orbes,
Sperabat quos poſt funus adire, poli.

Martinus Nigrinus.

HENRI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

HENRICVS RANZOVIVS ALLOQVITVR SVOS, EODEM in loco a ſe ſepultos.

Accipe, care pater, quæ munera filius offert,
Sintq; precor cineri munera grata tuo.
Tu mihi das lucem vitæ, do mortis honores:
Heu heu quam diſpar gratia noſtra tuæ eſt.
Accipe fraternum, frater cariſſime, munus,
Et tu cara, pia cum genetrice, ſoror.
Accipito, & fili, funebria dona parentis,
Qui mihi debueras buſta parare ſeni.
Heu mihi quod numerum reliquorum filius auxit.
Hoc queror, hæc luctus maxima cauſa mei eſt.
Sed iuſtus Deus eſt, ſic iuſte cuncta gubernat,
Ac fuit hæc iuſto res ita viſa Deo.
Is mihi, quem gnatum dederat, mihi rurſus ademit.
Cuius velle fuit, nunc quoq; nolle fuit.

Inſcriptio Altaris Itzehoenſis.

ITZEHOÆ IN TEMPLO D. LAVRENTII, VBI ALTARE S. Trinitatis apud ſepulcra Ranzouiorum eſt, hæc ſequentia, in tabula lapidea, cui crux dominica eſt inſerta, leguntur.

SVPRA CRVCEM.

HOc altare a Breidone Ranzouio, Anno Chriſti M. CCCC. LVI. conſecratum eſt ſanctæ

& indiuiduæ Trinitati, & ab eius filiis & poſteris Hermanno, Marquardo, Petro, Henrico, Paulo, aliiſque, perpetuis annuis prouentibus liberaliter dotatum.

EPITAPHIVM CAII RANZOVII.

INFRA CRVCEM.

CAius Ranzouius, Henrici Vicarii Regii Danici filius, Præpoſitus Hamburgenſis, qui Latinam & Gallicam linguam calluit, cum aliquot annos in aula Regis Daniæ Friderici II. ſubſtitiſſet, & ab eo decem millibus Thaletorum, eo quod cum literis Regiis, pacem concernentibus, tractatam inter Regem Hiſpaniarum, Reginam Angliæ, & Belgicos Status, in Belgium miſſus, & captiuus, non leues ibidem iniurias ſuſtinuerat, donatus fuiſſet, in aulam Brunſuicenſem, cum coniuge Domini Henrici Iulii, Epiſcopi Halberſtadenſis, ac Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis, profectus eſt. Poſtea vero ab Archiepiſcopo Bremenſi & Holſatiæ Duce, D. Ioanne Adolpho, in numerum Conſiliariorum Holſatiæ aſcitus, & ampliſſimæ præfecturæ Gottorpiēſis adminiſtrator deſignatus, cum ad ſubeundam prouinciam ſibi demādatam contenderet, ac vix Bredenbergam ad lares patrios veniſſet, ibique ex febri ardente dies 14. decubuiſſet, immatura proh dolor morte præreptus, ſponſus obiit Anno Chriſti M. D. XCI. die xx. April. ætatis XXVIII. menſium VIII. D. XI.

Hoſpes quid ſim, vides: quis fuerim, noſti:
Futurus ipſe quid ſis, cogita.
Fui, non ſum. eſtis, non eritis. nemo immortalis,
Vt moriens viuerem, vixi vt moriturus.

SVBSI-

SVBSISTE VIATOR.

ET

Henrico Ranzouio, trium Daniæ
Regum in Ducatibus vicario,
Viro optimo, patri mœſtiſſimo,
Pro pietate tua condoleto.
Hic conditur
Caius,
Ex nobiliſſima & antiquiſſima
Ranzouiorum gente apud Cimbros oriundus,
Spes patris & patriæ, matris ſolamen,
Columen familiæ.
Qui Reuerendiſſ. Bremenſis Archiepiſcopi,
Holſatiæ Ducis, Ioannis Adolphi, Conſiliarius,
Et arcis Gottorpii præfectus,
In ipſo ætatis flore,
In medio vitæ curſu,
Cum Hebdomatico quarto completo,
Vixiſſet annos octo & viginti,
Menſes octo, dieſq; vndecim,
Pro thalamo, quem cogitabat,
Tumulum adit.

CIↃ IↃ XCI. XX. April. Bredenbergæ.

ALIVD, VERSIBVS expreſſum.

Vincor materia, & cito tu vis ire viator:
Expediam verbis, ne mora longa, tribus.
Hic iacet illuſtri Caius Ranzouius vrna,
Filius Henrici, cetera noſcis, abi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

INSCRIPTIO MONVMENTI MARMOREI Itzehoæ poſiti.

HEnricus Ranzouius, Ducatuū Regionum in Holſatia præſidens & gubernator, pręter reliqua parentibus, filiis & filiabus erecta monumenta, etiam ſingulare marmoreum, in pariete templi Itzehoenſis, ſibi parari, & illud reliquis maiorum Epitaphiis adiungi viuens fecit: in quo tum ipſe, tum eius vxor, filii, filiæque omnes ſacroſanctam Trinitatem venerabundi intuentes, ad viuum expreſſi ſunt, cum inſcriptione tali.

DEO TRINO ET VNI SACRVM.

AD HENRICVM RANZOVIVM de Inſcriptione tumuli.

Cur te ſollicitet viuentem inſcriptio buſti,
Mirari nequeo, vir generoſe, ſatis.
Immortalis enim cum ſis; labor irritus iſte eſt,
Hoc tua ſcripta docent, hoc tua facta probant.

Georgius Wippermannus.

INSCRIPTIO MONVMENTI.

HENRICVS RANZOVIVS, IOANNIS FILIVS, REGIÆ MAIESTATIS DANIÆ IN DV-


Naſcendo morimur, vita altera morte paratur
Vita hæc, mors: mortis funera, finis erunt
יהוה
DEO TRINO ET VNI SACRVM
INRI
Ranzouij
Bockwold
Walstorp
Halle
Biſer
Ramell
Ranzouij
Halle
Franciſcus Ranzouiꝰ Theodoriꝰ Ranzouiꝰ
Breido Ranzouiꝰ Caius Ranzouiꝰ
Fridericus Ranzouiꝰ Johannis Ranzouiꝰ
Gerhardus Ranzouiꝰ
Henricus Ranzoui, Johannis filiꝰ, Henrici
nepos bredonis pronepos Caij abnepos
Regis Daniæ in Ducatibus Holſatiæ
Sleſuici, etc. locum tenens Dominus
in Bredenberga Drakenborch Rintlen
Ranzouisholm nutchouu Welbeke
Wandeſbeck Tuſchenbeck Redingſtorff
et Nuchel. Hoc monumentum in
honnorem ſanctæ et indiuiduae
Trinitatis ac memoriam ſuorum
iuxta altare S. Trinitatis ſepultorum
propter loci commoditatem hic
poni curauit Anno Domini 1578
Mortuus eſt Anno Christi 15
Anno Aetatis
Christina ab Halle eius uxor
Mortua eſt Anno Christi 15
Anno Aetatis
Magdalena Ranzouia Eliſabeta Ranzouia
Catarina Ranzouia Margareta Ranzouia
Olegardis Ranzouia
INTERITVS RESTAVRAT.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

IN DVCATIBVS LOCVM TENENS, DOMINVS IN BREDENBERG, DRAKENBVRG, RINTELEM, WILLINGSBVTTEL, HATSTEDT, TVSCHENBECK, RANZOVISHOLM, WANDESBECK, BVGKEN, MELBECK, REDINGSTORP, OVENDORP, NVTSCHOV, NVCHEL, GRONOV, STELNOV, ERFRAD ET RANZOV: HOC MONVMENTVM, IN HONOREM SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS, AC MEMORIAM MAIORVM SVORVM, IVXTA ALTARE S. TRINITATIS SEPVLTORVM, PROPTER LOCI COMMODITATEM, HIC PONI CVRAVIT, ANNO CHRISTI M. D. LXXVIII.

CYPRIANVS, QVI VIXIT ANNO C. CCXLIX.

QVID non properamus & currimus patriam noſtram videre, vt & parentes ſalutare poſſimus? magnus ille nos numerus exſpectat parentum, fratrum, filiorum.

CYRILLVS, QVI VIXIT ANNO C. CCCCXXXII.

NOn ſunt fabulamenta, ſed ſententia voce mentiri neſcia prolata: quod corpus noſtrum in loculis conſumtum, vere reſurget: & anima per mortem excluſa, rurſus in corpore habitabit: & vitę noſtrę declaratio exacta adducetur.

RESPONSIO D. DAVIDIS CHYTRÆI.

AD

HENRICI RANZOVII EPIſtolam, & de hac eius iudicium,
S. D.

NObiliſſime Heros, patrone colende. Non ingratum Mag. veſtræ officium conſolandi meum accidiſſe, gratiſſimo animo, ex veſtris literis, & munere magnifico intellexi. Quod vero reſcribere etiam Mag. veſtra epiſtolam, ſapientiſſimis ſentẽtiis, & illuſtribus hiſtoriarum ac exemplorum luminibus, ex omni antiquitate & noſtra memoria repetitis, ſtipatam, & cum meo tenui epiſtolio coniunctam, edere dignata eſt: omni auro & gemmis antefero. Etſi enim doctrinæ & conſolationũ, ex philoſophiæ, & ſapientiæ cœleſtis in Eccleſia Chriſti patefactę fontib⁹ hauſtarum, grauitate, copia, varietate, & aliis eloquentiæ ornamentis, longe vinci me a M. V. & ſuperari video: tamen a tanto Heroe ſuperatum eſſe, & Æneę magni dextra cecidiſſe, honorificũ & glorioſum duco. Sperat M. V. minus ægre me laturum editionem epiſtolarum? ego vero eam eximii ac ſingularis beneficii & muneris loco accipio: & pro roſis nobilibus donatis reuerenter gratias ago: ac Deum, vt Mag. veſtrę, & toti veſtræ illuſtri familiæ viciſſim benefaciat, oro. Bene & feliciter æternum valete. Die Margaridis, A. C. M. D. XCI.

EPISTO-

EPISTOLA BARTHO-LOMÆI RHODOMANNI,

de monte regio Boruſſi,

AD

HENRICVM RANZOVIVM Regium Vicar.

COnſolationem, Illuſtris & Generoſe Heros, inopinatus filii tui dilectiſſimi Caii obitus quam requirit, eam a me dari non poſſe, ſatis intelligo. Non enim defuturos longe ante video, quorum ſcriptis ad magnanimitatem, in cruce patienti animo ferenda, humaniter inuitaberis. Tu quoq; fundatas illas in arte conſolationes, viro ceu tibi magnanimo conuenit, vltro admittes. Ego vero vt iis obſequerer, quorum auctoritas apud te exigua nō eſt, breui Epicedio id egi, vt ex morte Caii, vitæ humanæ conditionem deplorarem, & iuuenili ętati non fidendum, oſtenderem. Suſcipies itaque hoc quod affero, Generoſe Heros, mente placida: ſimulq; ſtudia mea tibi commendata habere non dedignaberis. Vale, Roſtochio, VII. die Maii, Anno M.D.XCI.

MEMORIÆ CAII RANZOVII.

Cur dolor ex morte eſt? certe eſt in funere fœnus,
Cum morimur, cœlo nos capit, alma quies.
Terra dat hoſpitium, patrias vita altera ſedes,
Hic luctum, in cœlis gaudia iuſtus habet.
An non deflendus potius qui naſcitur infans?
Editus obiicitur pluribus ille malis:
Contra cum plauſu rigidam mittendus in vrnam,
Qui iuuenis fati lege ſolutus obit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Hoc dictu facile eſt: qui vero ita mœſta ſuorum
A ſe dimittat funera, rarus erit.
Quod vix Ranzouius poterit, quem fama celebrem,
Quem virtus magnum, quem facit aula grauem.
Angit nati obitus, de quo ſpes magna, parentem:
Hoc mage, quod longum viuere dignus erat.
Vixit in officio nullo grauis, omnibus æquus,
Ante annos animum, magnaq; corda gerens.
Signaq; plura dedit patriæ virtutis, vt illam
Conſilio æquaret, moribus, arte, fide.
Sed quæ reſtabant maiora in rebus agendis,
Heu dolor, illa dies abſtulit vna patri.
Ergo homo dum ſano tibi ſunt in corpore vires,
Quæ tibi promittis tempora? diſce mori.
Vita eſt inſtabilis, nec conſtans, plena laborum:
Hæc perit, vt prati flos cadit, vmbra fugit.

ALTERA EPISTOLA IVSTI LIPSII, AD ILLVSTREM Dominum Henricum Ranzouium, Regium Vicarium.

LIteras tuas accepi, & mœſtus legi, ob mœſtitiam qua tu affectus. Amiſiſſe te optimum filium video, in magna indole virtutum & ſpe honorum: & in hac ſenili ætate tua, ſentio quam ſit hoc grande vulnus. Reuera tecum doleo. Operam dabo, vt publice aliquid exſtet, celebrandæ eius memoriæ, & leniendo dolori tuo. Profecto optima illa pietas ſiue gratitudo in defunctos, laudare & meminiſſe. Cœpi iam aliquid pangere. Sed totus in curanda valetudine ſum, per fontes iſtos Spadanos: quibus dies, imo ſeptimanas

aliquot

aliquot iam vtor. Vbi illa paulo firmior:(Deus, vt ſpero, dabit.) hoc quoque quod cœpi dabo perfectum. Te interea oro atque hortor, ne luctu te abiicias: ſed memineris loci atque ordinis, quem tenes: & quam nihil a te geri dicive poteſt, quod non in voces atque oculos incurrat aliorum. Pręi exemplo patribus, quomodo orbitates & hæc vulnera ferenda ſint, quæ infliguntur a diuina manu. Solari te nolui: & tamen ſolor. Quid enim queri aut dolere poſſumus, ſi hæc a Deo? Atqui eſſe ab illo, Chriſtiani nos non ſcimus ſolum, ſed quotidie profitemur: imo rogamus eum etiam, vt fiat voluntas eius, facta eſt: feramus. Sed hęc in ſcriptũ ipſum differamus. Vale vir Illuſtriſſ. quem amicum ſenſi, vt deinceps idem eſſe pergas, ex animo rogo. Ego quidem tuus ſum. Datum ex aquis Spadanis, 18. Calend. Iunii, Anno Chriſti M.D.XCI.

EPISTOLA D. ABRAHAMI BOCKII, CONSILIARII INtimi Electoris Saxoniæ Chriſtiani, ad Henricum Ranzouium, de obitu filii Caii.

Literæ tuæ, nobilis & magnifice Dn. vicarie, Domine & amice obſeruande, cum tranſmiſſis libris mihi fuerunt redditæ. Fuit in illis, quod me partim delectauit, partim vehementer perturbauit. Recte enim adhuc te cum tuis, qui ſunt ſuperſtites, valere, auditu mihi fuit longe iucundiſſimum. Quæ vero de præmaturo filii tui Caii obitu ſcribis, ſumma cũ mœſtitia legi. Tanto enim Reipubl. detrimento, ipſum e vita diſceſſiſſe, ſpectatum virtute, ac ætate integrum, maxime dolendum eſt: cum ſi longiorem vitam fata

ipſi conceſſiſſent, maximo compluribus vſui eſſe potuiſſet. Sed quid?

Naſcentes morimur, finisq; ab origine pendet.

Hæc ſcilicet vitæ noſtræ miſeria eſt: vt non abſurde ad conditionem hominum accommodari poſſit, quod quidam ſenſit:

Vidi ego mane roſam ſolis cum lumine naſci:
Et vidi rurſum, ſole cadente, mori.

Quid autem facias? tu monitore non eges. Abſq; hoc enim, quod ad leniendum dolorem confert, ex teipſo depromes. Cæteri qui moleſtiis tuis nos affici teſtamur, tuum exemplum ſecuti, etiam noſtro loco conabimur nos a luctu abducere. Quod ita te velle, atq; non minus a nobis exſpectare, ac ipſe decenter id facis, perſuaſum eſt omnibus. DEVS ſuo præterea ſpiritu communiter nos conſolari atque confirmare dignetur.

Pro tranſmiſſis libris reuerenter gratias ago atque habeo: maiori ex parte eos perlegi, aliisq; bonis viris & amicis communicaui. Amanter etiam peto, ne me deinceps eo, quem inter amicos tuos ſemel mihi aſſignaſti, loco moueas, ſed patrocinio tuo, vbicunque opus fuerit, adiutum conſtanter ames. Quod ſi viciſſim vel hic, vel alibi, tibi tuisq; conſilio, re, opera prodeſſe potero: annitar ſedulo, nullibi defuiſſe iiſdem vt videar. Non negabis hoc quoq; petenti, vt ſit, qui adiunctas literas, quibus de ſecretioribus quibuſdam negotiis ad filium tuum Gebhardum, præfectũ Flenſburgenſem, ſcripſi, fideliter reddat. Hiſce nos omnes tutelæ diuinæ commendo. Dabantur Dreſdæ,
IIII. Non. Iunii, Anno ſalutis
cIↃ. IↃ. XCI.

EPISTO-

EPISTOLA REVERENDISSIMI AC ILLVSTRISSIMI DOMINI, Domini Ioachimi Friderici, poſtulati adminiſtratoris Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, Marchionis Brandeburgenſis, Boruſſiæ, Stetini, Pomeraniæ, &c. Ducis, &c.

AD

HENRICVM RANZOVIVM REgis Daniæ Vicarium in ducatibus Sleſuigæ, Holſatiæ, &c. qua ipſum conſolatur de obitu filii ſui Caii.

NObilis ac ſincere nobis dilecte, ex rumoribus aliorum, inſperatum obitum filii tui perinuiti cognouimus: præſertim cum ipſi, qui a multis nobis inſigniter commendatus eſt, quod virum ſe declarauerit magnæ ſpei, vita diuturnior optanda fuerit. Cum autem vnicuique mortalium certa viuendi meta ſit præfixa atque præfinita, quam præterire nemo poteſt: non dubitamus, te in hoc triſti verumtamen irrecuperabili caſu, pie acquieſcere: teque hac conſolatione animum obfirmare, quod aliquando cum filio tuo, in cœleſti patria, ad perpetui gaudii & gloriæ ſocietatem, rurſus cōueniēs: ac ibidem ipſius omniumque electorum cōuerſatione in omnem æternitatem frueris. Quod in ſignificationē noſtræ, qua te proſequimur, beneuolæ affectionis, perſcribere ad te voluimus, in eadem ſemper perſeueraturi. Datum Hallæ Saxonum, 6. die Iunii, A. Chriſti, M.D.XCI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

RESPONSIO HENRICI RANZOVII, AD LITERAS REuerendiſſimi ac Illuſtriſſimi Principis D. Ioachimi Friderici, Adminiſtratoris Magdeburgenſis, &c.

VOluntatem promtam expoſitamque meam, Reuerendiſſime Illuſtriſſimeque Princeps ac Domine, Dn. clementiſſime, ad exhibenda demiſſe quęcunque obſequia, Excelſitati tuæ ſtudioſe defero: ac ſignifico, literas conſolatorias de immaturo filii mei Caii Ranzouii, Holſatię Ducis Conſiliarii ac Præfecti Gottorpienſis, obitu clementiſſime perſcriptas, ea, qua decet, ſubmiſſione reuerenter me accepiſſe. Gratias equidem ago quam maximas, quod ſua cōſolatione me dignum iudicauerit. Ego auctoritate Celſitud. tuæ adductus, & rationibus a me conquiſitis perſuaſus, quem in hoc caſu acerbo & inopinato, cum opinatus maxime fuerit, me præbuerim, & quam conſolatione me erexerim, ex adiuncta mea ad D. Dauidem Chytræum ſcripta epiſtola, Excelſitas tua clementer cognoſcere habet. Hanc, vt omni moleſtia eius generis, quæ me afflixit, vacuam atq; liberā præſtet, Deum immortalem precor: ac eidem, ſalutem & incolumitatem Celſ. tuæ atq; eorum omnium, quos ipſa caros habet, diligenter commendo. Me nullum officium detrectaturū, Celſ. T. patrocinio ſuo benigne dignabitur. Hoc etiam atque etiam abs tua Celſ. peto. Datæ Segebergæ, die 27. Iulii, Anno C. M. D. XCI.

PETRVS

PETRVS LINDEBERGIVS R. S. D.

HENRICO RANZOVIO Vicario Regio.

GEneroſe ac Nobilis Heros: etſi animum prorſus induxeram, cõſolatione aliqua leui & breui hanc quoque nouam noui tui luctus acerbitatem permulcere & delinire: præter ſpem tamen & omnem opinionem meam, eadem nunc ſuperſedere cogor. Audio enim quotidie, ah quid dico, audio, vidi ipſe hiſce, tanta te patientia & grauitate, tanta te conſtantia & magnanimitate, Caii filii tui obitum ſufferre & perpeti, vt minime conſolationum panchreſto & medicamentis noſtris indigeas. Quocirca ne γλαῦκας, quod dicitur εἰς ἀθήνας, non tam ob conſtantiam te extollo, quam vt in eodem ſtadio pergas, animo. Quod ipſum & filii tui preces requirunt, gentilium exempla poſtulant, auctoritas tua deſiderat. Ad filii preces quod attinet, non te fugit, quam ſæpe, quam pie, quam ſubmiſſe idem, cum quarto ante obitum ſuum die, diem ſibi nouiſſimum in his terris futurum, ſomnio diuinitus admonitus prædiceret, a te patre ſuo cariſſimo contenderit, ne ſe mortuo de ſtatu demigrares, & ab animi tui præſtantia degenerares. Iis precibus quantum conceſſeris, omnis tua familia teſtatur, & ego ab ipſa, qui raram tuam cõſtantiam ſilentio ſepelire non poſſum, nec debeo. Non enim ſolum filii conſolationes, quod humanitatis eſt, admittebas libenter; ſed vice verſa eundem, quod magnanimitatis eſt, verbo diuino conſolabaris diligenter. Et quod maioris eſt admirationis, oculos morientis manibus claudebas

propriis. An non hæc animi magnanimi omnia, & cōcoctu fercula difficilima? Mehercle magna omnia, nec ſtomachi cuiuſuis. Quotus quotus eſt, qui ſiccis oculis, agonizantem filiū poſſit intueri? Quotus quotus eſt, qui filii morigeri, filii probi, filii ſponſi & vnice cari, in ipſo ętatis ſuæ flore, in ipſo honoris ſui limine morientis, abitum & obitū animo infracto valeat tolerare? Quotus quotus eſt, qui in funeris deductione, amicis feralia officia exhibentibus, pro dignitate gratias, abſq; ſingultu, abſq; ſuſpiriis, imo abſq; magna vi lacrymarū, queat agere? vix multis e millibus vnum & alterum inuenies. Ex quibus tamen tu, Heros Generoſe, nequaquam es vltimus, prudentiſſimæ etiam Danorum reginę Sophię iudicio, cui proximo ab obitu filii triduo toto inuictus, magna cum illius admiratione, Segebergæ aderas, cuiusq; conſilio, cum reliquis totius Ducatus ſenatoribus, non tantum intereras, ſed & pręeras, minime paſſus, nouo hoc luctu, cœli incommoditate & inualetudine, a regiorum negotiorum adminiſtratione & priſtino ſtudio te auocari.

Nunc gentilium & agnatorum fortitudinem tibi ante oculos pono, Petri ſcilicet & Dethleui Ranzouiorum, quorū hic Argentinæ; ille Parauii filio amiſſo, dolorem ita temperarunt, vt ſuis admirationi, reliquis exemplo fuerint: Cum tamē eorum luctus nequaquam videatur cum tuo comparandus: Hic enim & ille filium ſuum cariſſimum & quidem vnicum amittunt: Tu filium cariſſimum, nec tamen vnicum, ſuperſtitibus adhuc tribus. Hic & ille in procul a ſe diſſitis locis filio viduātur: Tu in arce hereditaria tuo priuaris. Hic & ille mortales exuuias deponentibus longe gentium abſunt: Tu morienti propriis manibus oculos claudis. Hic & ille mortuos in patriam afferri curant: Tu præſentem habes. In hoc ſaltem æquales, quod ſicut hic & ille ſuo, ita & tu tuo extremū honorem perſolueris, eumq; in auitum monumen-

tum intuleris, vbi ad nouiſſimũ vſq; diem requieſcet.

Quamobrem cum omnibus hiſce poſthabitis, ambo tui gentiles Ranzouii dolorem illum tam animoſe pertulerint: non mirum cuiquam videri debet, quod tu, qui ex parte nominatis es felicior, maius aliquod tuæ magnitudinis ſpecimen edas, eosq; multis pręcedas paraſangis. His ſubſcribit auctoritas tua, quæ tanta eſt, vt minime patiatur ab animi tui ſolita præſtantia te deſciſcere: cum ex omnibus vnum, non vt magiſtratum, ſed tanquam patrẽ, Holſati te ſalutent: nobiles, non vt parem, ſed tãquam ſuperiorem, honorent: Rex Danus, non vt ſubditũ, ſed tanquam filium, amore & fauore proſequatur: Duces Cimbri, & alii diuerſarum regionum Principes plurimi, non vt priuatum, ſed tanquam nobilem nobilium omnium doctiſſimum, & nobilem doctorum omnium nobiliſſimum, quem ætas grauem, facundia ſuauem, doctrina clarum, humanitas gratum, virtus memorãdum, prudentia venerandum facit, ſuſpiciant ac venerentur. Non dantur hæc auribus tuis, Ranzoui illuſtris, abſit id a me longe, qui palpum obtrudere non didici, neque vt faciam neceſſe habeo. Luce meridiana clarius eſt, & nemini non notum, quam fidem omnem, a me quæ dicta ſunt, exſuperent, quamque toleranter (etſi non libenter) & placate, & pacate, huius potiſſimum tui luctus acerbitates deuores ac ſuſtineas. In quo tuo propoſito, vt pertinax ſubſtes, nõ tam te rogo, quam vrgeo. Datæ Roſtochii, Anno ſalutiferi partus M. D. XCI. Quinctilis die primo, qui Hermanni Ludoici, Electoris Palatini, Friderici filii, emortualis, & Friderici II. sereniſſimæ memoriæ, Danorum Regis, & Academiæ Marpurgenſis natalis eſt.

HENRICVS RANZOVIVS S. D.

PETRO LINDEBERGIO.

NOn fucatam & fictam, ſed veram & fidam obſeruantiam mei tuam hinc facile perſpicio, doctiſſime Lindebergi, quod non ſolum proſa, ſed & ligata eleganti Epiſtola, nouum hunc meum dolorem, ob Caii filii diſceſſum obortum mihi abſtergere, & efficacibus efficacium conſolationum tuarum pharmacis depellere labores. Equidem grata mihi tua voluntas, gratus animus, gratiſſima ſcriptio, quibus vt in ſecundis, ita etiam in aduerſis mihi deeſſe noluiſti. Atqui homo non ſim, ni beneficium hoc beneficio recompenſem. Quem autem præſertim in luctu præſenti, me præſtiterim: vidiſti ipſemet præſens, & teſtis eſt epiſtola tua. Ego, qui primum filia mea Catharina in Dania, filio Friderico natu tertio in Gallia, nepte Catharina ex Oligarda filia in Germania, duobus fratris mei Pauli filiis, Daniele in Gallia, & Iohanne in Polonia: deinde Friderico & Philippo fratribus, Holſatiæ Ducibus: & Friderico II. Danorum Rege potentiſſimo, Dominis meis clementiſſimis, intra trium annorum ſpatium orbatus ſum, poſtero naturæ ordine, ſuperſtes relictus, ingenue & aperte vt fatear: ex omnibus enarratis luctibus, quã præſentem, magis viriliter tui nullum: non quod Caium filium nuper defunctum minus amarim: ſed quod verbo diuino & amicorum conſolationibus ſuffultus, ad tot funerum turbam, tandem quadantenus obdurem. Interim tamen neque illud ſilentio poſſum tranſire, quod ſicuti prioribus, ita etiam hoc nouello luctu

contur-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

conturbatus fuerim non parum. Quis enim tot fluctuum impetum ſuſtineret ſolus? tot dolorum generibus reſiſteret vnus? ita vt de priore conſtantia remiſiſſe videretur nihil. In me talem non reperio, & in mei ſimilibus multo minus, qui tantis calamitatibus obruti, iamdudum animum deſpondiſſent. Verum hæc iuſtæ orationis forent, non breuis epiſtolæ. Ad huius præcipuum argumentum venio. Libellum meum de ſomniis denuo excudi, eique filiorum meorum a te ſcripta Epitaphia addi cupio. Quocirca vt corrigendi, & probe omnia diſponendi laborem in te ſuſcipias, & primo quoque tempore Roſtochii typis libellum deſcribi cures, etiam atque etiam oro. Tranſmitto ſcriptum exemplar, & quæ typographo dari debet, pecuniam. ſi quid adieceris, reddam ſtatim. Vale, & prima occaſione me literis tuis ſaluta. Segebergæ, Idibus Iuliis, Anno M.D.XCI.

EPISTOLA ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI VDALRICI, HEREDIS Noruegiæ, Ducis Sleſſuigæ & Holſatiæ, &c.

AD *HENRICVM RANZOVIVM.*

COmpertum habemus, Magnifice vir, ſincere nobis dilecte, Caium Ranzouium filium tuum inopinato & premature diem ſuum obiiſſe. Eo triſti nuntio, & tuo nomine, & publico, non leuiter perturbati ſumus. Non dubitamus enim, te, filio tanto, qui & ipſe nobis carus erat, orbatum, quod quæ de

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

eius egregiis virtutibus,& meritis in patriam,ſenectę tuæ ſolida gaudia deſponderas, his excideris, acerbo luctu implicari. Quo te ſane releuatum eſſe expediret:ac pro noſtra erga te propenſione,cum primis cuperemus.Nam difficulter ſarciendam iacturam amiſſione ciuis induſtrii rempublicam feciſſe, inficias ire non poſſumus. Ac quo plures bonos decedere audimus, hoc profecto grauius animi angimur: quod nimirum nihil nobis ſit ſalute publica antiquius. Cum tamen ab humanarum rerum moderatoris decretis religioſe nos pendere deceat: certum eſt, illius arbitrio & iuſſui fruſtra reclamari: nec quemquam defunctorum, lacrymis & gemitibus in vitam reduci. Quare nobis in mentem venit cogitare, te virum ſapientiſſimum,quem & longo rerum vſu, & multiplici doctrina, ad eiuſmodi caſus admodum pie occalluiſſe neceſſe eſt, dolori non immoderate indulturum: ac cum non tam ſuperſtites, ipſi quoque præſtantes,liberi tui,quam ipſa patria, tua & tui ſimilium fide ac conſiliis freta,longęuitatem tuam ſummis votis (quibus cum & noſtra coniungimus) expetant, & illorum, & tui rationem habiturum eſſe. Quod ne facere recuſes: hiſce literis te rogatum voluimus,quę noſtram ſcilicet affectionem erga te facient teſtatam. Optamus, vt & tu diu floreas, & nos tua ſapientia fruamur.Helmeſtadii 14. Iunii, Anno Chriſti

CIↃ. IↃ.XCI.

HENRI-

HENRICVS RANZOVIVS S. D.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI & Domino, D. Vdalrico, Heredi Noruegiæ, Sleſſuici & Holſatiæ, &c.

MVltorum redditis literis, Illuſtriſſime Princeps ac Domine, Domine ſubmiſſa obſeruantia colende, & quidem tum Principum, tum virorum doctiſſimorũ, vix vllis æque delectatus ſum, ac tuis: non eo ſolum, quod propenſam erga me meosque beneuolẽtiam, & efficacia profundi doloris remedia continerent: ſed quod ea verborum puritate atq; elegantia eſſent contextæ, vt nunc auſim certo mihi polliceri, te a cariſſimi parentis tui, Friderici II. Danorum Regis, laudatiſſimæ memoriæ, & reliquorũ tuorum maiorum veſtigiis ne latum quidem vnguem deflexurum. Elucet profecto tanquam e ſpeculo, ex omnibus Epiſtolæ partibus, indoles tua heroica, & quædam ſenilis prudentia. Elucet ſingulariter beneuola tua erga me propenſo, & fauor eximius: pro quo reuerenter tibi gratias ago: eundemq; vt erga me, meoſq; quam diutiſſime cõſerues rogo. De me viciſſim hoc tibi perſuadeas, quantum vel officii, vel ſeruitii, in hac ætate mea affecta, pręſtari a me poterit, vniuerſo illo me tibi ſemper fore præſto, & nulla in re vnquam defuturum. Ceterum Deum immortalem votis ardentibus oro, vt ſub triſti hoc mundi veſpere, ad Eccleſiæ ac patriæ noſtræ ſalutem, incolumitatem & incrementum, te ſaluum diu cuſtodiat ac tueatur. Datæ Segebergæ, ſexto Calendas Septembris, Anno M. D. XCI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

GEORGIVS ROLLENHAGIVS, RECTOR Scholæ Magdeburgenſis,

AD

HENRICVM RANZOVIVM.

ETſi Generoſe & Magnifice Domine, homines ingenioſi de fontibus conſolationum tam in Philoſophia, quam Theologia, multa erudite ſcripſerunt: tamen & in meis & amicorum calamitatibus ſępe expertus ſum, quod Cicero quęritur: eas conſolationes tantum poſſe, quantum in cuiuſq; animo eſt roboris atq; virium. Heroicus enim animus ſeipſum cohibet, atq; in gyrum rationis ducit, etiam nihil monitus: muliebris cōtra vel ſapientiſſime tractatus parum adiuuatur. Vtriq; medicus optimus eſt, Spiritus ſanctus, & temporis quædam longinquitas. Quapropter cōmemoratione earum rerum, quas iam olim tum literis noſtris, tum vſu diuturno ſuggerente, perceptas tenes, neq; aures tuas grauare, neq; dolorem refricare volo. Tantum meos tecum gemitus & lacrymas coniungo: & te oro, vt pro te quoq; repetas Tragici vnicum illud: me longa dies & generoſus animus patientiam docuerunt: atque propter Eccleſiam Dei & Rempubl. reuerendæ tuæ ſenectuti parcas. Nobis enim omnibus diuturnus luctus noſter, hoc Dauidico Epiphonemate aliquando finiendus eſt: An poſſum eum reuocare? Ego quidem ad illum migrabo: ille vere nō redibit ad me. Hæc breuiter tibi in mentem reuocare volui: tibique, quod reſtat, totique familiæ, animum in voluntate Dei acquieſcentem, & firmam valetudinem: filio, piæ memoriæ, tandemque nobis omnibus lætam reſurrectionē exopto. Vale Magdeburgi. Anno M. D. XCI. die 7. Iunii.

IOAN-

IOANNES VORSTIVS
PRÆPOSITVS ITZEHOENSIS,

HENRICO RANZOVIO
Produci Cimbrico,
S. D.

NObiliſſime & Magnifice Domine, Vicarie Regie, Domine colendiſſime. Quanquam Nobiliſſimi Viri Caii Ranzouii piæ memoriæ, veſtræ Excellentiæ filii cariſſimi piam & ſanctam in ſua infirmitate Confeſſionem, & eiuſdem obitum felicem, apud veſtram Excellentiam priuatim & in funebri Concione, prædicauerim & laudauerim antea palam: tamen non ingratum veſtræ Excellentię fore ſum arbitratus, ſi eadem hac ſcriptione repetam: præterquam enim quod vtile ſit, piorum in Chriſto defunctorum, pias & Sanctas Confeſſiones apud poſteritatem exſtare, etiam dolorem, qui etiamnunc ex memoria filii. cariſ. veſtræ Excellentiæ cor angit, eius commemoratione mitigatum iri confido. Recordatio enim amiſſi boni, quod vere dileximus, ſua natura dolorem affert. Cum porro omnino Dei voluntate parendum ſit, neq; ſpes ſit eius, quem ſemel amiſimus, imo præmiſimus, recuperandi in hac vita, vlla. Et vnicum ſit ſolatium & contra omnem dolorem remedium efficaciſſimum, eos, quos præmiſimus, pie & ſancte in Domino obdormiuiſſe, & ex huius mundi calamitatibus multis ereptos, in ſumma cum Deo & S. Angelis felicitate viuere, quibus cum etiam breui in gloria æterna conuicturos nos ſperamus & exſpectamꝰ. Propterea (: omiſſis iis, quæ de vita æterna, eiuſque infinita felicitate ab aliis dicta ſunt pie & grauiter:) de

eis tantum,quæ de Nobiliſs. veſtræ Excellentiæ filio Caio Ranzouio,dũ me miniſterio in ipſius infirmitate vterque veſtrum vti voluit) coram vidi & audiui, vere teſtabor,omnino certus,ea apud veſtram Excellentiam eo plus habitura ponderis,quod non me,ſed cariſſimum filium per me coram loquentem audiat. Neq; enim alia, quam quæ ipſe mecum, & ego cum illo, imo quæ coram Deo vterque, & quæ Deus ipſe præſens egerit dicam.Si enim Deum,iuxta ſuam promiſſionem, *vbicunq; duo vel tres in nomine ſuo congregati ſunt*,præſentem credimus,omnino in hoc ſuo ſacroſancto Miniſterio,ipſe præſens, peccatorem graui mole peccatorum preſſum, & ira Dei perterrefactum coram per Miniſtrum lætiſſima voce remiſſionis peccatorum erexit, conſolatus eſt & ſanctiſſimo ſuo corpore & ſanguine,arrabone,contra omnẽ tentationem,certiſſimo cõfirmauit & obſignauit. Quin & ſuam præſentiam in noſtro Caio, efficaci ſua operatione,probauit palam, quod ipſe in Aula (vbi parũ eſt pietatis,verſatus,in hac florenti ætate,quæ multis vitiis eſt expoſita) in hac ſua infirmitate contemtis & neglectis,quę huius mundi ſunt,omnibus,nihil aliud quam de Deo,ſuaque ſalute loqueretur. Erat vero ipſius ſermo non fucatus,nõ arte compoſitus,ſed ſyncerus ex corde vere contrito, & vere timente Deum natus. Ex toto corde peccata ſua agnoſcebat, toto corde ſeſe ſui domini mandata tranſgreſſum deplorabat,toto corde iram Dei aduerſus ſua peccata timebat, toto corde a ſeuero Dei iudicio cohorreſcebat, ſæpe ex intimis animi præcordiis ſuſpirans, elatis in cœlum oculis peccata ſua confitebatur, ſeſe Dominũ & Deum ſuum non timuiſſe,ſæpe ipſius verbum leui occaſione neglexiſſe, ſeſe nunc iuſtas ſuorum peccatorum dare pœnas, imo maiores & æternas meritum eſſe. Et ſi vero in eo verus iræ Dei ſenſus eſſet & graui onere peccatorum premeretur,non tamen ceſſit,ne-

que

que ſuccubuit, vt deſperaret, ſed certa fiducia miſericordiæ Dei in Chriſto ſeſe erigit, luctatur & vincit; Magna ſunt, inquit, mea peccata fateor : Magna eſt Dei aduerſus mea peccata, ira, agnoſco, Maxima eſt quam meritus ſum, quamque cogitans cohorreſco pœna. Maior tamen eſt Dei miſericordia, maius eſt Ieſu Chriſti redemtoris mei meritum. Hæc eſt, inquit, in his meis doloribus conſolatio certiſſima, qđ iureiurando teſtatus eſt Deus, *ſe nolle mortem peccatoris: ſed vt conuertatur & viuat.* Et hoc eſt vnum in his meis terroribus ſolatium, quod Ieſus Chriſtus in hūc mundum venit, vt ſaluos faceret peccatores. Peccaui ego fateor, doleo, ſed Ieſum Chriſtum pro peccatis meis mortuum, pœnam, quam ego peccādo meritus ſum, in ſeſe tranſtuliſſe, eamque ſoluiſſe ſua morte, vt me a morte liberaret, credo, gaudeo & lætor.

Hanc Nobiliſſimi Caii Ranzoui, piam & ſanctam confeſſionem meo miniſterio confirmaturus, omni conſolatione pleniſſimum Ioan. 3. dictum, *Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Verborum pondere indicato, expono. Magnam omnino & ſtupendam in Deo eſſe dilectionē, qui peccatis noſtris grauiter offenſus, eos, quos perdere iure poſſet, etiam diligat, & ſic diligat, vt proprio ſuo filio non pepercerit, ſed redimendis nobis inimicis ſuis, filium ſuum dilectum, eumq; vnigenitum & quem habet vnicum daret. Admirandam item in filio caritatē, qui ſuo erga nos amore, ſuaq; bonitate, ne nos periremus, totus noſter eſſe voluit, vt aſſumta noſtra carne, quicquid in nobis eſſet mali, in ſeſe deriuaret & a nobis auferret, & ſua viciſſim bona, imo ſemetipſum nobis communicaret. Ineffabilem item ſacroſancti bonitatē, qui ſua clementia, patris erga nos amorē, eiuſque liberaliſſimū Dominum Ieſum Chriſtum ſuum filium, & quæ per eum conſequimur immenſa bona,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Remiſſionem peccatorum, Iuſtitiam, & vitam æternam, nobis offert, donat, & fiduciam, qua læti in Deo, acquieſcimus, clementer & efficaciter operatur. Atque hanc vere ſtupendam Dei patris dilectionem, quam dato filio comprobauit, eiuſque filii, qui noſtra aſſumta carne, & communicato ſemetipſo, ſuiſq; bonis omnibus, ſua morte cõparatis, noſter eſſe voluit, incomprehenſibilem caritatem, & Sp. ſancti, qui intra nos habitans, filium, & cum filio infinita ipſius bona, nobis donat, amorem dum amplifico, dictus Nobiliſſimus Caius Ranzouius, in ſingula verba intentiſſimus, totus gaudio plenus, clara voce erupit; Si inquit, Ieſus Chriſtus meus eſt, quid mihi deeſſe? quid mihi obeſſe poteſt? Quare totum me in ipſius manus dedo, paratus mori, ſi ita Deus meus volet. Et ſi viuere me voluerit, gratum me fore & vitam emendaturum promitto.

His inter nos communicatis, ego Miniſterio mihi commiſſo, lætam Euangelii vocem; remiſſa eſſe ipſi ſua peccata omnia per meritum paſſionis Ieſu Chriſti, eiuſque reſurrectionis, annuntio. Et breui addita, de ſacroſancta cœna Domini inſtitutione, cui ipſe p omnia cõſenſit in certiſſimum remiſſionis peccatorum & reconciliationis cum Deo ſignum, ipſi corpus & ſanguinem Dn. Ieſu Chriſti porrigo, & hoc dato, admoneo; tam certo ſibi ſua peccata remiſſa eſſe ſtatuat, quam ipſe certo verum corpus & ſanguinẽ Ieſu Chriſti in mortem pro nobis oblatum, & in remiſſionem peccatorũ, offuſum, ipſe iuxta Chriſti inſtitutionem, ipſiuſque clara verba comederit & biberit.

Quoniam vero in adminiſtratione cœnæ Dominicæ Pſalmum aliquem prælegere, & ſymbolum Apoſtolorum recitare conſueui, ex eo quæro: num per infirmitatem hanc moram ferre poſſet. Libenter, inquit: Et dum Pſalmum 130. *De profundis clamaui ad te Domine*, &c. incipio, hic, inqt, Pſalmus mihi familiaris

liaris

liaris eſt , quem quotidie inter meas preces recitare conſueui; quare prælegentem me,non ſubſequebat, ſed prçcedebat: Item Symbolum Apoſtolorum & orationem Dominicã clara voce recitans & orans verum corpus & ſanguinem Dn. Ieſu Chriſti plenus fiducia in Chriſto,accipit. Subinde repetens,ſeſe nunc bene pacatum,totum ſe Domino ſuo committere,ſibi ſatis eſſe,quod certiſſimo fœdere & ſigno ſuæ reconciliationis cum Deo,corpore ſcilicet & ſanguine Dn.Ieſu Chriſti confirmatus, certiſſimam ſuæ ſalutis & vitæ æternæ ſpem habeat. Hæc ita primo die acta, poſtea reuerſus dum paucis repeto, ſæpe dictus Nobiliſs. Caius Ranzouius, tenui voce, ingraueſcente ſcilicet infirmitate,& manus leni preſſione comprobauit,& ita quietus in Domino obdormiuit.

Hæc porro in funebri concione latius (vt erat ſingulorum verborum tunc memoria recentior) dicta non nunc repeto, vt dolorem tempore ſopitum excitem,ſed vt, ſi qui reliquus eſt, vera felicis & piæ cariſſimi filii cõfeſſionis & mortis commemoratione, & certa ſpe vitæ æternæ,qua nunc coram Deo fruitur,aliquo modo leniam & mitigem. Non eſt tamen (vt verũ fatear) nulla iuſti doloris cauſa,quæ non tantum veſtram Excellẽtiam & cariſſimos cognatos,ſed quæ multos,imo totam hanc patriam attingit. Dolebam ego tunc quidem vero dolore, & dolent etiam nunc quotquot huic patriæ bene volunt,ingenio, ſapientia & ſingulari modeſtia ſupra ætatem ornatum, qui huic patriæ vtiliter inſeruire,& multis prodeſſe poſſet,in florenti ætate abreptum eſſe. Quoniam vero Deo ſic placuit,eum toto pectore oro, vt ſapientia & iudicio præſtantes & iuſtitiç amantes, qui huic patriæ prudenter & bene præſint, excitet. Et veſtram Excellentiam in hac ſua ſenecta, diu incolumem & ſanam conſeruet, Amen. Veſtram Excellentiam Deo omnipotenti, qui eſt vita noſtra, &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

longitudo dierum noſtrorum commendo. Datum Itzeho, die Solſtitii æſtiui, XCII.

NICOLAVS PETRÆVS
HVSANVS CIMBER,
HENRICO RANZOVIO,
S. P. D.

SI nobiliſſimum illud animal, Henrice Ranzoui, vir nobiliſſime, hominem videlicet, cum belluis brutiſque animantibus, rationis actionum & ſpectabilis harmoniæ reſpectu, conſiderate conferas; nihil eo, me hercule, in totius huius vniuerſi amphitheatro, Deo & angelis exceptis, pulcrius, nihil felicius, nihil præſtantius, nihilque prudentius deprehendes & reperies. Nam & ratione, per quam cauſas rerum videt, earumq; progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, quaque cum Deo ſocietatem habet; & harmonia, quæ admirabilis, quaq; omnium animantium formam & σύνθεσιν πλαστικὴν vincit, illis præſtat & antecedit. Sin vero eius cum his, præſentis huius vitæ & fortunæ ratione, aliquanto penitius collationẽ inſtituas: hæc eo feliciora, & in meliori ſtatu poſita, ſuffragante animo concedes. Licet enim omnia hominis cauſa creata generataque eſſe, cum diuina, tum philoſophorum placita teſtentur & approbent; his tamen illum multo pluribus infortunii, calamitatumq; telis expoſitum & ſubiectum eſſe, quam clariſſime videmus & experimur: cui etiam Homerus aperte album calculum addit, in hoc Epiphonema Odyſſ. 6. v. 129.

&

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

& 130. prorumpens: οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἐπιπνείει τε καὶ ἕρπει. Et ſane veriſſime οὐδὲν ἀκιδνότερον dixit. Si enim examuſſim iam porro in humanæ vitæ curſum cogitationem intenderis; nihil in eo lætabile aut dulce, ſed amara omnia & perpetua afflictionum & ærumnarum mole permixta & conferta; nihil ſtabile aut firmum, ſed omnia lubrica, fluida & momentanea, oculis tuis obiicientur. Quod cum Cato Maior prudenter animaduertiſſet, grauiſſime exclamauit: o Dii boni, quid eſt in hominis vita diu? nihil equidem; nihil, inquam, in hominis vita diuturnum; ſed vana & inania omnia. Etenim ipſa experientia probatrix veriſſima, hominem continuis ærumnarum & miſeriarum fluctuationibus & ictibus propoſitum eſſe; & maxime iam de vitæ longitudine & prorogatione meditantem, præpropero ſæpiſſime mortis aduentu opprimi & exſtingui, conuincit & quotidianis teſtimoniis communit: ita; vt non immerito quis, vtrum viuere, an mori melius ſit, animi pendere poſſit. Cum enim in memoria noſtra penitus inſideat, homini hic primodum variis fortunæ vicibus exagitato & debilitato, tandem tamen etiam cum gemitu animam ipſam relinquendam eſſe, quis quæſo diuturnæ vitæ deſiderio teneatur? quamuis vero vita hæc naturali quadam appetentia ſuauis & iucunda, mors vero inſuauis & aſpera; omnes tamen, natura ita diſponente, mortalitati ſubiecti ſumus: & certe nemo omnium mortis immunitatem ſibi promittere poteſt; cum omnibus ſimpliciter & abſolute mors parata & definita ſit. neque hic Themiſtoclis auctoritas, Carneadis eloquentia, Scipionum fulmina, Mutii audacia, Vlyſſis aſtutia, Crœſi diuitiæ, fortitudo Herculis, & Solonis ſapientia, defenſionem & patrocinium præbent.

His ita animo reuolutis, Henrice Ranzoui, vir nobiliſſime, generoſam tuam mentem, propter Caii filii

tui cariſſimi, ex imbecilla ac fragili huius vitę ſtatione emigrationem, nimia triſtitia non aggrauabis: ne & ipſe tibi damnum irrepabile inferas, & vitæ tuæ metam abbreuies. Sed potius hoc in mentem tibi veniat, eum ex hoc proſcenio, non tanquam ex domo, ſed tanquam ex hoſpitio, mortali hoc corpore, velut in apodyterio, hic exſuto & depoſito, ad cœleſtis vitæ beatitudinem tranſiiſſe. Commorandi enim in hac area diuerſorium, non habitandi, natura mater dedit. Memineris, amabo te, ipſum hominem fuiſſe: ideoq; nihil humani ab eo alienum: & eos caſus grauiter nō feras, quos nullo cōſilio vitare poſſis: communemq; hominum ſortem perpendendo, nihil noui tibi accidiſſe, cogites: & nihil in malis ducendum, quod ſit vel a diis immortalibus, vel a natura parente omniū conſtitutū. Quippe cum in morte omnis miſeriæ & fortunæ aduerſæ finis exſiſtat, homini mala eſſe non poteſt: ꝙ & ipſorum Deorum iudicio cōfirmari & ſtabiliri poteſt. Nam cum Argia ſacerdos ſuperos precata eſſet, vt Cleobi & Bitoni filiis, pro pietate erga parentem præmium darēt, quod lōge maximum homini a Deo dari poſſet: poſtridie ambo in lecto mortui ſunt inuenti: tanquam ita Dii iudicarint, maiorem homini voluptatem obtingere non poſſe, quam ſtatim ex huius mūdi calamitatibus eripi. Imo ipſos Brachmanas ſapientes Indorum Philoſophos, mortem bonorum, natiuitatem ad veram illam & felicem vitam eſſe, ſapienter & grauiter docuiſſe, non ignoras. Proinde te, Henrice Ranzoui, collatione pręſentis huius & futuræ vitæ eriges: & eius conſideratione dolori non ſuccumbes. Hic luctus & lacrymæ, illic gaudium & abſterſio: hic triſtitia, illic conſolatio: hic mortalitas, illic immortalitas. Ex hac igitur vita, quaſi ex conductitia domo, filium tuum Caium in alteram tanquam in perpetuum domicilium, quia pie vixerit, penetraſſe: ibiq; cum omnibus beatis mentibus, ineffabili & in-

ceſſabili lætitia perfrui, dubium omnino nõ eſt. Quæ cum ita certo certius ſeſe habeant: quid obſtat, quo minus filii tui deceſſum patienter & conſtanter perferas: aliiſque heroibus viris tui ſimilibus exemplum fortitudinis præbeas & proponas? Vale. Roſtochio, ad quartum nonas ſextilis, Anno M.D.XCI.

EPISTOLA ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, D. Otthonis, Ducis Brunſuicenſis ac Luneburgenſis:

AD

HENRICVM RANZOVIVM Vicarium Regium.

NObilis ac Regie Præſes; Quod petitioni noſtræ, ex ſententia Epiſtolæ propria manu ad te ſcriptæ, morem geſſeris; perlubenter cognouimus, eoq; tibi nomine gratias agimus. De luctu etiam tuo nuper concepto, ob immaturum Caii filii ex hac ærumnoſa vita deceſſum, eſt ad nos perlatum. In eius nos quoque luctus ſocietatem vocari tua cauſa, fatemur. Sed Deus æternus, citra cuius voluntatem nemini quicquam euenit, cuique omnia toleranter ſubmittenda ac commendanda ſunt, pectora mœrore oppreſſa conſolabitur, tum in hac vita, tum in omni æternitate: cui propitio Deo te, vna cum tota familia, diu incolumem tuendum commendamus. Datum ex arce noſtra Harburgo, feſtinanti calamo, & manu propria x. Auguſti, Anno M. D. XCI.

EPISTOLA ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI D. Caroli, Comitis Arnsburgenſis, Baronis in Siebenburgen, aurei velleris Equitis aurati, Regiæ Maieſtatis Hiſpaniarum Conſiliarii:

AD

HENRICVM RANZOVIVM, Regium in Ducatibus Holſatiæ, &c. Vicarium.

NObilis ac magnifice vir, amice nobis inprimis dilecte, ſecundum felicitatis ac incolumitatis votum, quam tibi ſolidam & perpetuam largiatur illius auctor Deus, ſignificamus literas tuas ad nos recte delatas eſſe. Ex his, non ſine ſocietate doloris, animique perturbatione, obitum filii tui Caii Ranzouii cognouimus. Fuit ille & ſumus omnes morti ſubiecti: eaque nobis omnibus momentis, iuxta diuinæ voluntatis arbitrium, ex quo pendet, eſt exſpectanda. Quid his certius? Non eſt igitur quod dubitemus, te virum prudentia præſtantem, omnipotentiæ diuinæ quicquid filio euenit, cum gratiarum actione permiſſurum. Id cum facies, tuarum etiam erit partium, vt animum quieti tradas, & vitandæ iræ diuinæ cauſa, te a mœrore abducas. Deus æternus filii tui pie defuncti miſertus, qua omnium beatorum animæ fruuntur felicitate, hac eundem participem reddat: teq; incolumem tueatur. Datum ex caſtris, die xxx. Iunii, ſtylo nouo. Anno Chriſti M. D. XCI.

EPI-

EPISTOLA VICARII REGII HENRICI RANZOVII, AD Carolum Principem Arenſburgenſem, Baronem in Siebenburgen, &c.

ILluſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime, binas Illuſtr. Celſ. T. literas accepi, ex quibus Illuſtr. Celſ. T. piam atq; benignam erga me commiſeratio-nem, ob filii mei e vita diſceſſum, animo gratiſſimo, & ea, qua par eſt, reuerentia cognoui. Nullus apud me dubitationi relictus eſt locus, diuino conſilio id accidiſſe, vt in ipſo ætatis vigore conſtitutus, tamen mortem oppeteret. Quare tum exhortatione ad me inſtituta, tum inductione propria permotus, voluntati diuinæ obſequor: & filii mortem, quam excepit vita melior, æqua perfero mente. Hoc ad Illuſtr. T. Celſit. teſtari debui: quam diuinæ protectioni commendatam, officia quæcunq; & obſeruantiæ cultum ſibi de me polliceri velim. Datæ Segebergæ, xv. die Auguſti, anno Chriſti M. D. XCI.

D. GEORGIVS BRVNO ECCLESIÆ COLONIENSIS, AD S. Georgium Decanus.

D. HENRICO RANZOVIO, Produci Cimbrico S. P. D.

Perilluſtris, Nobilis & Generoſe Domine, Domine colendiſſime.

IAm binis mihi tuis reſpondendum: prioribus, quę conſolatoriã Chytræi, Epitaphia ſimul & elogium

cariſſimi filii tui Caii continebant , vna cum alio ad
Iuſtum Lipſium literarum faſce: poſterioribus qui-
dem, quæ & ipſæ alias ad Reuerēdiſſimum D. & ami-
cum noſtrum Romanum continebāt, & elegantiſſi-
mo ioco ſtatim in ipſo limine conditæ erant. Atq; ad
priores quod attinet, cariſſimi filii tui caſum iam-
ante, fama nuncia, ex nundinarum quoq; catologo, e-
ruditorum opera exhibente, non ſine doloris ſenſu,
cauſa tua acceperam. Etſi enim multum tibi cōſtan-
tiæ, fortitudinis, conſilii atq; ſolatii, perſpectam iam
ante mihi generoſitatem animi tui, in hoc caſu, ſup-
peditare non ignorarē: ob ſingulares tamen tam præ-
ſtantis filii dotes, & elegantem ac maſculam pruden-
tiam, quam in eo, dum hac Colonia ad Parmenſem
Ducem Regis tui legatus tranſiret, multis argumen-
tis cognoui, tanto eum parēti cariſſimum fuiſſe, ipſa
mihi ratio facile ſuggerit. Atq; proinde nec naturam
ipſam, nec rationem etiam pati, vt ſine mœrore ac lu-
ctu, tam caro deſiderio ac pignore, in ipſo virtutū &
ætatis flore, priuere, facile credo. Quid autem, mi
Ranzoui, facias? te ſoleris, ipſe oportet, vitæ huius in-
certitudine tibi ob oculos poſita. Tua tibi prudentia
conſolationem præbeat, quam tēporis diuturnitas,
quibuſcunque etiam aliis ſuppeditare ſolet. Quod te
facere forti conſtantique animo, quo cætera mundi
ludibria ſpernere ſoles: ipſum tuum ad Chytræū re-
ſponſum manifeſte demonſtrat. Chytręi quidē epi-
ſtolam libenter vidi & legi, vt quæ plurima atq; pul-
cerrima conſolationis argumenta eleganti ſtylo ex-
hiberet. Ad hanc autem tu tam erudite & neruoſe
reſpōdes, multo plures rationes atque hiſtorias, qui-
bus ipſe dolorem hunc tuum mitigas adducendo: vt
mea quidem opinione ſuperuacaneū fuerit, opero-
ſam conſolatoriam ad eum dirigere, qui tam euiden-
tibus accuratiſq; ſe ipſum cōſolandi rationibus & ar-
gumentis inſtructus erat. Hæc etiam cauſa fuit, cur
ego in

ego in conſolandi rationibus & argumentis ſtrictior & breuior fuerim; vt, qui non ignorarem te, tanta rerum experientia & longo vſu, tantaq; eruditione politum, aliorum conſolatione minus egere. Argumēto ſit vnicum ad Chytręum reſponſum. Sed finem nunc facio, Deum orans, vt Magnificentiam veſtram multos in annos bene valentē conſeruare dignetur. Raptim, ex Muſæolo noſtro, XII. Auguſti Anno reparatæ ſalutis M, D. XCI.

MELCHIOR NEOFANIVS PASTOR BRVNSVICENSIS, AD D. Petrum:

HENRICO RANZOVIO, Vicario Regio, &c. S. P. D.

SVmmo cū dolore, Heros magnifice, ipſo die Ioānis Baptiſtæ, ex literis tuis ex arce Lycaonia ad me miſſis percepi, filiū tuum Caium, doctrina, ingenio, auctoritate, pietate, & humanitate, rerumque experientia ſupra ætatem excellentē, in ipſo ætatis ac fortunæ flore, immatura morte, ex hac ærumnoſa vita, relicto poſt ſe, nō tantū tibi patri, tuiſque, magno ſui deſiderio, ſed toti etiam terræ Nordalbingiæ, regnique Danici populis, qui magnā in ipſo dudū ſpē po-ſuerunt, fore vt patris maiorumq; veſtigiis inſiſtens, conſilio & prudentia matura patriam honeſtaret & conſeruaret. Illam nunc ſpem intercidiſſe ex animo doleo, tuamque inprimis vicem deploro, qui quot-annis tot optimorum amicorū funera luges. Sed voluntati diuinę, vnde hæc omnia proficiſcūtur, parendum eſt animo patiēti, cui viuimus & morimur: vtq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Deo bona & grata dãte, lætamur, ita ipſo hoc prò paterna ſua gratia & prudenti conſilio repetente, acquieſcendum eſt: exemplo Iobi, qui amiſſis omnibus bonis & liberis, magno animo ait: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. Conſolabitur autem te, vir generoſe & optime, quod videris filium tuum in vera agnitione Dei, veraq; pœnitentia & fide, vitam finiiſſe, animamq; ſuam in manus Saluatoris plena fiducia tradidiſſe. Qui enim ita in Domino moriuntur, illos, quemadmodum te non latet, ſcriptura beatos pronuntiat. Quam metam ſi quis attigerit, gratulandũ ei omnino cenſeo, & vices eius minime eſſe deplorandas. Affectus equidem paternus dolorem prorſus diſſimulare nequit: id enim haud humanum eſſet: veruntamen cum certi ſimus, non amittere, ſed præmittere tantum nos, qui morte hinc auocãtur: ſpe erigamur oportet, fore vt præmiſſos amicos, in contubernio amœniſſimo, & cõſortio piorum omnium, in ſinu Abrahæ cum gaudio ineffabili ac æterno, rurſum breui viſuri ſimus. Qua ſpe te quoq; in hoc triſtiſſimo caſu conſolaberis: vt amicorum pia vota & monitiones, carmine lugubri in obitum filii beatiſſimi expreſſæ, te ſedulo adhortantur, pro quarum communicatione ſtudioſe & reuerẽter tibi gratiam habeo: ſicut & pro aliis voluminib. multis, quibus aliquoties me liberaliter donaſti. Cumq; hanc communicationem Epitaphiorũ, filio tuo, piæ memoriæ, ſcriptorum, pro tacita admonitione acceperim, vt & ego aliquid pro amicitia noſtra, quã ego, ſane vt par eſt, magnifacio, pangerem: incepi ſane Epicedion canere, a quo publicis & priuatis negotiis auocatus ſum ſæpius. Pergã tamen in eo, Deo annuente, deinceps: & ſi non ingratum tibi hoc fore intellexero, ad finem, breuem maiorum gentis veſtræ Catalogum, factorumq; eorundem delineationem attexam: interim voluntatis tuę ſignificationem & decla-

rationem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

rationem exſpectans. Vale. Heros generoſe, cum tota tua familia longum. Dabantur Brunſuigæ, 13 Auguſti, Anno M.D.XCI.

M. NICOLAVS CORNOPÆVS, SCHOLÆ CHILONIENSIS Rector: Henrico Ranzouio Regio Vicario S. P. D.

GEneroſe & Magnifice Domine, quod Generoſ. tuam, tot grauiſſimorum & plane regiorum negotiorum mole occupatam, ineruditis meis literulis hoc tempore interpello: veniam temeritatis meę peto. Non ſolum enim excellentium donorum, ſapientiæ, virtutis, doctrinæ, natalium ſplendoris, gloriæ, auctoritatis & dignitatis, quæ omnia Deus in te vnum cumulatiſſime contulit, admiratione; ſed & Heroica Gen. Tuæ erga me infimum ſuum clientulum liberalitate & munificentia, ad ſcribendum ſum excitatus. Accepi enim ante paucas ſeptimanas, donata mihi abs T. G. egregia illa præſtantiſsimorum virorũ monumenta Hiſtorica, Mathematica, plenaque pietatis, beneuolentiæ & συμπαθείας Chriſtianæ ſcripta conſolatoria, quæ ſub ampliſsimi tui, & tota pene Europa, apud omniũ ordinũ homines longe celeberrimi nominis auſpicio, hoc año in publicũ ſunt emiſſa. Quare gratias T. Gen. quantas animo concipere poſſum maximas ago, qđ pro ſua excellenti & plane Heroica bonitate, me infimæ ſortis hominem, ſed tamen humaniorum literarum cultorem, ſcriptorum illorum cõmunicatione exhilarare dignata eſt. Quæ vt cupi-

diſſime magnaque cum voluptate, inter hos pulueris ſcholaſtici ſtrepitus & moleſtias, perluſtraui: ita acerbiſſimo illo vulnere, quod Deus pró ſua paterna voluntate, obitu nobiliſſimi tui filii Caii, viri ad ſumma omnia nati Gen. Tuæ ἐπὶ γήρως οὐδῷ inflixit, non mediocriter ſum perturbatus: & ſæpe inter legendum, mea etiam ſuſpiria, cum illorum, quorum ſcripta in manibus erant, lacrymis & gemitibus cóiunxi. Deus æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, veram & ſalutarem in heroico tuo pectore conſolationem, per Spiritum ſanctum accendat: & Gen. Tuam vna cum nobiliſſimi generis coniuge, liberis, totaque Ranzouiorum familia, ad ſui nominis gloriam, & communis patriæ tranquillitatem & ſalutem, quam diutiſſime incolumen & florentem conſeruet. Datæ Chilonii, XIIII. Auguſti Anno Chriſtiano M. D. XCI.

D. HENRICO RANZOVIO, PRODVCI CIMBRICO, AVO, S. P. D.

CAROLVS ALEFELDIVS, NEPOS.

QVamuis, Aue nobiliſſime & cariſſime, audito de præmaturo Generoſiſſimi viri, Caii Rāzouii, auūculi mei obitu, quoddam παραμυθικὸν, vna cum Epitaphio qualicunque, rudi Minerua cōtexto, continuo ad V.G. exarare decreui: nihilominus tamen, veritus, ne his meis literis vulnus, ex nupero Caii diſceſſu cōceptum, auo magis exaſperaretur: quod curādo, fieri quædā maiora videmus vulnera, quæ melius nó tetigiſſe

tetigiſſe fuit: de induſtria propoſitum meum hucusque diſtuli, dum dies auo, vt Terentiano vtar, maxima ex parte adimeret ęgritudinem. Auus igitur ſcriptum hoc tanto ſpatio eſſe reiectum, & quod quaſi κατόπιν τῆς ἑορτῆς ἥκον, excuſatum me habeat; cum alias profectum illud a puero, quippe xv. annum nondum egreſſo, parum ponderis habere videatur: ac alii, qui grauioribus ac firmioibus argumentis auum conſolarentur, non defuerint. Debita autem pietate ac naturali φιλοστοργίᾳ motus, ſuperſedere non potui, quin auum hac rudi & leuidenſi epiſtola conſolatoria tandem inuiſerem. Rogo equidem auum, vt Dauidis, & aliorum ſanctorum virorũ exemplo, in hoc caſu, ſanctæ Dei voluntati lubens ſe ſubiiciat: cum præſertim nõ male, ſed bene cum Caio noſtro Deum Opt. Max. egiſſe, liquidum ſit. Noluit ipſe Caium diutius in hac lugubri miſeriarum valle iactari. Quin potius placuit, mature eum in aulam cœleſtem, omni delitiarum genere plenam, transferre. Ibi nunc ille, cũ aliis & beatis electis, propitii Dei & ſanctorum angelorum, atque etiam maiorum ſuorum (quorum laudes & res geſtas toties decantari audiuit; ideoque ſæpenumero iis præſto fieri optauit) iucundo conſpectu & colloquio fruitur. Ibi cum omnibus illis Nectarea dulcedine imbutus, in dulciſſimo cœlitum choro, hymnos ſuauiſſimos Deoque cariſſimos perpetuo concinit: præ quorũ dulcedine mortalis huius vitæ ne quidem meminit amplius: niſi quod θαυμαστὰς ἡδονὰς ἔχων τῇ καθαριότητι καὶ τῷ βεβαίῳ, deſideret reſiduos ſibi in terra cognatos & conſanguineos, primo quoque tempore, in communem cœleſtium gaudiorum fruitionem ſibi aſſociari. Quandoquidem igitur optimus ille pater cœlitum, tam bene Caio noſtro proſpexit: æquum eſt, vt auus, auiaque, & reliqui neceſſarii, mortem eius æquo animo tolerent. Præcipue vero auus ſibi temperabit, ne nimium ſe curis maceret, propter Caium,

cui ex luctu parentum nihil emolumẽti accedit, quique perfectiſſima & beatiſſima gaudia auo precatur, nedum dolores & cruciatus eius ſibi requirit. Dabit hoc quoq; auus ſuperſtitibus filiis, & nepotibus, aliiſque ſanguine iunctis, ne plus æquo dolori indulgeat. Omnium enim maxime intereſt, auum diutiſſime ſupereſſe. Quod ſi enim illis ante fata ſe præripiat, ob vnum filium amiſſum (potius ac verius diceretur præmiſſum) cæteris liberis conſuetudine aui iucundiſſima erit carendum: ac intercipientur eis opportunitates plurimæ atq; ampliſſimæ, quarũ fructum ex auo viuente ſibi promittũt. Quare, vt rem tandem in pauca contraham, iterum atq; iterum rogo auum: vt tum Caii noſtri beata conditione, qua nunc fruitur, conſiderata, tum reſiduorũ filiorum ac nepotum ſuorum vtilitate, propriisq; corporis imbecillitate penſitata, modum faciat querelarum, ſeq; Dei arbitrio, placido animo permittat, quod vt Deo ſacrificium eſt gratiſſimum, ita nobis ſuperſtitibus maximo cedet emolumento. Denique Dei Opt. Max. protectioni te auum meum cariſſimum, meq; viciſſim tuo, aue cariſſime, fauori & beneuolentię, pie diligenterq; commendo. Vale. Datæ Schuabſtedi, Anno M. D. XCI. 14. Calend. Nouemb.

SERENISSIMO AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOmino, D. Ferdinando de Medices, Magno Duci Hetruriæ, Florentiæ, Senarum, Piſarum, &c. Domino meo clementiſſimo.

SEreniſſime, Illuſtriſſimeq; Princeps ac Domine, D. clementiſſime: Etſi hactenus nulla ſeſe obtulit, occaſio, qua Illuſt. C. tuę gratiam demereri potuerim:

tamen

tamen ampiſſimis Celſ. T. laudibus, quæ non ſolum in tota Italia ſed etiam in his noſtris ſeptẽtrionalibus oris innotuerunt, permotus, diutius intermittere nolui, quin me in gratioſam C. T. beneuolentiam, ea qua decet ſubmiſſione, ratione aliqua inſinuarem. Mitto itaque Celſ. tuæ, per Ioannem Melhorn, quem ex C. T. literis ſalui conductus & commendatitiis, eiuſdem miniſtrum eſſe intellexi, munuſcula quædam exigui pretii: gradarium equum niuei coloris, pileum ex pellibus exoticis & librum quendam Genealogias aliquot nobilium familiarum in Saxonia continentem: quæ vt ſereno vultu excipiat ſubmiſſe rogo. Quantum ad gradarium attinet, propter loci intercapedinem, & viarum aſperitatem, valde metuo, vt qua nunc eſt corporis habitudine & alacritate præditus, eadem ſeruata, in Italian perueniat. Probe etiam noui, veſtes pellibus ſuffultas, propter calidã aeris temperiem, in Italia non magno eſſe vſui. Suam nihilominus delectationem inſolentia fortaſſis afferet. Librum autem Genealogirum Celſit. T. gratum fore ſpero: eumque ſi C. T. in bibliothecam ſuam referat, non parum gentem Gernanam honeſtauerit. Quod pias aures offendere queat, in eo, quód ſciam, de religione non tractatur. Si Celſit. T. aliquot ſaxa marmorea, nauibus, quæ eo Lubeca vel Hamburgo frumentum deportant, remittet: ſummo me beneficio ſibi deuinciet. Ego enim parentum, fratris, ſororis ac filiorum, nec non meum, vxoris, nepotum, poſterorumque monumenta, quibus proprium fanum dedicaui, marmore Italico decorare: ſimulque C. T. liberalitatem ac beneuolentiam inſcriptionibus prædicare conſtitui. Si quid inſuper officii vel ſeruitii, Celſit. tuæ viciſſim a me in his locis præſtari poterit: audacter illa vt imperet, exſpecto.

Mittuntur aliquando ad nos ex Italia, qui falcones in his regionibus coemãt, ac in Italiam tranſportent,

horum comparandorum gratia ſi forte C.T. quos ex ſuis huc ablegare volet, literis ſalui conductus eos muniam, vt iſtuc loci, quo huiuſmodi aues veneunt, ſecuri ac incolumes peruenire poſſint. In hac enim re, vt & in aliis omnibus, Celſitu. T. pro lubitu opera mea qualicunque vti poterit.

Celare etiam Celſit. T. nolo, ſereniſſime Princeps, in his oris, equeſtris ordinis homine aſſuefacere nõnullos equos ſolere, vt cum inſidias feris ſtruunt, eoſdem in quamcunque partem velint manu ducere ſimulque poſt hos latere, ac ita ex occulto feras iaculari queant: exploſione bombardarum nullum equis terrorem incutiente. Huius generis equum, ſi Celſit. tua expetet, dabo: & ſi Celſ. T. certum hominem ad me mittet, adhibebitur huic, a quo rationem tractandi equum diſcat. Idem poſtea, in aſſuefactum equum a me dono datum, in Italiam ad Celſit. tuam commodo deducere poterit.

Experietur quoque alias Celſ. T. me quouis tempore, & quibuscunque rebus ſtudioſiſſimum atque promtiſſimum. Id ſaltem, ea qua par eſt ſubiectione rogo, ne Celſ. T. vitio mihi vertere velit, quod literis meis importunis C. tuæ tam temere moleſtias exhibere auſus fuerim. Hiſce C T. Dei opt. max. tutelæ commendo. Datum ex arce Regia Segeberga. XVIII. Martii, Anno M. D. XCII.

ERNESTVS

ERNESTVS, COMES ET DOMINVS IN MANS-FELD. &c.

HENRICO RANZOVIO, Vicario Regio, &c.

Saluten & amorem mittit.

NObilis & magnifice Domine Regie Vicarie, amice inprimis care. Literæ tuæ ad XXVI. Ianuar. Segeberga datæ, a latore harum mihi probe redditæ ſunt. Is huc appulit eo ipſo tempore, quo peregre aberam, profectus Nanceum negotiorum quorundam meorum cauſa, quæ coram ſummo ſereniſſ. Celſ. Lotharingicæ ſenatu mihi erant conficienda. Iſthic loci cum tres circiter ſeptimanas commorarer, accidit, vt tardius aliquanto tuus hic cum reſponſo meo dimitteretur. Cæterum pro libris transmiſſis gratias tibi amanter ago quam maximas, cui beneuolentiæ, quæ in aliis quoque rebus meis declarata eſt, vt in te tuosque paria facere poſſim, pro virili annitar, ac nullam non animi huius erga vos teſtificãdi occaſionem cupide amplectar. Iſti me tam iucunde affecerunt, vt non potuerim non, quamprimum eos accepi magna cum voluptate perlegere. In quibus vt cætera omnia mirifice me delectarunt, ſic vnicum iſtud maximopere turbauit, quod erat de obitu Caii Ranzouii, filii tui dilectiſſimi, mihique familiariter noti. Id ipſum primum iam comperi: Neque enim prius quicquam huiuſmodi ad me delatum fuit. Quare pie ac amice tibi condoleo, ipſi vero precor, vt magno illo iudicii die illuceſcente ad æternæ beatitudinis fruitionem a Deo ſuſcitetur. Cui ſi aliter viſum fuiſſet, vita iſti lon-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

gior omnibus votis optanda fuiſſet, ob ingentia commoda, quę ab ipſo in Patriam ac Rempublicam Chriſtianam proficiſci potuiſſent. Iam vero cum ſecus factum ſit, non dubito, quin tu pro pietate ac prudentia tua in eo placide conquieſcas, penes cuius arbitrium res iſta fuit. Ei quicquid videtur, optimum eſt, & e re noſtra maxime, quod noſmetipſi in oratione Dominica ſubinde fatemur.

Lepida iſta querela Viti Cans tui de amicorum perfidia riſum quidem in me conmouit: digna nihilominus eſſet, quæ ad complures Germaniæ noſtræ aulas tranſmitteretur: ob vitii iſtius frequentem, imo quotidianum iis in locis vſum. De literis noſtris ad vos deinceps mittendis quod mones, opera dabitur, vt per Francofurtenſem typographum curentur: cui vt ad inſtantes nundinas iſtud negotium committatur, efficiam. Libros recens his in locis impreſſos nullos iam habeo, præter Calendarium Capituli Argentoratenſis, de quo aliquot exemplaria transmitto. Si quid porro hac in parte, vt & nouitates, quas nactus fuero, non committam, id te vt fugiat. Si Deo placuerit ad menſem Maium te videbo. Intra quatuor enim ſeptimanas in Saxoniam mihi proficiſcendum erit, a quo itinere ad te quoque deflectam. Interea te Deo commendo. Dabantur Heſeputlingæ, Id. Mart. ſtylo antiquo, Anno M. D. XCII.

Reſponſio

Reſponſio Sereniſsimi ac Illuſtriſsimi Principis Dom. Ferdinandi Magni Hetruriæ Ducis, &c.

NOS DEI GRATIA,

FERDINANDVS DE MEDICES, MAGNVS DVX HETRVRIÆ, FLORENTIÆ, SENARVM, Piſarum, &c.

Salutem precamur,

ILLVSTRI DOMINO HENRICO Ranzouio, Sereniſſimi Danorum Regis in Ducatibus Vicario.

ILluſtris Domine, literæ, quas amoris plenas ad nos D. T. dedit, nobis fuerunt pergratæ. Et quoniam de eximia tua dignitare, virtute, & familæ ſplendore probe edocti ſumus, te tuamq; amicitiam magni æſtimamus. Quo nomine ſi quid beneuolentiæ a nobis hic terrarum in D. T. eiusque filios proficiſci poterit, pro lubitu ſuo a nobis id petere licet. In cuius propẽſi noſtri animi ſignum diuerſa aliquot marmoris genera ad te mitti iuſſimus, adeo vt D. T. liber ſit eorũ, quibus delectetur potiſſimum, delectus: quod & ſcriptione nobis aperiat. Qua in re vt deeſſe nolumus condecorandis maiorũ tuorum, de quibus ſcripſiſti, monumentis: ſic vbi viciſſim quid fuerit, quod ex veſtris oris huc mitti volumus, libere audacterque tibi ſignificabimus. Quod ad Genealogias Illuſtrium in Saxonia familiarum attinet, earum miſſu D. T. ſuperſedeat. Similiter de equo mãſuefacto & ad feras

ex inſidiis poſt illum traiiciendas compoſito, ſuperuacuum iudicamus, vt ad nos mittatur, cum id genus equos, quemadmodum & homines artis iſtius iaculatoriæ peritos, nos iamdudum ipſi alamus. Cæterum ſi pileum iſtum e pretioſis pellibus exoticis, cuius D. T. meminit, nec non equum gradarium, quem noſtri Æchinetam appellitant, ad nos deſtinaueris, gratiſſimum nobis feceris. Quæ dona vt magni pendemus, teſtes nimirum amoris erga nos tui; ſic beneuolentia noſtra, quam denuo offerimus, te viciſſim proſequemur. Deum rogamus, vt te florentem diu conſeruet. Florentia, 17. Quintilis, Anno M. D. XCII.

D. T.

propenſus

Magnus Dux Tuſciæ
ſubſcripſit.

Subiungere placuit aliam eiuſdem ſereniſſ. Dom. Ferdinandi Magni Hetruriæ ducis epiſtolam, quæ etſi non ad Dominum Henricum Ranzouium; de ipſo tamen admodum honorifice ad Reuerendum Dn. Georgium Brunium, Decanum Colonienſem ſcripta eſt. Cuius lectionem non ingratam Lectori fore confido.

Nos

NOS DEI GRATIA:

FERDINANDVS DE MEDICES, MAGNVS HETRVRIÆ,

Florentiæ, Piſarum, Senarum, &c. Dux,

SALVTEM PRECAMVR:

ADMODVM PRÆCLARO AC Reuerendo Domino, Georgio Brunio, *Decano ad S. Mariam Colonienſi.*

ADmodum præclare ac reuerende Domine magnum nobis T. D. exhibuit beneuolentiæ officium, deſtinatis ad nos Domini Henrici Ranzouii literis, cuius virtutem, cum ſplendore generis ac dignitatum coniunctam, ac multorum hominum variis ex locis ad nos collata voce prædicatam, magni æſtimamus. Vnde amori erga nos ipſi⁹ haud impares futuri, operam dabimus, vt ipſius Dominorumque filiorum eius honori ac commodis nunquam deſimus. Interea D.T. hunc noſtrum animum ipſi aperiat, ſimulq; adiunctum literarum noſtrarum faſciculum, quem ad ipſum deſtinauimus, ipſi tráſmittat. Cumq; intellexerimus ipſum ad nos miſſurũ pileum ex pellibus exoticis miris & magni pretii, ac vna equum gradarium inſigniter bonum, D. T. ad ipſum ſcribat, vt in tranſmittendo vtroque opera vtatur procuratoris noſtri Hamburgenſis, ornatiſſ. Domini Ximenii, qui ſalua nobis omnia curabit. Nos vero huic Domini Henrici Ranzouii amori amanter reſpõdebimus: nec minus omni beneuolẽtia ac fauore D. T. proſequemur. Quam Deus incolumem diu ſeruet. Florentia VII. Quint. Anno M.D.XCII.

D. T.

propenſus

Magnus Dux Tuſciæ.

SERENISSIMO AC ILLVSTRISSIMO PRINcipi ac Domino, D. Ferdinando Medices, S. P.

SEreniſſime ac Illuſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime: Sereniſſimæ Celſitudinis veſtræ literas cum diuerſis marmoris generibus, ea, qua decet, obſeruantia accepi. Ac primum ſereniſſimæ Celſitudini veſtræ ſubmiſſe gratias ago quam maximas, pro ſummo iſto eiuſdem in me meosq;, quem literis ſuis clementiſſimis teſtatum fecit, fauore, dum tenuia iſta munuſcula, quæ demiſſe obtuli, ſibi haud ingrata fore clementer ſcribit. Itaq; ſereniſſimæ Celſitudinis veſtræ procuratori clariſſimo ac ornatiſſimo Domino Ximenio, prout ea volebat, equos duos gradarios, alterum candidum, alterum ſubruffum cum pileo ac pellibus, inuolucro quodam tectis, nec non effigiem Regis mei ſereniſſimi, hiſce literis duplici incluſam exemplo tradidi, hac indubitata fiducia, ſereniſſimæ Celſitudini veſtræ ipſum omnia ſalua ac integra curaturum. Et quamuis phaleris præſtantibes inſignes equos libentiſſime dediſſem, viſum tamen fuit potius, tenui quodam inſtrato eos tegere, quod ornatiores trãſmittere itineris longinqui iniuria ac latronũ metu non erat tutum. Ad pelles quod attinet, etſi Zobelinas non æquant, præſtantia tamen durabiliores & tempeſtatum patientes ſunt, vt quæ pluuiarum vim ac damna non horreant. Cuius generis, ſi ſereniſſima Celſitudo veſtra plures deſiderauerit, ad me ſcribat, dabitur tunc a me reuerenter opera, vt ſereniſſimæ Celſitudini veſtræ probe curentur. Magnopere autem reuerenterq; peto, vt ſereniſſima Celſitudo veſtra vile hoc munuſculũ clementi ac beneuolo animo accipere,

accipere, ac me meosq; ſereniſſimæ Celſitudinis veſtræ obſeruantiſſimos ſua beneuolentia ac fauore deinceps quoq; proſequi dignetur. De cætero ſereniſſima Celſitudo veſtra non diffidat, quibuſcunq; in rebus hic terrarũ, nomine Celſitudinis veſtrę curandis, eidem, vt & procuratori eiuſdem Domino Ximenio, opera mea vſui eſſe poterit, ſtudium meum nunquam defuturum. Ac quia propediem miniſtrum quendam meum, in Italiam naui ablegabo, negotiorum quorundam meorũ cauſa; ſereniſſimæ Celſitudini veſtræ dolium ſimul cereuiſiæ Brunſuicenſis, quam Principes Germaniæ inprimis habent in delitiis, eaq; ad reſtinguendum ſitis ardorẽ vtuntur, per eundem tranſmittam. Is vbi Leouardiam, vrbem in ſereniſſimæ Celſitudinis veſtræ ditionibus ſitam appulerit, eidem ſubmiſſe ac obſeruanter curabit. Ad marmora quod attinet, cum ſereniſſima Celſitudo veſtra liberũ mihi delectum iſtorũ reliquerit, rubro, quod adiuncta ſpecies exhibet, impenſe præ cæteris delector: cuius generis ſi ſereniſſima Celſitudo veſtra, quod clementer mihi obtulit, tantum quantum ſibi viſum fuerit, ad condenda maiorum meorum monumenta, per naues Vandalicas tranſmitti ex illuſtri ſua munificentia curauerit, ſibi me meosque ingenti beneficio deuinciet. Quem gratum noſtrum animum vt ſereniſſimæ Celſitudini veſtræ ſubmiſſe probemus, nullo modo quicquam in nobis, quaſcunq; ad res indiguerit ſtudio noſtro, deſiderari patiemur. Quod vt ſereniſſima Celſitudo veſtra certiſſime ſibi perſuaſum habeat, tum me meosq; ea gratia, qua nos complexa eſt, proſequi vlterius pergat, omni animi ſubiectione rogo. Hiſce ſereniſſimam Celſitudinem veſtram Dei opt. max. tutelæ ex animo commendo. Segebergæ Auguſt. D. Anno Chriſti cIↃ. IↃ. xcII. Sereniſſimæ Celſitudinis veſtræ obſeruantiſſimus.

Henricus Ranzouius.

FERDINANDVS MEDICES MAGNVS DVX Hetruriæ, S.

HENRICO RANZOVIO Produci Cimbrico.

PErilluſtris Domine maximam ex eo percepimus voluptatem, quod intelligimus noſtras literas vna cum ſpeciebus marmorum, recte tibi traditas eſſe. Ac ſtatim, quando ſpeciem marmoris, qua præ cæteris impenſius delectaris, remiſeris, admodum libenter tibi gratificabimur; verum optaremus menſuram iuſtam marmoris, faciemus enim illud poliri, & hic accommodari ita, vt ad te veniant affabre & pulcre exornata. Et ſi aliud fuerit in noſtris regionibus, quod volueris, fac vt intelligam⁹, voluptati enim nobis fuerit, tuæ exſpectationi ſatisfacere. Sicubi forſan erunt nonnulla apud nos, quæ Regem tuum delectatura putabis, gratiſſimum nobis feceris, ſi nos de iis edoceas. Quãdo etiã hinc deſideraueris ſtatuas marmoreas, imagines aut res ſimiles ex marmore, ornatus gratia factas, ſcribas de eo ad me audacter & ſecure. Quando huc appulerit tuus miniſter, & ego intellexero; ſubito procurabo vt ſiet acceptus, neque opera & beneuolentia noſtra ipſi vlla in re deerit, vbi ipſum velle & opus habere animaduertero. Domin. Ferdinandus Ximenes agens meo nomine Hamburgi prædicauit mihi ſcriptis amorem, & fauorem itemque liberalitatem, quibus ipſum fuiſti proſecutus. Quæ omnia mihi fuerunt tuo nomine gratiſſima, & propter tuam virtutem & exiſtimationem, quam ego admodum diligo & magnifacio, Deum

orans

orans, vt te cõſeruet & fortunet. Dabantur Florentiæ III. Octob. Anno M. D. XCII.

SERENISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC Domino, Dn. Ferdinando Medices, magno Duci Hetruriæ, Principi meo clementiſſimo, S. D.

HENRICVS RANZOVIVS Produx Cimbricus.

SEreniſſime ac Illuſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime: quantum Sereniſſima Celſitudo veſtra literis ſuis, V. Non. Octobris ad me quam clementiſſime ſcriptis, me ſibi deuinxerit, cogitatione facilius aſſequor, quam ſcriptione vlla ſatis exprimam. Neque ſolummodo ſuam in transmittendo marmore beneuolentiam literis quoque prioribus abunde teſtatur, denuo mihi Clementiſſime pollicetur: verumetiam Sereniſſimo ac Potentiſſimo Regi meo ſuum in tranſmittendis iis, quæ Regia ipſius Maieſtas ex veſtris oris deſiderare poſſit, ſtudium benigne offert. Quod non ſolum Regiæ ipſius Maieſtati Sereniſſimæ Celſitudinis veſtræ nomine, quam primum per literas decenter aperiam, ſed etiam (ſi DEO vitam proroganti viſum fuerit) ſub futuram æſtatem, quando commodo nauigationis tempore, in aulam Regiam mihi proficiſcendum fuerit, coram pluribus exponam. Nec dubito fore, vt Regia eius Maieſtas hanc Sereniſſimę Celſitudinis veſtræ beneuolentiam grato animo cognoſcat, tum pari fauo-

re ac ſtudio eandem proſequatur. Cæterum quod Sereniſſima Celſitudo veſtra iubet, vt luculenter & expreſſe ſcribam, qua menſura, quo modo marmora cupiam, equidem primum Sereniſſimæ Celſitudinis veſtræ ea, qua debeo ac poſſum obſeruantia gratias maximas habeo atque ago, pro hoc inſigni ſuo erga me fauore. Ac licet contentus omnino fuiſſem, ſi Sereniſſima Celſitudo veſtra tantum marmoris eaque forma miſiſſet, quantum quoque modo ſibi benigne libuiſſet. Tamen ne Sereniſſimæ Celſitudinis veſtræ munificentiam aſpernari videar (quod longe a me abſit) ſubmiſſe eidem, quod volet exponam. Peto itaque primum diſtinctas tres marmoreas ſtatuas, quarum vna Chriſti in cruce pendentis; altera Diuæ Mariæ Deiparæ, tertia ſancti Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ imagines repręſentet. Singulis quoque his velim inciſa eſſe Sereniſſimæ Celſitudinis veſtrę inſignia ad perpetuam donantis memoriam. Has ſacras imagines aræ templi, quod exſtruo in arce mea auita Ranzou, quam de nouo funditus ædificandam ſuſcepi, impoſitas, & ſacris vſibus deſtinatas volo.

Deinde ſeptem peto alias ſtatuas, quibus Planetarum icones ac ſigna cœleſtia ſingulis Planetis ſubiecta, quas Sereniſſimæ Celſitudinis veſtræ eiusque virtutis ac liberalitatis præcones indefeſſos ac æternos intra Bibliothecam meam Bredenbergenſem ſtatuere decreui. Denique peto quinq; tabulas marmoreas, ſingulas quinos pedes Geometricos longas, ternos latas ex verſicolore marmore perpolitas, quibus ego monumentorum auitorũ inſcriptiones hic, vbi accepero, incidendas curabo. Hæc ſunt, quæ expreſſe ac nominatim, quandoquidem Sereniſſima Celſitudo veſtra ſic iubebat, ſcribere volui, quæ vt Sereniſſ. Celſitudi. veſtra, per naues noſtrates huc tranſmitti clementer mandet, tum quoque meæ

in ex-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

in exprimendis hiſce omnibus audaciæ, pro ſingulari ſua in me gratia benigne ignoſcat, quanta poſſum animi ſubiectione peto. Viciſſim Sereniſſimæ Celſitudini veſtræ omnia mea meorumque officia, ſtudia ac obſequia, ſubmiſſe ac libenter offero. Quibus vt Sereniſſima Celſitudo veſtra ſuo quaſi iure libere vtatur ad res quaſcunque, ad quas his in oris ſibi vſui eſſe poſſe intellexerit, ſumma animi obſeruantia peto. Hiſce Sereniſſimam Celſitudinem veſtram diuinæ tutelæ commendo. Ex arce Regia Segebergæ, Non. IXbris, Anno Chriſti clɔ. Iɔ. xcii.

FERDINANDVS MEDICES MAGNVS DVX HETRVRIÆ, S.

HENRICO RANZOVIO Produci Cimbrico.

PErilluſtris Domine rem admodum gratam nobis feciſti, quod mentem tuam in parandis marmoribus & imaginibus, quas hinc deſideras, nobis aperuiſti. Ac ſtatim mandauimus, primum Chriſti crucifixi, beatiſſimæ Mariæ ſemper virginis & B. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ imagines ſculpi ac parari; iuſſimus etiam expoliri tabulas illas quinque marmoreas pro incidendis literis ſecundum menſuram, quam præſcripſiſti, & curabimus, vt hæc omnia, quã primum fieri poterit, abſoluantur, & ad finem perducantur. Cæterum, quantum ad ſtatuas ſeptem Planetarum & ſignorum cœleſtium attinet, poſtulant ea multum temporis, & vel propterea non facile iam fieri illæ poterunt, quod artifices & ſtatuarii multos imperfectos labores habent ſub manibus. Nihilomi-

nus certo tibi velim perſuadeas, me ſummopere deſiderare tibi gratificari in omnibus, & ex animo precor tibi omnem felicitatem. Dabam Sienæ VI. Iunii, Anno Chriſti cIↄ. Iↄ. XCIII.

FERDINANDVS MEDICES MAGNVS DVX HETRVriæ, S.

HENRICO RANZOVIO Produci Cimbrico.

ADmodum Illuſtris Domine, quod non prius ad literas tuas obſeruantiæ & amoris erga nos tui plenas reſpondimus, in cauſa fuit tardior aliquanto, atque opinabamur, Secretarii tui ad nos ex vrbe Roma reditus. Is non ſolum ſingulari diligentia & dexteritate mandata ipſi a te commiſſa nobis expoſuit, ſed etiam omni ſtudio ſe hinc expedire, quam primum fieri potuit, & ad conſueta & tibi debita officia redire contendit. Piſces & aliæ res, quas nobis tradidit, fuerunt nobis gratiſſimæ, & propter bonam illorum qualitatem, & quia mittebantur a te, quem ſingulari fauore proſequimur & veneramur. Cereuiſiam interiiſſe doleo, & propterea ſi eiuſdem generis alteram mitteres, faceres nobis rem gratiſſimam, quam recompenſare ſtudebimus in omnibus rebus, quas ex commodo & voluntate tua fore intelligemus.

Præmiſimus aliquas res, quas ſperamus ſaluas & illæſas

illæſas ad te perueniſſe, quod ſcire percuperem. Expecto etiam reſponſum tuum ſuper marmore & ſtatuis, quæ hinc deſideras, ſecundum omnes circũſtantias & menſuras, vt ea omnia ad placitum & voluntatem tuam fieri ab artificibus poſſint. Et ſpero quod Secretarius tuus pauca illa referet, vnde non obſcure potuit cognoſcere noſtrum erga te propenſum animum, & ad nulla non beneuolẽtiæ officia promtum & paratum. Deus Opt. Max. tibi concedat omnem proſperitatem. Datæ Sienæ 29. Maii, anno M. D. XCIII.

SERENISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. Ferdinando de Medices, Magno Duci Hetruriæ, Florentiæ, Senarum, Piſarum, &c. Domino meo clementiſſimo.

SEreniſſime ac Illuſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime: literas Sereniſſimæ Celſitudinis veſtrę XI. Februarii apud Ligures datas Haffnię primario regni Daniæ oppido, vbi tum tẽporis inclyti Regis mei literis euocatus commorabar, ea qua par eſt reuerentia, accepi, cum paulo ante exhibitor harum Capitaneus Simon Rol Dantiſcanus rector nauis D. Georgii, in Helſignor, celebrem Daniæ portum, appuliſſet, ex quibus ſane literis integram Sereniſſ. Celſit. V. ſanitatem perlubens cognoui: deinde Sereniſſ. Celſit. V. ad me tranſmittere duas menſas marmoreas, nec nõ duas capſulas, quarum vna itidem marmore, altera vero terra ſigillata referta fuit, quinquaginta itẽ lagenas, diuerſi generis vinis Italicis pretioſis plenas: in quarum etiam fine hæc fuit adiecta petitio, vt

huiuſmodi munera boni cōſulam: quæ omnia dictus Capitaneus in oppidulo Helſignor integra abſque omni vitio præſentari mihi curauit, ita vt eadem per alium nautam Lubecam nauigio recte deportari, indeq; in domicilia mea commode trāsferri potuerint. Ex qua re inſignem ſereniſſ. Celſ. V. erga me beneuolentiam agnoſco, pro qua maximas, ea qua decet ſubmiſſione, ago gratias. Sedulo etiam operam dabo, vt erga Celſit. V. gratum meum animum viciſſim declarem. Imprimis autem gaudeo, quod hoc potiſſimum tempore hæc munera ex tam remotis Italiæ oris per tam difficilem longamq; nauigationem ſalua ad me peruenerint, cum in his comitiis regiis Dominis ac amicis meis adeſſem, indeq; nonnihil de terra ſigillata iis communicare poſſem, prout etiam illud marmor, ꝙ Secretarius meus Caſparus Faber tranſmiſit ex Italia, ante paucos dies Hamburgū illæſum eſt deportatum. Econtra intermittere non poſſum, quin de infelicitate mea nonnihil conquerar, ꝙ nauium altera, cui nonnulla munuſcula ad Celſ. V. alioſq; Dominos & amicos meos in Italia, perferenda commiſerā, ſubmerſa fuerit. Quod autem tum minime ſucceſſit, in poſterum auxiliante Deo melius compenſabitur. Interim iterum atq; iterum maiorē in modū Celſ. V. pro hac regia plane liberalitate ſubmiſſe gratias ago, quam ſi reipſa referre potero, nihil in me deſiderari patiar. Quod ſi etiam certior factus fuero, Celſ. V. gradarium adhuc alium expetere, per D. Ximeniū procurabo tranſmitti, & quidem prioribus præſtantiorem. Hiſce ſereniſs. Celſ. V. officiorum meorū promtitudinem defero, eamq; Deo Opt. Max. diu ſaluā ac incolumem tutandam commendo. Datæ Haffniæ x. Iunii, Anno &c. M. D. XCIII.

Sereniſſ. Celſit. veſtræ

obſeruantiſſimus

Henricus Ranzouius.

FERDI-

FERDINANDVS MEDICES MAGNVS DVX HETRVRIÆ S.

HENRICO RANZOVIO Produci Cimbrico,

PErilluſtris Domine; Binas tuas literas VI. & VII. Iulii menſis proxime elapſi accepimus, & ex iis libenter admodum intelleximus, quod paucæ illæ res quas miſimus ſaluæ & illæſæ ad vos appulerunt. Ac denuo mandaui, vt maturentur ſtatuæ & imagines, quas a nobis petiiſti, & quamprimũ fieri poterit, ad finem perducantur, vt eas mittere poſſimus cum prima occaſione. Quando viciſsim in veſtris locis aliquid fuerit ex noſtro vſu, ſcribam ad te de eo confidentiſſime. Verum ad equũ, quem mihi offers, quod attinet, non eſt, quod propterea ſis ſollicitus. Habemus enim id genus equorum his in locis abundantiam. Agimus tamen interim tibi gratias de tua promta voluntate & affectione, cui reſpondebimus ſemper omni oblata occaſione. Et precamur Deum, vt te conſeruet & quæcunque volueris tribuat.

Data Florentiæ XII. Septembris, anno Chriſti M. D. XCIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

AD PRINCIPEM ALIQVEM MAGNI NOMINIS IN Italia.

HENRICVS RANZOVIVS.

REuerendiſſime atque Illuſtriſſime Princeps, Domine Clementiſſime, fateor equidem & ſine pudore diffiteri non poſſem, beneuolentiam & humanitatem tuam, qua miniſtrum meum Caſparum Fabricium Romę in ędibus tuis amplexus, imo complexus fuiſti, eſſe dignam gratiarum actione non tam ſera ſed potius recompenſatione aliqua ſubita & beneuolentia & humanitate tua non indigna. Quemadmodum autem, vt inquit Cicero, haud ſera gratulatio; ita etiam, meo quidem iudicio nec ſera gratiarum actio iure reprehendi poteſt, præſertim quando adſunt cauſæ ineuitabiles & honeſtæ ac iuſtę, quarum aliquam a me ſpero in medium adduci poſſe, ea ſpe & ea ipſa tua humanitate fretus, me propterea facile apud T. Celſitudinem iri excuſatum. Moræ autẽ huius cauſa fuerunt itinera mea continua & negotia publica, vbi præſertim, Regi noſtro Iuueni, magnæ exſpectationis principi, cum ipſi in comitiis Fleuſburgenſibus, Calendis Septembribus celebratis a ſubditis horum ducatuũ, hæreditario iure ad ſe pertinentium, vnanimi voce & votis homagium præſtaretur, me adeſſe, actuiq, iſti non ſolum intereſſe, ſed etiam ratione officii mei præeſſe, & directorem agere oportuit. Finitis autem iis comitiis & quando iterum hic ad conſuetas ædes veni, mearum partium duxi has ad Celſitud. T. dare literas, officioſe & reuerenter

rentter

rentere petens,vt moram hanc cauſis allegatis aſcribere & acquieſcere mihi clementer velit. Nolo autem hic facere verba de Curia Romana eiuſque magnificentia ampliſſima,quantum ſupradictus miniſter meus ea prædicarit, verū ſolummodo de iis, quæ ipſi a Celſ.Tua,tuis & domi tuæ contigerunt: vbi nō ſatis dici,nec ſine ſuſpicione aſſentationis aliqua,quā dum vixi euitare ſtudui, proferri poteſt,quantopere mihi ſingularem & in tanto viro raram & admirandā humanitatem,imo non humanitatem, ſed familiaritatem tuam prædicarit. Non enim ſolum te inſigni beneuolētia ſe amplexum,ſed brachiis tuis complexū eſſe,humaniter inuitaſſe,familiariter tractaſſe,ſellam ſibi ad latus tuum auguſtum poni curaſſe,tandem donis etiam illuſtribus, nominatim vero quatuor præſtantioribus vinorū generibus,nempe Græco, Muſcatello, Sarello & lacryma, farciminibus duodecim Neapolitanis, zingibere,pipere & ſaccharo conditis, capſula demum conditorum aurantiorum pomis referta donatum, honorifice dimiſiſſe dicit, tanta quidem laude & tantis encomiis,quantis maioribus non poſſet. In miniſtrorum tuorum porro in ipſum profectis ſeruitiis commemorandis,quanquam etiam ea gratiarum actionem mereantur, nolo eſſe prolixior. Quibus verbis pro iis omnibus agam gratias,cum nō reperiam,ſuperſedere iis,quam non aſſequi ea malo. Quomodo enim magnitudinem iſtorum aſſequerer? Cum ſint profecta a viro ſummæ & maxime auctoritatis & exiſtimationis. Itaque etiam quanto muneris & officiorum auctor maior,tanto etiā maiori recompenſatione dignior. Verum rependere cum non poſſim,erit tuæ humanitatis verboſa gratiarum actione acquieſcere. Hoc vnicum mihi in votis eſt, videre aliquando illum diem & occaſionem,qua T.Celſitud. vel tuis iterum gratificari liceat: experieris,ſi nō rem ipſam,animum tamen gratum, quo gratiorem expe-

rieris nullum. Interim vero mitto libellum aliquem, in quo nihil continetur, niſi quod Chriſtianæ fidei ſit conſentaneum. Mitto vero ad te, quod cum iudicio legere omnia poſſis. De reſurrectione mortuorum potiſſimum in Epiſtolis iſtis conſolatoriis agitur, de quo articulo ſententiam meam ſyncere expoſui, & ſacræ Scripturæ teſtimoniis comprobaui. Lege igitur quæſo, & ſi per occupationes fieri poterit, perlege: Inuenies ibi fortaſſe non ſine commotione, commiſeratione, etiam voluptate, Regum & Principum erga me gratiam & fauorem, amicorum & aliorum clariſſimorum virorum ſtudia, parentum ſtorgas, affectus & dolores, & horum omnium conſolationes non vulgares, ſed ingenioſas & ex intimis animi, cordis ac naturæ viſceribus profectas, quibus ſpero & ſcio conſideratis, commiſeratione & voluptate haud mediocri afficieris. Huic libello, quemadmodum etiam Calendario ei annexo, vt locum concedas in illuſtri bibliotheca tua, & me beneuolentia tua conſueta complectaris, ea qua decet, animi ſubiectione peto. Si quid officii aut beneficii his in oris in Celſitud. T. a me conferri poterit, nunquam deero. Deum Opt. Max. rogans, vt Celſitud. T. cum tota familia illuſtri temporalibus & æternis benedictionibus cumulet & augeat. Dabam ex arce Regia Segeberga Cimbrorum, Calendis Octobr. Anno Chriſti M.D.XCIII.

***

NOBI-

NOBILITATE, VIRTVTE AC DIGNITATE ILLVSTRISSIMO Domino, Dn. Henrico Ranzouio Regis Daniæ Vicario,

NICOLAVS GHIBERTVS Lotharingius, Doctor Medicus perpetuam optat felicitatem.

QVod pro mea ſumma & ſingulari erga te obſeruantia diu, multumque in optatis habui (clariſſime Ranzoui) vt tibi viro omnibus naturæ ac fortunæ dotibus ornatiſſimo aliqua ratione innoteſcerem & tuam demererer gratiã, idipſum, vt mihi iam prorſus ſpondeam, & quodammodo iamiam conſequutus ſim, lætor incredibiliter: facit enim nominis & generis tui ſplendor atque magnitudo, virtutumque tuarum clariſſima fama, vt te longiſſimo etiam interuallo diſiunctum, mihique de facie ignotum mirifice colerem & obſeruarem. Verum cum ad beneuolentiam mihi patefaciẽdam opportunum tempus & occaſionem exſpecto; ecce tibi forte fortuna accidit, vt D. Gaſpar familiaris & intimus tuus, Romam petens, huc ad nos appelleret, qui eriſipelate vexatus, vt eum curarem, me his in locis, fatis ſic volentibus medicinam factitantem, cum conueniſſet, ipſumq; inter loquendum ex tuis eſſe familiaribus agnoſcerem, illico amplector hominem, meas deduco in ædes, curandi rationem præſcribo; deniq; id præſto, quod queo & debeo. Dumque hæc agerentur, multa ſuper rebus a Ranzouio præclare geſtis, multa ſuper libris rogito, ſuper ipſo Ranzouio multa: qui vt eſt dignitatis tuæ obſeruantiſſimus atque indefeſſus laudum tuarum

prædicator (in qua re neminem illi anteponi, paucos vero conferri iudico) eximio quodam candore animi iis te encomiis celebrare cœpit; & de tuis laudibꝰ tam multa etiam ex libris præſentibus depromere, vt ego, qui iam probe ſcirem innumera de tuis laudibꝰ veriſſime dici, & toto orbe, omniumque Doctorum ſermone ac prædicatione celebrari, in eam facile deuenirem ſententiam, te, vt fortunæ, ſic etiam virtutis ornamentis, rerumque peritia reliquis omnibus tuis æqualibus, qui ſunt, qui fuerunt, & qui futuri ſunt, longiſſime præſtare. Velim ne me putes hæc commemorare, vt adulatione quadam viam mihi ad beneuolentiam parare voluiſſe videar: nam, quibus mea natura ſatis cognita eſt, ſciunt me blandiri neſcire, & me neſcire vehementer gaudere: dico autem id, quod res eſt, & quod minime poſſit negari veritati, quodq; vel iniquiſſimis confiteri eſt neceſſe, neminem vnquam tot vel naturæ vel fortunæ vel doctrinæ præſidiis inſtructum, ad id dignitatis faſtigium, in quo es collocatus, paratiorem acceſſiſſe. Itaque cum tecum comparari poſſit nemo, non mirum eſt cernere in te ora, omniumque præſtantium virorum oculos in te conuerſos. Quod proculdubio debetur prudentiæ tuæ, qui parum putaueris te ſublimi loco, clariſq; parentibus ſatum eſſe, niſi etiam paternæ, auitæque nobilitatis antiquiſſimæ pariter ac Illuſtriſſimæ Ranzouiorum familiæ ſtemmata, vniuerſo heroicarum, maximarumque virtutum ambitu clauderentur: ratus id quod res eſt; nempe non tam locum & genus, quam propriam virtutem hominem decorare debere. Sed quoniam laudum tuarũ præconia per ſe notiora ſunt, quam vt mea oratione indigeant, & maiora, quam vt verbis conſequi valeam; propterea iis omiſſis, veniã ad id, cuius cauſa hanc ad te ſcribere decreui epiſtolã. Ego autem a D. Caſpare præcone tuo accepi, te opuſculum de conſeruanda valetudine iam toties paſſim impreſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

impreſſum, rurſus per interualla reſumſiſſe, multis
partibus auxiſſe ac locupletaſſe: hunc tam lepidum
libellum ne longius ſupprimere cēſeas, ſed in lucem
eum, quam primum ad publicam vtilitatem prodire
ſinas, te etiam atque etiam rogo. Caue enim timeas,
vir ampliſſime, iudicium ac cenſuram cuiuſquam do-
ctorum hominum: nam ſi illud opus crudius & im-
perfectius & prima tui fœtura ingenii in lucem quō-
dam prodiens maxima in gratia fuit, prout fuit, ac et-
iam nunc eſt apud omnes doctos, cum propter ſum-
mam eruditionem, quam continet, tum propter tex-
turam delectabilem & variam lectionem, in qua cen-
ſes futurum hoc recoctum, magis expolitū, & omni-
bus ſuis numeris abſolutum: velim id ne parui ducas,
vir omnium fortunatiſſime, nec ad laudem ac exiſti-
mationem tuam parum facere contendas vniuerſo
præſtantiſſimorum virorum præſertim medicorum,
cœtui placuiſſe: cum hæc me hercle ſi non inter præ-
cipuas, ſaltem nec inter infimas reponenda ſit. Quod
ſi hoc a te, vt ſpero, impetrauero pro tanto in rempu-
blicam literariam collato beneficio aliquid etiam pu-
blicum rependam: vt qui iam tibi viro & nobilitate
& multiplici virtute ſplendidiſſimo, dignitate orna-
tiſſimo, ego, contra obſcurus & inglorius, partum
ex pluribus vnum (quæ domi iam perfecta & elabo-
rata habeo) iam delegi, quod dicare conſtitui, vt &
pronæ propenſæq; voluntatis in te meæ aliquod ſpe-
cimen exſtet, & vt tanta nominis tui claritas obſcuri-
tati meæ aliquid lucis adferat. Ceterum mitto ad te,
vir ornatiſſime, præter thecam atramentariam auro
depictam & tuis titulis inſignitam, vaſcula quædam
ex materia metallica in formam vitri vi ignis conuer-
ſa, quæ gemmas, topatios, ſmaragdos, ſaphiros co-
lore repræſentant, ingenio & induſtria mea, vt non
pauca alia eiuſdem generis, iam pridem conflata. So-
leo autem ſuccidiui temporis aliquid, ex ſtudiis & aſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ſiduis ægrotorum curis ereptum,in huiuſmodi ſtudia & inuenta conferre,quibus a puero fui deditus, & in naturæ & artis operibus admirandis conſumere , & ſic conſolari procellas temporum & turbulẽtiſſimos noſtri ſeculi fluctus,patriæque ac propinquorum calamitates,lamentabilem Ghibertorum honeſtam familiam ; Quæ cum noſtro etiam ſeculo viros habuerit & armis & toga, & non contemnendis fortunę & ingenii facultatibus clariſſimos, qui virtutis ſuæ præclara ſemina prodiderint, tamen (quæ eſt omniũ rerum viciſſitudo & fortunæ inconſtantia) in præſentia fluctibus iactatur iniquis & ex tam amplo ſtatu adeo concidit, vt in paucis,iiſque fere iam proſtratis , tota Ghibertina domus recumbat,e quorum numero me non poſtremum fortuna eſſe voluit;Qui haud ita dudum acerba ſæuientis fortunæ ludibria expertus , in multas ærumnas incidi,per ſummam iniuriam & ſcelus, non tam eorum,qui palam mihi fuerunt aduerſarii,quam nefariorum & improborum quorundam hominum ex viperarum progenie , qui curias ſimulant & Bacchanalia viuunt, quibus cum meam ſalutẽ cariſſimam eſſe arbitrabar,iis inimiciſſimis, crudeliſſimiſque vſus ſum:vt qui omni ſuo ſcelere & perfidia ad exitium meum abuterentur,rem familiarem frangerent,diſſiparent & diriperent,& (quod eſt maximũ & miſerrimum mearum miſeriarũ) me pulcerrimis, cariſſimis,iucundiſſimiſq; rebus in Muſæolo & Theſauruliolo reconditis ſpoliarent , pluribuſque voluminibus & propriis ſcriptis priuarent,quo ex naufragio,reliquiæ,quæ adhuc ſuperſunt, vt redintegrẽtur, & ad vmbilicum ducantur,totus nunc incumbo. Sed vt vnde digreſſus eo redeam & verbigerare deſinam, munuſculum hoc leuidenſe & ſplendore Ranzouiano forte indignum , ingenio vero tuo peregrino fortaſſe non ingratum,rogo vt acceptum habeas , meq; innata tibi humanitate ac beneuolentia complectaris.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ris. Deum Opt.Max.aſſiduis precibus obſecro,vt te virum fortunatiſſimum nobis diu incolumem ſeruet, ac tandem peracto hoc vitæ curriculo rebusque omnibus præclare ac feliciter geſtis, certum tribuat ac definitum in cœlo locum,vbi tuorum meritorum mercedem recipias ſempiternam. Ex ciuitate Vetula,prid.Cal.Iun. Anno Chriſti M. D. XCIII.

HENRICO RANZOVIO REGIS DANIÆ IN DVCATIBVS Sleſuigæ,Holſatiæ ac Dithmarſ.Vicario, &c. Scipio Admiratus Sacerdos, & trium magnorum Hetruriæ Ducum ab Hiſtoria,

S. P. D.

CVM ad me veniſſet Gaſpar Fabritius familiaris tuus a ſecretis,vir bonus & prudens, & vt coniicere potui, dignus familiaritate tua,mirificum & inſperatum mihi gaudium attulit. Ipſe enim, Heros ampliſſime,& de virtute tua,de arte militari,de prudentia,liberalitate, in rebus gerendis induſtria, & apud Sereniſſimos Reges tuos Daniæ gratia, adeo me penitus certiorem reddidit,vt pene ſi tecum eſſem,ante oculos cuncta animi & corporis tui bona haberem; Cum demum genealogiam illuſtriſſimæ familiæ tuę, quæ apud Beliſarium Vintam Sereniſſimi Principis mei Magni Ducis a ſecretis exſtat, mihi monſtraret, & ego arborem olim a me depictam videre potui,& id quod non modo ignorabam,ſed nec ſomniare po-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

teram, eam eſſe inciſam, & nomine meo inſcriptam cognoui, partim admiratus ſum; nihil enim ad me de hac re ſcripſit Canonicus Coloniæ, poſteaquam illam ad eum miſi, partim incredibili voluptate affectus ſum, quod quantulacunque fuiſſet, opera mea, excellentiæ tuæ non diſplicuiſſet, & propterea quod ab homine tam inſigni, quã tu es, cognoſci, & in partes a nobis remotas, veluti Dania eſt, iam totius quaſi orbis domina, nomen meum extendere, magnum laborum meorum pretium puto, exiſtimaui mea referre, vt tu de ingenii noſtri fructibus parua aliquot munera caperes, quapropter mitto tibi nonnullas Regum & Principum genealogias, quas ſi celebri bibliotheca tua dignas iudicaueris, incumbam, Deo concedente, vt habeas etiam illam de Regibus Daniæ, quam a me pridie abſolutam, cum ex relatione Gaſparis Fabricii tui imperfectam cognouiſſem, ad denuo reſarciendam animum applicaui, & emendatam ad excellentiam tuam mittendam, curabo, vt nomine meo Chriſtiano IIII. prǫclariſſimo Daniǫ Regi, magnæ exſpectationis Principi, impertire digneris; Faxit omnipotens Deus, vt per multos annos venerabilis ſenectus, & canities tua prolatetur, poſteaquam præclaris geſtis, & operibus ſemper incumbendo ſicut decet Principem virum, vt diu viuas ad multorum commoda pertinere, a multis proculdubio dignoſcitur. Florentiæ, Feria quarta Pentecoſtes, anno M. D. XCIII.

GENE-

GENEROSO DOMINO HENRICO RANZOVIO, BREDENbergę Domino, Sereniſſimi Danię Regis in Ducatibus Vicario, S. D.

PHILIPPVS A FRAXINIS.

ILluſtris ac generoſiſſime Domine: Cum primum literas Celſitudinis tuæ 24. Februarii & 1. Aprilis Segebergæ datas accepi, ad illuſtrem Comitē Schonbergium ſcripſi, vt quibuſcunque rationibus poſſet, latrones cædis nefariæ illuſtris tui filii reos perquireret, & perquiſitos in carcerem coniici & aſſeruari curaret, donec Celſitudinis tuæ literas, probationes, & petitiones ad eum mitterem, vt cauſa pleniſſime cognita, iuſtis tandem, nimiſque dilatis ſuppliciis afficerentur. Sed cum nullum adhuc reſponſum acceperim, quid hac in re actum fuerit, affirmare non poſſum. Hoc tantum Celſitudo tua ſibi perſuadere velit, me officiis, quę a me exſpectat, non defuturum, nihilque intermiſſurum, quo Celſitudo tua cognoſcat, me iuſtiſſimo dolore tuo grauiter, vt par eſt, affici, nihilque magis cupere, quam vt Gallia noſtra tanto piaculo expietur. Vale Illuſtris & Generoſiſſime Domine. Francofurto 18. Iulii, Anno Chriſti M. D. XCII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

HENRICO RANZOVIO, PRODVCI CIMBRICO S. D.

GEORGIVS BRAVN, Ecclesiæ Colonienſis ad B. Mariam Decanus.

ILluſtris Nobilis, & Generoſe Domine, Dom. obſeruantiſſime, gaudeo, Magnificæ Dominationi veſtræ gratũ, in hiſtorica Quinti Theatri materia, nos modo verſari. Multo vero magis exſulto, eandem vrbium quarundam icones, ſumtuoſo inſtituto noſtro promittere. Quid vero de Marſtallero veſtro, de quo non tantum Magnificæ Dominat. veſtræ literæ, ſed & elegantiſſima poemata, vberrimos elegantiſſimi ingenii fructus nobis promiſerunt. In eius gratiam Bardum Pomeraniæ per noſtros ſculptores expreſſimus, cuius aliquot exempla vobis iam exhibita, & ad optimum virum tranſmiſſa exiſtimamus. Literis eum noſtris ad hiſtoricum & topographicum inſtitutum excolendum iam pridem excitaſſem, niſi hoc in ſe officium Magn. D. veſtra nuper recepiſſet. Optarem vero omnes Pomeraniæ vrbes, nunquam hactenus editas, hoc tomo inſeri, cui vniuerſalem Pomeraniæ chartam præfigerem, prout in Danicis ciuitatibus a nobis obſeruatum. Bene ac feliciter vale, vir omnium præſtantiſſime, & Marſtallerum quæſo ad Hiſtoricum inſtitutum noſtrum promouendum, excita. Ex Muſæolo noſtro Colonienſ. M. D. XCIII. Iulii XIX.

HENRI-

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO, S. D.

GEORGIVS BRAVN, Ec-

cleſiæ Colon. ad Grad. B. Mariæ Decanus.

ILluſtris, Nobilis & Generoſe Domine, Dom. Colendiſs. a ſolito ſcriptionis officio iam aliquot ſeptimanas abſtinui, quia poſt multas diuerſaſque literas, nouitates, picturas, nihil reſponſi acceperim, ita, vt pertinax ſilentium veſtrum, & mihi ſilentium indixiſſe exiſtimauerim; donec tandem biduo, triplex literarum faſciſculus præſentatus, ab hac me opinione amouerit. Poſt exhibitionem tuarum decem & quatuor dies ob hunc ſolum finem, a reſpondendo quieui, vt reſcribens, non verba, ſed res, quod tua poſtulabat dignitas, redderem. Itaq; Holſaticam veſtrã Plonam, accurate delineatam hic mitto, cuius iconẽ, vt vides, ſtudium, conatus, & ſumtus, celeberrimo nomini tuo defero, cuius aliam & decentiorem, & auguſtiorem in hiſtorica deſcriptione, mentionem facio. Cur autem vacuus in picturæ angulo locus exſiſtat, a me annotatum videbis; Nunc in Ottonii delineatione verſor, cuius iconem ſuo tempore mittam. Etſi autem ciuitates veſtræ nonnullæ pagorum potius, quam magnificarum vrbium formam repræſentent, & proinde pictores noſtri, ad earundem delineationem ægre adduci queant; tamen, pro mea, erga nominis tui ſplendorem & Danicum Regnum veſtrum obſeruantia, hoc mihi curæ erit, vt, diuerſa loca veſtra, Quinto Theatro noſtro inſerantur, quod

tunc propenſius faciam, ſi ad tam plauſibile, gentiq; veſtræ laudabile inſtitutum, aliquam ſumtuum partẽ vel Illuſtrem Dom. veſtram, vel Daniam ſuppeditaturam, cognouero.

Marſtalleri reſponſum iudiciumq; plurimi facio, interim, antequam Illuſtriſſimorũ Principum ac Dominorum ſuorum conſenſum, de ſuis delineandis vrbibus conſequatur, Bardi ſaltem hiſtoriam communicet, cum lamina & delineatio iſta iam ſit perfecta. Deum Opt. Max. oro, vt nos omnes, valentes, & in vtroque homine florentes conſeruet. Ex Muſæolo noſtro VI. Septembris, anno orbis redemti M. D. XCIII.

Mitto etiam primariæ Wirtenbergenſis Ducatus ciuitatis Iconem, cuius Dux magnam correſpondentiam promiſit, & nõ minimam ſumtuum partem, ſed interea ingratiſſima nobis morte præpeditus fuit.

POST SCRIPTAS.

Ex vltimis literis ad me Roma ſcriptis. De Generoſi D. Ranzouii Miniſtri aduentu aliquid quamprimum cognoſcere cupio, & ſpero Ranzouio Imagines 51. Imperatorum & Regum iamdudũ vna cum ciſtis duobus vaſculis figulinis albis refertis recte traditas eſſe, quibus ipſum in recompenſationem tritici ante biennium mihi miſſi, donaui. Admodum opportune enim in iſta annonæ caritate triticum illud mihi mittebatur: quod ſi parata pecunia ſoluere debuiſſem, coactus fuiſſem expendere vltra centum coronatos.

***

EPI-

Epistola Martini Marstalleri Pomeraniæ Dvcis Conſiliarii,

ad

HENRICVM RANZOVIVM.

ILluſtris & Magnifice vir, Mæcenas colende: præter officium eſſe fateor, quod gemino munere & binis literis denuo prouocatus tam ſero reſpondeo. Sed quia mea non eſt ea culpa, ſed temporis, cui ſeruire omnes imi ſummi cogimur, æquiore me te vſurum non diffido. Hactenus enim tot negotiis tum Princeps, ſine cuius præſidio non recte egero, quod ago, tum ipſe etiam diſtrahimur, vt pro voluntate tua & noſtra reſpondere non potuerim. Puto autem ad duo potiſſimum diſerte mihi reſpondendum fuiſſe, quorum vtrumque in rationem publicæ vtilitatis cedit. Primum eſt ex his, quod primis literis monuiſti, de colligendis per Pomeraniam inſcriptionibus monumentorum, aliisq; id generis dignis memoria longiore, aut ſi mauis æterna. Ea in re operam meam hac lege tibi offero, ſi Pomeraniæ Principes Domini mei clementiſſimi, vt negotium hoc promoueant, perficere poſſint, datis videlicet literis ad Magiſtratus cuiusque loci, quibus hoc negotii illis detur, vt per Sacellanum, aut ſi quem alium doctiorem is locus habeat, deſcribi curent, omnia, quæ quidem momenti ſint alicuius, & ſine ſannis a politis hominibus legi poſſint. Vt autem in patriæ honorem effectum id dent, precibus ſubmiſſis cõtendam ab omnibus Po-

meraniæ Ducibus ſub medium Septembris hic Bardi conuenturis, vt Illuſtriſſimi Principis ac Domini, D. Sigiſmundi Auguſti, Megapolenſium Ducis ducentis Claram Mariam filiam mei Principis, nuptias ornent.

Alterum, quod artium, vrbium & oppidorum Pomeraniæ, nobiliſſimi & magnifici viri Georgii Brunii opera nunquam ſatis laudata illi Theatro vrbium inſerendorum Hypotypoſin attinet, prius quoque expediri non poteſt, quam iidem laudatiſſimi Principes conuenerint. Quia enim laus, quæ inde reditura eſt, ad omnes pertinet; ad omnes quoque pertinet facere eius rei cauſa, quod faciendum eſt. Aget vero meus Princeps hac occaſione cum Dominis fratribus ea de re diligentiſſime, nec dubito perfecturum quod vult. Interim ipſe non ceſſabo neceſſaria conquirere, & ea de re etiam accuratius ad Magnificum Dom. Brunium ſcribere, cuius facilitas Illuſtriſſimo Principi gratiſſima accidit, quod ipſe propediem datis ad illum literis teſtabitur. Tibi vero idem optimus Princeps nunc pro hoc officio, quod apud Brunium negotium hoc promouiſti, agit gratias, & pollicetur gratiam, quam & præſtabit, ſi quid vſus feret. Porro clementer contendit & hoc, vt officio priori addas & hoc, vt ciſtas, quas ante annum Lubeca Itzehoam per tuos deportari benigne curaſti, eaſdem nunc Itzehoa Lubecam reportari vt cures, & quidem tam mature, vt nauta hic noſtras adferre illas ſecum poſſit. Sunt ciſtæ eæ in ædibus Vorſtii præpoſiti Itzehoenſis, cui inſcriptæ literæ his additæ. Pro hoc officio optimus princeps ſimile officii genus in ditione ſua tibi tuisq; pollicetur. Ego quoq; ſi qua in re opus fuerit, fidem & diligentiam in curandis rebus tuis eam tibi probabo, quam benigna tua in me voluntas meretur. Interim gratias ago maximas pro libellis tuis politiſſimis, quorum lectione crebro me oblecto, gaudio gauiſus, quod borealibus his noſtris nō deeſſe video

Ptolomæus,

Ptolomæos, Cæſares, Mæcenates, & ſi qui ſimiles fuerunt alii. Quod reſtat commendo te protectioni diuinæ, quæ te vel vltra Mathuſalæos annos incolumem & felicem præſtet, vt quod pauci poſſunt, partim multi volunt, vnus ꝓſis multis quamdiutiſſime. Raptim Bardi 18. Iulii, Anno M. D. XCIII.

EPISTOLA HENRICI RANZOVII, AD MARTINVM MARSTALlerum, Conſiliarium Ducis Pomeraniæ.

CVm magnifice vir, vterque noſtrum iam longo temporis interuallo officio ſcribendi ſuperſederit, diuturnum hoc ſilentium hiſce meis literis interrumpendum eſſe duxi. Scribendi autem argumentum præbuerunt mihi literæ tuæ ſuperiores, 18. Iulii Bardi datę; quibus promittis, te Illuſtriſſimum Pomeraniæ Ducem Philippum obſecraturũ, vt in conuentu nuptiali ſub medium Septembris Bardi inſtituto, cum Dominis fratribus agat, quo iuſſu ipſorum non ſolum monumentorum per Pomeraniam inſcriptiones colligantur, ſed etiam in vſum Theatri R. D. Decani, Georgii Brunii, præcipuæ Pomeraniæ vrbes & oppida delinientur; & cum is conuentus iamdudum ſit habitus, non dubito, quin hoc negotium ſumma diligentia perfeceris. Proinde etiam atq; etiam peto, vt huiuſmodi inſcriptiones, quas ego Holſaticis addi, ac cum cęteris monumentis ſepulcralibus Germanię ædi curabo, quorum ęditionem eam ob cauſam hactenus differendam eſſe cenſui, vrbiumque delineationes primo quoque tempore ad me tranſmittas,

quo per mercatores eas ad Reuer. Georgium Brunium meis ſumtibus deferri curem. Si vero Illuſtriſſimus Princeps hoc tranſmittendi negotium ſuſcipere vellet, citius Coloniam ad eum peruenirent; vtque me de his certiorem reddas peto, quo Brunium moneam, ne s. Theatri vrbium Orb. terrarũ editionem acceleret, antequam has delineationes ſit nactus. Nihil iam reſtat, niſi vt te Deo immortali commendem. Vale. Datæ in arce mea Ranzouia x v. Nouemb. Anno XCIII.

PHILIPPVS DEI GRATIA POMERANORVM DVX AD HENRICVM RANZOVIVM PRODVcem Cimbricum.

HENRICE RANZOVI, VIR ſtrenue & dilecte.

Literas tuas 28. Februarii datas x i i. Aprilis accepimus, adiuncto tractatu Aſtrologico, & Epiſtolarum libro. Pro quo gratiam promitto, quam & præſtabo oblata occaſione. Hamellmanni vero libellus, cuius mentionem facis, redditus nobis non eſt. His vero contendo a te, vt patris Ioannis, & gentilis Danielis Ranzouiorum, nec non tua imagine coloribus ad viuum depicta Muſeum meum ornare velis. Quod ſtudium conquirendi fortiſſimorum virorum imagines, etſi non ita pridem a nobis eſt inſtitutum, tamen in iis colligendis, mediocrẽ fortunam expertus ſum, quippe confectis aliquot Regum & Principum genuinis imaginibus. In iis eſt, cuius exemplum nullum hactenus vidi, Ioannis Baſilidis Moſcouiæ inſignis illius

illius tyranni effigies, a pictore illius Luca Damo ad viuum depicta. Quia vero mihi perſuaſi, te in hac re mihi gratificaturum, pluribus non ſcribo, nec rogo pluribus. Valeto igitur, & quicquid hoc eſt, ab tui & tui ſimilium amore profectum puta. Magnitudinem tabellæ in charta delineatã his literis incluſi. Iterum vale. Raptim Bardi Pomer. 28. Iulii, Anno cIↄ. Iↄ. XCIII.

Philippus Dux Pomeranorum manu ſua ſcripſit & ſubſcripſit.

PHILIPPVS DEI GRATIA POMERANORVM DVX.

AD HENRICVM RANZOVIVM, *Producem Cimbricum.*

ANnus iam pene eſt ſecundus, quo primas ad te dedimus, ſingulari tua erga nos obſeruantia moti. Ab eo tempore, quo minus ſcripſerim impeditus ſum partim profectionibus & migrationibus: partim quod conſilium tui videndi, & ſuauiſſimos ſermones tuos in Bibliotheca tua percelebri audiẽdi cœperim. Sed & hoc morbus, qui dimidiũ fere annum me peſſime habuit, non paſſus eſt facere. Quia itaque DEI beneficio me ipſum recuperaui, & ſtudiis meis reſtitui: non potui facere, quin te his ad aſſiduitatem literarum reuocarem, & ſimul mitterem libellos aliquot in noſtra typographia excuſos. Hos in mei memoriam prioribus apponi curabis; & quanquam Bibliothecam tuam non multum augeant & ornent; tamen

propter me caros & acceptos habebis. Si quæ interim ex Muſarum ſcriniis, vel ex fortiſſimo potius tuo ingenio depromſiſti, eorum particeps fieri cupio. Non ſcribam enim, niſi de literis, quas commodiſſimum argumentum eſſe arbitror, quod inter nos ſcribendo tractari debeat. Iis tu non minus debes quã diuitiis, quas tibi fortuna, vel potius Deus omnipotens ſuppeditat. Alias tamen aueo ſtatum tuum cognoſcere, ſiquidem triſtiſſimus nuntius nos terruit, te latronum inſidiis pene in vitæ periculum adductum fuiſſe, de quo certi aliquid a te exſpecto, vt pro ſalute tua ſoteria Deo omnipotenti perſoluere poſſim. Parens clementiſſimus tibi ſalutẽ & gratiam ſuam annuntiari iuſſit. Hiſce vale, & certo ſtatue te nobis carum eſſe. Datæ Bardi Pomeraniæ 1. die Februarii, Anno cIↃ. IↃ. XCIII.

Philippus Dei gratia Dux, Pomeranorum manu ſua ſcripſit, & ſubſcripſit.

HENRICVS RANZOVIVS AD ILLVSTRISSIMVM POmeraniæ Ducem Philippum.

ILluſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime, literæ Illuſtriſſimæ tuæ Celſit. ex quibus inſignis beneuolentiæ tuæ erga me elucet ſignificatio, fuerunt mihi gratiſſimæ, breuiter autẽ iis hoc modo reſpondeo. Imagines Selimi Turcarũ Imperatoris nec non patris ac gentilis mei Danielis Ranzouii, vna cũ mea ad magnitudinem præſcriptam depictas tranſmitto, daboque operam, vt Caroli Magni ac Friderici Barbaroſſæ imagines breui ſubſequantur, & viciſſim ea qua par eſt ſubmiſſione peto, vt Celſit. tua imagines patris ac aui piæ memoriæ, vna cum tui ipſius & reliquorum

quorum fratrum clementer remittat. Scripſeram etiam non ita pridem ad Celſitudinem tuam præſtantium quorundam Imperatorum Regum ac Heroum imagines, quorum nomina Catalogus his literis ſubiectus exhibet, ex Italia ab amicis in ornamentum Bibliothecæ mihi communicatas eſſe, quarum Celſitu. tua participem reddere vellem, ſed nullum accepi reſponſum. Si itaque Celſitud. tua eas expetit, & pictori mercedis loco pro ſingulis ad viuum depingendis coloribusque natiuis exornandis tres thaleros diſſoluere volet, paciſcar cum eo, vt hunc laborem ſuſcipiat: ſi vero Celſitudo tua ipſamet, pictorem huc mittere volet, cibum eidem ſubminiſtrari curabo. Quid iam huius fieri velit Celſitudo tua Illuſtriſſ. per literas mihi quam primum ſignificabit. Cæterum cum iamdudum ad Martinum Marſtallerum de colligendis per Pomeraniam inſcriptionibus monumentorum, & præcipue ſepulcralium, nec non de Pomeraniæ vrbibus, & oppidis depingendis perſcripſerim, ea qua decet obſeruantia peto, vt Celſitudo tua Illuſtriſ. hoc negotium clementer promouere dignetur. Hoc enim præterquam quod in patriæ laudẽ redundabit, etiam poſteritati accidet gratiſſimum. Si Illuſtriſſ. Celſitud. T. viciſſim in hiſce oris quapiam in re ſubmiſſe gratificari potero, experietur, ea me quocunq; tempore promtiſſimum, quam hiſce in clientelam Dei Opt. Max. commendo. Datæ ex arce mea Ranzouia 16. Nouemb. Anno, &c. XCIII.

Illuſtr. T. Celſ.

Studioſiſſ.

Henricus Ranzouius.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

NOMINA IMPERATORVM REGVM AC HEROVM

quorum imagines ex Italia mihi ſunt tranſmiſſæ.

XIII. *Turcarum Imperatores.*
Proſper Columna.
Saladinus Sultanus Æpypti.
Ferdinandus Magaliones.
Carmagnola.
Alexander Dux Florentiæ.
Fridericus Barbaroſſa Imperator.
Tumumbeius Vicinus.
Attila.
Totila.
Dauid Abiſſinorum Rex.
Carolus Magnus Imperator.
Carolus VIII. *Galliæ Rex.*
Franciſcus I. *Galliæ Rex.*
Carolus IX. *Rex Galliæ.*
Guiſiæ Dux, qui globo interfectus.
Baſilius Moſouius.
Caſtrucius Caſtrucanis.
Antonius de Leua Dux Caroli V.
Magnus Chambeius.
Henricus III. *Galliæ Rex.*
Philippus Hiſpaniæ Rex.
Iſopus.
Petrus Nauarra inuentor cuniculorum.
Vguccio.
Licanus

Campſon.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Campſon.
Ludouicus Rex Vngariæ.
Andreas Auria ſiue Doria.
Ladislaus Rex Neapolitanus.
Ioannes de Auſtria Caroli filius.
Alphonſus Rex Neapolitanus.
Ferdinandus Cordes.
Caſtriotes Scanderbegus.
Galeacius Dux Mediolani.
Gaſton de Turs.
Dux Albanus Hiſpanus.
Franciſcus Mediolani Dux.
Verginius Vrſinus.
Coſmus Medices Dux Hetruriæ.
Franciſcus Medices Dux Hetruriæ.
Ferdinandus Medices Magnus Dux Hetruriæ.

QVI SEQVVNTVR REGES Daniæ ego depingi curaui.

Chriſtiernus I. *Comes Oldenburgenſis Rex Daniæ, Sueciæ, Noruegiæ ac Dux Schleſuicenſis & Holſatiæ electus, Anno Chriſti* 1447.
Iohannes eius filius & heres regnorum ac Ducatuum.
Chriſtiernus II. *ſocer Caroli* V. *qui in captiuitate obiit.*
Fridericus I. *Chriſtierni* I. *filius electus poſt electum Chriſtiernum.*
Chriſtianus III. *& Fridericus* II. *cum Chriſtiano* IIII.
Adolphus & Iohannes fratres Duces Holſatiæ Friderici primi Danorum Regis filii.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO Philippo Pomeranorum Duci, S. D.

HENRICVS RANZOVIVS Produx Cimbricus.

ILluſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime, obſequiis meis promtiſſime delatis non poſſum differre diutius promiſſum, quo me Celſitati tuæ obſtrinxi. Effigies itaque, quas mitto Caroli Magni, & Friderici Barbaroſſę Impp. oblata quondam familiaris mei, nunc ciuis Bartenſis facultate, accipiet Celſi. T. clementer; & intuitu illarum defuncta ſeuerioribus meditationibus, ſe recreabit. Coniunxi librum, de quatuor nouiſſimis inſcriptum, & meis excuſum ſumtibus. Propter eius hominis, cuius modo memini, feſtinationem compingendum tradere non fuit integrum. Lectio libri teſtabitur argumenti tractationiſque dignitatem atq; ordinem. Celſitatem tuam incolumem tueatur propitius Deus, & inſtruat dotibus cumulatiſſime, Principem vere exornantibus.

Data in Traiectu Angliæ Sleſuicenſis, quem populari lingua Meſſunt appellant, xv. Nouemb. Anno XCIII.

HENRI-

HENRICVS RANZOVIVS FERDINANDO XIMENIO IL-luſtriſſimi Principis Florentini apud Hamburgenſes agenti, &c.

NObilis ac Magnifice vir, etſi te literis meis ſuperioribus Segebergam ad me euocaram, vt equos traderem, quos Illuſtriſſimo Principi Florentino D. Ferdinando de Medices Magno Duci Hetrurię, &c. dono deſtinaui: tamen latere te nolim, me conſilium illud mutaſſe neque iam opus eſſe, te iter huc inſtituere. Illuſtriſſima enim Duciſſa Brunſuicenſis, Sereniſſimi Regis Daniæ Friderici II. piiſſimæ memoriæ filia hiſce diebus huc veniet, ac hinc Lubecam, inde vero Hamburgum ſe recipiet, quam ex mandato Regiæ Maieſtatis meo comitatu eo deducere cogor. Proinde ſimul ac Hamburgũ ingreſſus fuero, omnes ex ordine equos, ac gradarios meos in conſpectum tuum deduci mandabo, vt duos ex iis deligas, quos omnium exſiſtere præſtantiſſimos, ac Illuſtriſſimo Principi Florentino gratiſſimos fore ſperes, quod vt itinere prædicto cõmode ſuperſedere queas, ſcire te volui, teque longum valere iubeo. Datæ Segebergæ. 1. Octob. Anno cIↃ. IↃ. XCIII.

MARGARETA DEI GRATIA, PRINCIPISSA ARENBERgenſis, Comitiſſa de Marck, Domina in Barbanſon, Sibenberg, S. P. D.

Henrico Ranzouio Produci Cimbrico.

Literæ tuæ, Nobilis ac magnifice Domine, amice plurimum dilecte, 8. Iduum Octobris datæ, heri ad nos recte delatæ ſunt, quarum perioche perlecta te primognito noſtro filio binos equos gradarios Danicos, alterum abs teipſo, alterum ab ornatiſſimo viro Henrico Hoiero donatum tranſmittere, ſingulari cum voluptate cognouimus. Quocirca tibi, & prædicto Hoiero, filii noſtri nomine, par, quam primum ſeſe obtulerit occaſio, relaturæ, gratias quam maximas agimus. Et quamuis nihil præoptaremus, quam vt pro tempore in Hiſpanico equo remittendo, cariſſimus filius noſter poſtulatis tuis inſeruire poſſet: tamen quo minus id fieri poſſit, vt voluntati tuæ ſatisfaciat, impedit abſentia illius, qui iam aliquandiu circa Veſaliam, & Berkam in Regis Hiſpaniarum caſtris verſatur, vbi maxima equorum optimatum pars amiſſa, & non ita pridem ſex Hiſpanici cum aliis nonnullis ab hoſte erepti fuere. Præterea ob quotidianas, easque perpetuas turbas, ac rapinas, iſtiuſmodi equi vix, ac ne vix quidem tuto caſtris educi queunt. Quia vero filius noſter Coloniæ tres equos Friſicos habet, vt audio quam excellentiſſimos, ablegato tuo vnum eligendi optionem dedimus, quos, vt ad te perferendos curet, etiam atque etiam obſecrauimus. Tu vero Nobilis ac Magnifice Domine hilari hunc equum fronte ſuſcipies, & non tam ex munere ipſo, quam ex donantis animo metieris,

metieris, ea certa fiducia, vt quam primum filius noſter e caſtris equis Hiſpanicis aliquanto inſtructior Bruxellas appulerit, equum quendam Hiſpanicum, non ex infimis ad te tranſmiſſum iri. Similiter, vt gradarii equi quam primum ad ipſum perferantur, operam dabimus. Et ſi qua tibi viciſſim gratificandi ſeſe obtulerit occaſio, ſcito, nos noſtro equo haud quaquam defuturas. Verum nihil nobis auditu fuit acerbius, quam fructuum terreſtrium apud vos tantam eſſe caritatem, quos vili emtos iri arbitrabamur. Sed proh dolor generalem annonæ caritatem præ foribus eſſe, non ſine graui luctu experimur. Deus ille magnus hæc in melius conuertat, & quod ad animæ noſtræ ſalutem ſpectat, quam clementiſſime relargiri nobis dignetur. Ad nos quod attinet, tanta annonæ caritate exſiſtente frumenti emtione, nunc te ſuperſedere, eamque intermittere volumus. Nuptiis vero, quas noſti, certum tempus necdum præſtitutum eſt, aut ante cariſſimi filii aduentum definiri poteſt. Filio vero noſtro natu iuniori legati belli maximi munia obeunti in caſtris ad Berkam aliquādiu, commorandum erit. Qualis vero præſens rerum noſtrarum, præſertim autem filiorum ſtatus ſit, ex præcedentibus literis noſtris 11. Calendarum Nouembris datis (quas tibi redditas ſpes eſt) cognouiſſe te arbitramur. Interim noui quod ſcribamus, memoratu dignum nihil accidit. Deus optimus maximus te cum filio noſtro cariſſimo Gerhardo Ranzouio, (quem plurima a nobis ſalute imperties) incolumem quam diutiſſime conſeruet. Datæ NeWerburgi, 18. Calendarum Nouemb. Anno Chriſti cIↃ.IↃ.XCIII.

ADMODVM ILLVSTRI ET ERVDITISSIMO DOMIno Henrico Ranzouio Produci Cimbrico, S. D.

IOHANNES POLITVS.

ADmodum Illuſtris & eruditiſſime Domine, auſpicatis huius anni Calendis Celſ. veſtræ immemorem eſſe nefas exiſtimo, quæ Dei beneficio quintum nunc a climacterico feliciter ſuperat, eiq; Neſtoreos annos, ex animi penetralibus exoptãs Xenion tranſmitto, chartaceum quidem illud, ſed quod Regum gazis ſi fortuna ſineret, ſupplendum exiſtimarem. Sereniſſimus Elector noſter a Parmenſis morte, Bonna Bruxellas ſeſe contulit, vt cum Mansfeldio Interrege de promiſſa Bergæ & Noueſii reſtitutione ageret, vereor ne hactenus fruſtra. Galliæ vnio ad Regis noui electionem ſpectare videtur. Hodie apud Illuſtriſſimum N. N. pranſusſum, qui Celſ. veſtrę quam optime deditus eſt, de qua & optime quoq; & magnificentiſſime plane ſentit, vti & omnes iudicio & eruditione præditi viri. Bene vale Cimbrię lumen & ſtudiorum Mecœnas vnice, Coloniæ Agrippinæ 2. huius anni M. D. XCII.

INCLYTO HEROI HENRICO RANZOVIO, FELICEM ET AVSPICATVM ANNVM PRECATVR.

IOANNES POLITVS.

Cur mea Muſa tuum ſilet, o vir magne decorem,
Num quia ſub nimio pondere victa iacet?

Qui

Qui Medicem ſophiamq; colis: cui docta Minerua,
Et Græco & Latio contulit ore loqui:
Qui probitate Numam ſuperas, virtute Catonem,
Viue ſenis Pylii ſecula: viue vale.

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO, S. D.

IOANNES NIEBVR Conſul Hamburgenſis.

GEneroſe & Nobiliſſime Domine, amice honorande, non ſine grauiore animi perturbatione, & literas tuas accurate ſcriptas, & Hiſtoriam vitæ & actionum tuarum pręclare & honeſtiſſime geſtarum teſtem, aliaque ἀξιόλογα continentem legi, quod inter alia præmaturum Generoſi filii tui Friderici, in ipſo ætatis flore, & laudabili bellicarum exercitationum curſu, relicto ſimul patriæ, nobiliſſimæ familiæ & bonis omnibus peracerbo ſui deſiderio oppreſſi, obitum comprehendebant; in quo ſane ſicuti hæc, quam aduerſa fortuna inclytorum, & nunquam ſatis laudatorum principum, atque cariſſimę ſobolis continuatis, proh dolor, immaturis funebribus tibi inflixit, acerbior plaga me grauiter affecit, ſic viciſſim tui aduerſus huiuſmodi fatales caſus fortiter inſurgentis animi conſtantia hoc præſtat, vt ego, quem conſolandi partes ſtudioſi officii ratio deſumere iubet, Illuſtri tuo, & ad omnem poſteritatem memorabili exemplo edoctus, fortunæ in rebus humanis ſæpius tragice ludentis Imperium deſpicere diſcam. Tua ſiquidem Magnificentia vti ſapientem, & in hoc Theatro

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

exercitatiſſimũ Athletam decet, ex præteritis præſentia colligens,& futura proſpiciens non ad aliorum ſimilitudinem, ſed ad exactæ rationis normam ita vitam inſtituat, vt ad illa, quæ temporis longinquitas aliis leuiora ſolet facere ferendo, animum tuum iam antequam euenerit præparaueris. Accedit deinde & hoc ſummi moderatoris benignioribus auſpiciis collatum bonum, quod pauciſſimi tui ordinis viri tecum habent commune, nimirum quod generoſam ſobolem tuam, ita veris virtutum ſtudiis a teneris erudiri, optimisque & humaniſſimis moribus expoliri curaueris, vt omnes pariter ex eadem quaſi humanitatis tuæ forma conflati exſpectationi tuæ, & bonorum omnium abunde reſpondeant. Hinc videmus illos Regum ac Principum conſiliis adhiberi, atque ita adoleſcentibus iterum magis magisque virtutibus incaleſcere, vt omnium cordatorum conſtantibus Elogiis præſtantiſſimis parentibus digniſſima ſoboles cenſeatur. Taceo de nobiliſſimis filiabus, quæ in præſtantiſſimorum nobilitatis Holſatiæ virorum toris conſpiciuntur. Cum itaque ea ſit humanarum rerum conditio, vt lætiora triſtioribus perpetuo tenore miſceri manifeſtum ſit, tuam generoſam magnificentiam æquum eſt, ſummæ huius felicitatis intuitu ea æquius melius ferre, quæ corrigere non poſſumus. Faxit Deus opt. max. vt diſcuſſis hiſce aduerſantis fortunæ nubeculis nos omnes te florentem & incolumem diutiſſime videre lætarique valeamus. Vale feliciſſime, meq; priſtina tua beneuolentia, & fauore deinceps fouere perge. Dabantur Hamburgi 13. Sept.

Anno 88.

SPECTA-

SPECTABILI AC GENEROSO D. HENR. RANZOVIO Produci Cimbrico S. D.

MATTHÆVS AB OTTHEN, Sereniſſimo & Reuerendiſſimo Principi D. Alberto Cardinali Auſtriaco, Proregi Portugalliæ, a Secretis.

SPectabilis ac Generoſe Domine, plurimum mihi ſemper obſeruāde, quas per Gaſparum Winterum literas mihi miſiſti, legi tam libenter, quam illæ amanter a te ſcriptæ ſunt, & ne in ſola amoris perfruitione mihi ipſe complaceam, & totus in illius æſtimatione immorer; volo non præterire, quanta voluptate me affecerit tuum de iis, qui ad exteras partes viſendas longi itineris peregrinationes ſuſcipiunt iudicium; de quo profers ſententiam tuam, quemadmodum de omnibus quam prudentiſſime? Et merito Gaſparum Winterum, quod Hiſpanias ſibi adeundas ſtatuiſſet, commendas, & fuit mihi tua commendatione acceptiſſimus. Vtinam me firmiori valetudine offendiſſet, quam abiens me reliquit; de quo eius erit narrare tibi, quantopere omni ſermone, qui nobis de te fuit, exhilaratus ſim. Cupiebam eum de aliqua honeſta occupatione hic accommodare; ſed diligenter omnibus cum eo pēſitatis cum nobis occaſio ad manum non eſſet, ſine qua quod cupimus vix ac ne vix quidem efficere poſſumus, & Rex Hiſpaniarum Madrilo (quod olim fuit Mantua Carpentariorum) per Caſtellam antiquiorem, quę ad Septentrionem iacet, ad Arragoniæ regnum (vbi ſuperioribus diebus ita

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

turbatis rebus, vt neceſſe fuerit exercitũ immittere, omnia feliciter & ex voto ad concordiam componũtur) iter faceret; nihil vidimus commodum, vt Wintero eo concedendum cenſeremus, aut ad legionem Germanorum, cui præeſt ſtipendiis Regiis Chriſtophorus Comes de Ladran, apud quem opinor me aliquid gratia valere, proficiſceretur Narbonam verſus, vbi modo militant. Eſt enim longum admodum iter & tædioſum ei, qui ſolus & ſine linguæ cognitione peregrinetur. Itaque cum & hic morandi facultas, quam optaremus, deeſſet, & alia nonnulla, de opera ſua in claſſe, quæ ad naues per mare nauigantibus infeſtas, inquirendum & vlciſcendum, modo ſoluit, collocanda, non ſatis congruere ipſius rationibus viderentur, communi conſilio in patriam redit, vbi vel in vicinia occaſiones optatiores illi nõ defuturas confidimus. De quo ipſe coram referet, quid ſpei illi fecerim. Doleo equidem me non potuiſſe homini mihi tam diligenter a te commendato plus hoc tempore preſtare. Nam mihi quidem omni tua commendatione dignus viſus eſt. Ego hac opportunitate vſus, tradidi ipſi capſulam, cum nonnullis rebus, quas ſatis properanter quod nauis diſceſſus vrgeret, modo conſarcinaui. Quæſo te Domine mi obſeruantiſſime, vt tam liberali fronte ſuſcipias exiguum munus, quam ego credidi confidenter mittere me potuiſſe, & ſi qua erunt alia exotica & peregrina (quibus te delectari Winterus mihi retulit) quæ ad manus meas venerint, vtar eadem mittendi confidentia. De miſſis ad me libellis, quibus Holſatiæ nobiles recenſentur, gauiſus ſum plurimum, & illud ſingulari alacritate vidi, familiam noſtram non fuiſſe prætermiſſam. Agoque tibi de adiuncto Elogio totoq; ipſo opere magnas gratias, & eas vt debeo, immortales. Breuitas temporis non patitur vt ad literas Tychonis Brahe modo poſſim reſpondere. Eius ingenium co-

lo &

lo & veneror & mecũ hic alii nonnulli, quibus illud cognitum feci, & Principis mei Mathematici duo, quorum alter eſt Doctor Theologiæ ſacræ, & inſigniter literatus, vehementer eius opera deſiderant, & ad eius obſeruationes propius quam ad nullius cuiuſquam alterius accedunt, nec magis quam horulæ ſpatio diſcrepare arbitror. De priuilegio, quod a Rege Hiſpaniarum, ita res habet. Ego non verſor in aula regia, a qua abſum centum fere milliaribus, neq; habeo modo ibi, cui diligentiam illam committam. Nam ſpatio duodecim annorum, quibus hic cum Principe meo moror, familiares aliquot, quibus id crederem vita exceſſerunt. Præterea in aula Regis nulli datur Priuilegiũ de imprimẽdo libro, niſi prototypum videant, quod Cenſoribus ad id conſtitutis legendum & examinãdum datur. Eſt & tertium, quod hic in tota Hiſpania multa Doctorum virorum opera non imprimantur, propter rerum omnium ad id neceſſariarum caritatem, immodica operarum pretia & intolerabiles ſumtus. Itaq; alio extra Hiſpaniã opera libroſq; ſuos imprimi curant, & nonnulla Exemplaria huc apportari: qua cauſa Tichonem Brahe omni metu & ſolicitudine libero, quare eius opera hic nunquam ſint imprimenda. Priuilegium tamen Regium non diſſuadeo, quin procuret, ſed illud ipſi procurandum eſt in Belgio, vbi latinis verbis concipi priuilegia ſolent, hic Hiſpanice emanãt. Hęc ipſi quęſo, vt meo nomine ſignificanda mandes, ad literas eius curabo alias reſponſum. modo enim infirma valetudine & dentium dolore affectus ex grauiſſimo catharro, qui me male habet, ægre admodũ has ſcribo, & ſatis feſtinãter, vt Tycho plus a me hoc tempore, quam ſalutationis hoc officium, & promtam ad omnia, quæ eius cauſa ego potero, voluntatem. Vale obſeruantiſſime mi Domine, & Dominum Gerardum reliquoſq; liberos tuos opto bene & proſpere

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

valere,meq; eis officioſe commẽdo,neq; ex eis quen-quam(quando patris amicitia tam liberaliter fruor) pro ignoto habere debeo.Datæ Vlyſſiponæ IIIXX. menſis.Iulii Anno C. M. D. XCII.

Poſt ſcriptas

CONTINENTVR IN CAPSV-la ex ligno de aurato opere Indico.

Animalculum quadrupes teſtaceum ex Breſilia,quod ibi eſt in eſu.

Duo vaſcula ſtructa ex ebano ad puluerem bombardicum.

Duo item alia minora ad puluerem minutum incendiariorum,extrema ſunt deaurata.

Thecæ duæ ad ſpecilla altera ex ebore, in qua ſunt ſpecilla ex cryſtallo ſaxoſo, altera eſt ex ebano ex vitro cryſtallino.

Ordo ſphærularum ex maſſa odorata colore albo & nigro.

Ordo ſphærularum ex maſſa odorata colore albo & puniceo.

Multi alii ordines ſphærularum ex agatho.

IOANNES LAVTERBA-CHIVS P. C. RECTOR SCHO-læ Heilbrunnenſis,

HENRICO RANZOVIO,

Produci Cimbrico, S. P. D.

LIteras,generoſe ac nobilis vir 24.Februar. ad me datas, cũ adiunctis opuſculis de ſomniis ac threnodiis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

nodiis, de immatura filii cariſſimi CAII morte, cuius anima in Chriſto, cui commendauit moriens, ſuauiſſime quieſcit, ad nouiſſimum vſq; diem, & omnium piorum reſurrectionem, 5. Idus April. demum accepi: quæ vt fuerunt mihi gratiſſimæ, ita Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti ex animo, vt ſuo ſancto Spiritu tuæ G. N. clemens adeſſe in omnibus ærumnis velit, ſanctiſſimis conſolationibus oro. Cum vero Dei verbo abunde confirmata ſit, vt epiſtola Reſponſoria ad conſolationem reuerendi ſenis Dn. Dauidis Chytræi demõſtrat, viderer mihi noctuas Athenas, ſi quid præterea adderem extra tempus. Mitto ſaltem Epitaphia aliquot, quæ T. G. N. boni conſulat, & ſi non ſatisfacio, conatum æquo animo ferat. Adiunxi quædam de appellationibus mortis Epigr. & alia, vt quomodo appellet ſcriptura mortem, quaſi vno faſciculo comprehenderent, quæ non ingrata futura confido, ad excutiendum metum mortis, quæ in Chriſtũ credenti nihil incommodat. Quæ reſtant, alias adhuc addam. Sunt enim plures in Dei verbo comprehenſæ, quo ſine miſerrimi eſſemus omnium in terra: cui tamen credere, caro ſine ſpiritus gratia eſt languida. Meditor quoque alia quædam ex genealogia T. G. N. quæ ſuo tempore Deo vitam prorogante cognoſcet. Valere T. G. N. in Chriſto, cum familia vniuerſa in Neſtoreos annos precor. Heilbrunna ad Nicrum vrbe Imperiali, 4. Non. April. Anno Chriſti M. D. XCII. ipſo Aſcenſionis die.

HENRICVS RANZOVIVS PRODVX CIMBRICVS,

BENEDICTO AB ALFELD, Genero ſuo S. P. D.

QVæ de tuo tuæque vxoris, filiæ meæ cariſſimæ Oligardis, ſomniis mihi ſcribis, Nobiliſſime vir, Gener cariſſime, accepi. Nec quid aliud inde colligere poſſum, quam poſt tantum tamq; diuturnum languorem tuum, breui te ſanitati priſtinæ reſtitutũ iri. Cõiectus in iſtum es per quartanam febrim ante ſolſtitium brumale, quod iſte, vt & æquinoctium vernũ, quod nuper præteriit, quamuis magna tuarum viriũ cum iactura, ſuperauit. Per hæc tempora, ægrotantibus infeſta admodũ & inauſpicata, cum iſtos quartanæ inſultus viriliter ſuſtinueris, & paulatim nunc languor remittat: non dubito, quin ſecundum indicium ſomniorum iſtorum, ob vernam hanc mollioris cœli temperiem, breui temporis ſpatio priſtinum corporis robur ſis plene recuperaturus. Somnia enim nonnulla ordine diuino futurorum euentuum eſſe præſagia, ego cum plurimis aliis hominibus ſæpiſſime expertus ſum. Nec ita dudum eſt, quando intra teſtudinem quandam errare per ſomnum viſus ſum, e cuius labyrinthis non niſi multo labore tandẽ euadere potuerim. Cumque expergefactus de interpretatione cogitarem, protinus occurrebat, difficiles ſignificari, ac intricatas negotiorum turbas, quibus me iri implicitum: quod prius etiam talia ſomnia cum huiuſmodi euentu habuerim. Nec me omen fefellit. Scis enim quantæ nuper me exceperint oc-

cupationes, quantæ, præter omne meritum, turbæ. Hæc dum cogito, ſomnium Caii mei piæ mem. & filiæ Magdalenæ, denuo recordor, quæ tibi narranda duxi. Viſus eſt in ſomnii filius meus Caius, quarta ante piiſſimum a nobis ad ſupera illa regna abitũ nocte, a viro cõſpicuo, & humeris alato his verbis compellari: *Vigila, Cai, vigila, & te præpara.* Nam quarto abhinc die morieris. Hoc cum excitatus adſtantibus exponeret, addidit, indictum per ſomnum temporis terminum, certum vitæ ſuæ fore terminum: Quod & factum eſt magno noſtro cũ luctu, cuius ſenſum anniuerſaria hæc mortis ipſius dies, 20. nim. Aprilis, denuo mihi affert & renouat. Nec diſſimile huic ſomnium eadem iſta nocte habuit filia mea Magdalena, Geltingæ itidem ſomnians, ab homine quodam ignoti vultus, his ſe dictis ſalutari: *Quid triſtare ob ægrotum fratrem mulier, laterem lauas, morietur breui, & quidem quarto abhinc die certiſſime:* *Anno Chriſti 1591.*

Non poteris queſtu & lacrymis retinere tuum, ceu
Germanum poteram nec retinere meum:

Mortuus meus eſt, morietur tuus. Et poſtquam hæc dixiſſet, eum verſiculo ex 12. Æneid. Virgilii (cuius nomen antea ne quidem nominari filia mea audiuerat) recitato:

Quid nunc te tua, Turne, poteſt germana iuuare,

euanuiſſe. Vides, quæ ſit ſomniorum quorundam veritas, quibus ſine vllo dubio tuum quoq; ac tuæ vxoris annumero, teque bono animo eſſe iubeo, cui integra virium inſtauratio per viſa ſomniorum, quæ narraſti, a Deo promittitur. Atque (vt illud etiam addam) ex ſomniis non obſcuro argumento concludo, animam noſtram eſſe immortalem, dum videmus eã, quæ eſt radius de lumine cœleſti in nos transfuſus, corpore quieſcente a ſuis functionibus, quas interdiu dum vigilat, ſubit, nihilominus eſſe occupatã, & quidem multo impenſius, quam cum interdiu diſtrahi-

tur,& per ea,quæ animæ vix propria dici poſſunt, à ſuæ naturæ conuenientibus auocatur: & (vt vno verbo dicam) nunquam minus eſſe otioſam, quam cum eſt otioſa. Exſequitur enim nobiliſſima ſua munera, & admiratione digniſſima, planeq; ſtupenda efficit, ſi cum illis,quæ corporis adiumentis ſubleuātur,conferas, multaque præuidet & præſtat, quæ vigilante corpore præſtaret nunquam. Vnde, præter certiſſima alia ex ſacris literis petita κειμήλια, colligere poſſumus,eam,vt ex æterno ſemine condita eſt, & ad diuinitatem per nobiliſſimas haſce functiones ſuas, & futurarum rerum figuratam πρόγνωσιν, quam proxime accedit,ita nec interire poſſe vnquam. O maximum noſtrum in ærumnis, morbis, & ipſa denique morte ſolatium? Quod cum ſpe certiſſimæ reſurrectionis, ac beatitatis æternæ, poſt decurſum vitæ noſtræ ſpatium, tibi & mihi ex animo opto. Interim valetudinē tuam cura diligenter. Segebergæ, 9. Cal. Maii, Anno Chriſti M. D. XCIII.

Ad Lectorem.

MIraris forſan, amice Lector, nullas hic eſſe inſertas Epiſtolas in piiſſimum obitum Theodorici Ranzouii, ad Dominum Producem, Henricum Ranzouium patrem ſcriptas. Verum nulla id factum eſt culpa noſtra. Res in hunc modum ſe habet. Obitus Theodorici Ranzouii incidit in iſtud tēpus, quo Sereniſſimus ac Potētiſſimus Rex Daniæ Fridericus II. piæ memoriæ, nuptias celebrauit cū Illuſtriſſimi Ducis Megapolenſis Domini Vdalrici, filia Sophia. Ad eas cum vocatus eſſet Regius Produx, Henricus Ranzouius, ac per eius abſentiam filius Theodoricus Lubecæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

becæ mortuus, accidit, vt Cōſolatoriæ illæ literę, quæ tunc ad Dominum Producem ab amicis fuere miſſæ, non ſint diligenter aſſeruatæ, ſed omnes interierint. Ne tamen nulla hic fieret mentio mortui Theodorici Ranzouii, Epitaphia ipſi poſita ſubiicere placuit,

EPITAPHIVM THEODORICI RANZOVII, HENRICI filii, Canonici Lubecenſis, Anno Chriſti M. D. LXXII. 27. Iunii, Lubecæ mortui, idemq; in ſummo Templo ſepulti, ſplendido monumento marmoreo parietibus affixo cum ceteris Epitaphiis inciſum.

HENRICVS RANZOVIVS NOBILIS HOLSATVS, D. IOANNIS RANZOVII FILIVS, REGIS DANIÆ FRIDERICI II. VICES IN DVCATIBVS SLESVICENSI, &C. GERENS THEODORICO RANZOVIO SVMMÆ SPEI, OPTIMÆQVE ET GENEROSÆ INDOLIS, VIX DVM PVBESCENTI FILIO SVO DVLCISSIMO, PRÆPROPERA IMMATVRAQVE MORTE SIBI EREPTO; NEC NON NICOLAO RANZOVIO, EIVSQVE VXORI LVCIÆ, A QVIBVS HIC THEODORICVS EDVCATVS EST, IN MEMORIAM ET CERTAM FVTVRÆ RESVRRECTIONIS SPEM POSVIT.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

PATER AD TVMVLVM.

HÆc tibi, Nate, mei capias monumenta doloris,
　Et ſimul has lacrymas, ultima dona patris.
Qui clarum referens ſpecimen virtutis auitæ,
　Ranzouidum poteras condecorare genus.
Qui caræ matris requies, patriæq; ſenectæ
　Solamen quondam dulce futurus eras.
Sed, Theodore, iaces, & quæ mihi ſoluere, fili,
　Debueras merito, nunc tibi iuſta petis:
Et deſiderium patri mihi triſte relinquis,
　Quem ſacra debueras ad monumenta ſequi.
Bis ſena heu primus genialis pignora lecti
　Imminuis: Viuant turba relicta precor.
Vna tamen ſpes eſt, quod Chriſti morte reſurges,
　Non exſpectata qui modo morte cadis.
Ergo vale, fili; nos lux æterna piorum
　Suſcipiat, iungat, perpetuoq; regat.

ALIVD PATRIS.

VT iuſtus Deus eſt, ſic iuſte cuncta gubernat,
　Et fuit hac iuſto res ita viſa Deo.
Quem mihi filiolum dederat, mihi rurſus ademit:
　Cuius velle fuit, nunc quoq; nolle fuit.

FILIVS AD PATREM.

DEſine, care Pater, mea funera plangere fletu,
　Et lacrymas tandem comprime, care pater.
Nos modo præpropera diſiunctos morte, viciſſim
　Iunget in æthereo vita beata polo.

HENNIN-

HENNINGIVS CVNRADINVS AD THEODORICVM.

Qui Patris in claras potuiſti creſcere laudes,
Et meritum fratres inter habere decus:
Te Deus e mundi rapuit, Theodore, *tumultu,*
Dum tener, & vita ſimplice purus eras.
Ne mala, ne fraudes, faſtum luxumq; videres;
Sæpe quibus magni deperiere viri.
Non tu triſtitiam, non vllas pectore curas
Senſiſti, cœli dum petis aſtra puer.
Alta ſed æternam tibi ſufficit aula quietem.
Tu neq;, ſi poſſes, huc remeare velis.

DEFVNCTVS AD LECTOREM.

Tu quod es, ipſe fui; quid num ſim, cernere prõtum eſt;
Omne ſed id, quod ſum, tu quoq; Lector, eris.
Vixi, non viuo: imo Chriſti ſanguine viuo,
Dum fidi viuus ſaluificante fide.
Enthea pars cœlo ceſſit, pars oſſea terræ,
Ne qualis fueram, quære; futurus eram.
Si tamen inceſſit tibi tanta cupido ſciendi,
Dicam: ætate puer, mente ſagace ſenex.

Petrus Lindebergius.

HENRICVS RANZOVIVS VICARIVS REGIVS.

Quod decuit gnatum caro præſtare parenti:
Præſtitit hoc gnato, morte iubente, pater.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

DISTICHON CONTINENS ANNVM OBITVS.

HIC De RAnZoa TheoDorVs ſtirpe, LVbeCæ
ConteglIt oſſa LapIs, ſpIrItVs aſtra CoLIt.

Theodoricus { natus eſt Segeber. / obiit Lubecæ. } an. Ch. { 1561. / 1572. } die { 24. Maii. / 27. Iunii.

Annis ætatis ſuæ XI. Menſ. I. Diebus III. exactis.

PHILIPPVS DVX POMERANORVM, ETC.

HENRICO RANZOVIO
Produci Cimbrico,
S. D.

SIncere nobis dilecte, quod non ſolum tres illas icones, quas a te expetiuimus, benigne nobis communicaſti: ſed etiam vltro plures Muſæo noſtro promiſiſti: eo rem gratam acceptamque nobis præſtitiſti. Non parum enim id illuſtrat parens tuus, & gentilis, viri fortes: nec tuæ inſpectio imaginis iniucunda eſt. Doleo equidem, quod nec in Dania te videre, nec Guelpherbitii ſermonẽ tecum conferre licuit. Hunc igitur dolorem, quodãmodo imago tua lenit, ex qua virtutes, quæ in te ſunt eximiæ, elucere videntur. Nos cõtra curabimus, vt ducũ Pomeraniæ effigies, quamprimum earum copias nacti erimus, tibi tranſmittantur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

tur. Sed hoc ſcire te velim, imagines Principum ante
Bogiſlaum X. vt & eius ipſius (quod quidē mihi no-
tum ſit) haberi non poſſe; niſi fortaſſe ex ſepulcrali-
bus monumentis, quaſdam, ſed minus genuinas, quis
exprimere velit. Apud maiores enim noſtros imagi-
num vſus non fuit peruulgatus, quippe quibus maio-
ri curæ erat, vt recte agerent, quam vt paſſim innote-
ſcerent. Primus eorum mos fuit, ſi quis laudabile ali-
quod facinus ederet, de hoc cantilenam componere,
eamq; in conuiuiis ad inflammandam iuuentutē ad
virtutes, decantare. Pictores autem nō multos & hi-
ſtoricos paucos ipſos habuiſſe, inditio eſt, ꝙ cū multa
ſtrenue geſſerint, pauca literis, pauciora, imo nulla pi-
cturæ mandata ſint. Hoc neglectum autem pictura-
rum ſtudium, auus noſter paternus quodámodo re-
uocauit, quippe a cuius tempore imagines Principū
non ſolum haberi poſſunt, ſed qui etiam Aulæis ma-
xime ſtuduit, quorum nōnulla res memorabiles gen-
tis noſtræ exprimunt. Quin poſterorum Bogislai
Magni imagines necdum omnes ipſe nactus ſum. Ex
iis tamen mittam proxime aliquot. De Selimi vero
effigie, quæ tribus illis, de quibus ſupra dixi, adiuncta
erat, cum non explices, cuiuſnam illa ſit (non fugit e-
nim te, duos eius nominis Turcarū Impp. fuiſſe, quo-
rum alter ante Solymannum, alter vero poſt Soly-
mannum regnauit) contendo, vt porro nos doceas.
Libellos porro duos, nempe Iſagogen ſphæricā, no-
mini tuo dicatam, & libellum, qui inſcribitur, Homo
Diſce mori, me accepiſſe ſignifico. Agoq; & pro iis
gratias clementes. Ad pictorem vero, qui imagines,
ex Italia tibi tranſmiſſas, depingat, quod attinet, vtar
conſilio ac liberalitate tua, ac propediem mittam, qui,
quid & quomodo fieri velim, tibi oſtendat. Gratiam
autem noſtram, vt & pro hoc officio tuo experiaris,
clementem dabimus operam. Vale X I I Ianuarii
Anno M. D. XCIIII. Bardi Pomeraniæ.

V

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

HENRICO RANZOVIO
PRODVCI CIMBRICO,
S. P. D.

MARTINVS MARSTALLERVS

Heros illuſtris, Mæcenas colende: quod libenter facio, vt te colam merentem de me optime rarius facio. At non negligentia; ſed nunc his, nunc illis dum ſcribendi ad te occaſio eſt, curis impedior.

Etſi autem tanti eæ non ſunt, nec eſſe mihi debẽt, vt prę iis negligam obſeruantis officium: tamen ſiue fatum ita fert meum, ſiue ingenium tardius, multa ſimul recte facere non poſſum.

Inde fit, vt vrgentiora fere totum me teneant. Addas igitur & hoc tuis in me meritis, vt volũtatem optimam, & tui ſtudium ſyncerum, ſi ſit opus, hac in parte, cauſam meam orare & perorare patiaris. Etſi enim innumeri ſunt, qui aut virtutem admirantur tuam, aut præclara facta prædicant: tamen nulli eorũ præclaro & recto de te iudicio, ex eoq; nato amore facile ceſſero.

In aliis vero omnibus me parem eſſe, non affirmarim.

Quin pleriſque hoc libenter largior, vt quod rectius poſſunt, præſtẽt præclarius tuo & ſuo cum honore, h.e. immortalitati ſcriptis non mortalibus virtutes tuas conſecrent.

Quam ad rem, aliena ope tibi fortaſſe opus non ſit, qui Iulium imiteris illum immortalem Cæſarem.

Mihi ſatis eſt, ſi remota omni adulationis ſpecie virtutes tuas, e quibus regiæ illæ maxime in te conſpicuæ ſunt, acri ſapientiæ ſtudio, oratione modeſta

ex ſimplici,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ex ſimplici, qualis veritatis eſſe ſolet, prædicem.

Siquidem gratitudinem aliá, tu a me nõ exſpectas. Nec aliud etiam vllum eſt virtutis præmium, præter hoc laudis nõ fucatæ. Sed ſincere te a me coli iudicas. Sunt enim eius rei indices, literæ tuæ, quas caras, imo cariſſimas habeo, tum quod datæ abs te heroe illuſtri, tũ ꝙ graues ſunt, & tui erga me amoris teſtes.

Atq; hactenus ſe recte inter nos habent omnia. Vnum hoc non parum me excruciat, quod in iis, quæ tuo auſpicio bono publico curanda ſuſcepi, non tam ſim felix, quam ex vſu erat, ex voto vtriuſq;.

Tardius enim afferuntur, imo nec dum allatæ vllæ ſunt, quæ momenti ſint alicuius, & lucem mereantur, inſcriptiones.

Sed denuo admonebũtur, ab Illuſtriſſimo Principe Duce Bogislao, domino noſtro clemẽtiſſimo, ad quos negotium hoc pertinet, vt in patriæ laudem memoria longiore digna monumenta colligant.

A me vero hæc dabitur opera, vt ad dies proximos lupercales farraginem aliquam Pomeranicarum inſcriptionum accipias.

Interim tamen, ſi feſtinat Clariſſimus vir Schraderus, aut ſi tu illuſtris heros feſtinandum eſſe cenſes, nihil hæc noſtra editionem morentur.

Non enim adeo multa futura puto, vt non vel appendicis titulo, reliquis apponi queant; præſertim cũ nulla, niſi quæ, vel antiquitatem vel eruditionem, vel deniq; hiſtoriá quandá ſapiất, mittere decreuerimus.

In altero negotio non paulo plus difficultatis, voluntatem optimam moratur. Graphicum enim peritum, qui ad viuũ oĩa adũbret, hactenus deſideramus.

Nec tñ curá hanc abiiciemus, quáuis ante vernales vix aliquas, aut non niſi perpaucas mittere poſſimus.

Sed de his ex ſententia Ducis Bogiſlai, Domini mei Clementiſſimi Generoſum Virum Georgium Brunium literis erudio, quæ Hamburgo iamiam ad

ipſum curabuntur; Vtinam multos tui ſimiles Germania haberet, qui velint quod poſſunt, & poſſint quod volunt.

Ita enim fieret, vt quod per ingenia poſſet, Italiam æquaret Germania noſtra.

Sed voluntas nunc alios, alios facultas a rebus præclare gerēdis auocat, q̄ deplorare fortaſſe liceat, corrigere nimis arduum ſit.

Pro libellis ago gratias maximas, & quia diutule ipſe nihil meditatus ſum, remitto Herlicii de Academiis libellū, cuius appendicē meo nomini inſcripſit.

Alias quod me gratum oſtendat, meditabor ipſe propediem, nonnulla tua cum laude.

Sed parum fortaſſe illi addidero.

Conabor tamē, & quidem ratione ſapientib. probata. Interim tui ſtudio contentus eſto, & vale feliciter. Bardi Pom. 12. Ian. anno M. D. XCIIII. cuius tempora felicia tibi exopto.

Clementem tibi ſalutem adſcribit Dux Bogislaus.

HENRICO RANZOVIO, PRODVCI CIMBRICO S. P. D.

MARTINVS MARSTALLERVS.

Generoſe Heros, Mecœnas colende.

QVod priuatim feci ſępius, publice quoq; mihi faciēdū putaui, vt cū obſeruātia gratū me oſtēderē.

Occaſionem ad id præſtādum, a Natali tuo ſumſi, quem feliciter ſexageſimumnonum nunc celebras.

Genethliacam, ergo, hanc pro humanitate tua beneuole nunc accipe, & ſi cetera minus potes candorē in ea & amorem ſincerum proba.

Ita ſtatuens, quid de te illuſtri Heroe ſentiam, id in hac Epiſtola me, minus fortaſſe ſplendide, at omnino ingenue expreſſiſſe.

De in-

De inſcriptionibus mittendis, tuam porro exſpecto ſententiam, quam intelligam, ſi proximis meis literis reſpondere volueris.

Dux Philippus tuas quoque exſpectat, daturus aliquid ad te, cum poſt paucos dies effigiem patrui ſui Ducis Erneſti Ludouici ad te mittet. Interim clementer te ſalutat, & pro incolumitate tua, hoc natali tuo DEO opt. max. mecum vota nuncupat. Vale, & tui me obſeruantiſſimũ ama. Raptim Bardi Pomer. 12. Martii, Anno M. D. XCIIII.

PHILIPPVS DVX POMERANORVM.

HENRICO RANZOVIO S. D.

HEnrice Ranzoui ſincere nobis dilecte, iam exſpectabant, quæ mittere ad te volebamus, tabellarium, dum tuæ XXVI. Decembris, anni elapſi datæ, vna cum libro adiuncto, & imaginibus Caroli Magni & Friderici Barbaroſſæ Impp. Romanorum, nobis redduntur. Ago itaq; & pro iis gratias clementes.

Et nunc quidem vix dum abſolutam remitto Franciſci, Ducis Brunſuicenſium & Luneburgenſium, aui noſtri materni imaginem, ad quam, feſtinãte, qui tuas attulit, nomen adſcribere non potuimus.

Alias vt patris, & patrui Erneſti Ludouici effigies, pictor quem ad imagines tuas depingẽdas mittemus afferet.

Adiunxi etiam his literis, arboris noſtræ gentilitię delineationem, quam in noſtri memoriam in Bibliotheca tua percelebri, appendi & aſſeruari curabis.

Libellum item Geographicum, de locorũ diſtan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

tiis ſupputandis ſub meo nomine, & fratris euulgatum remitto.

Quæ omnia, quia ad manum nihil nunc aliud eſt, æqui boniq; nunc conſule.

Et vberiores per pictorem noſtrum exſpecta, valeque & nos amare non define. Bardi XVII. Ianuarii, Anno clↄ. Iↄ. XCIIII. Raptim.

GENEROSO ET MAGNIFICO VIRO, D. HENRICO RANZOVIO, DOMINO IN Bredenberg, &c.

REGIS DANIÆ IN DVCAtibus Vicario:

MÆCENATI AVGVSTO S. D.

Martinus Marſtallerus,

Generoſe Heros,
Mæcenas Auguſte.

ADEST aſtris voluentibus dies, quam in vita merito iucundiſſimam habes, quod primam lucis vſuram tibi auſpicio feliciſſimo conceſſit, anno abhinc ſexageſimonono. Eſt autem Eid. Martii v. vnde ipſe annus ſuam quotannis auſpicatur adoleſcẽtiam, & tecũ multoties quaſi renaſcitur. In hanc ergo dum intueor, idem facio quod liberi tui, quod propinqui, quod reliqui, quos humanitate & beneficentia tuos feciſti, hoc eſt gaudeo mihi, & Reip. gratulor. Agnoſco enim quantum illa dies Reip. præſidii, quantum ornamenti nobis amicis tuis protulerit. Hoc vero dum cogito, cogito aliquid hac luce ad te meditandum

dum eſſe, tum vt gratum me cum obſeruantia oſten-
dam, tum vt amorem tibi probem meum, & ſynce-
rum & conſtantem. Neutrum horum ingratum tibi
fore ſpero, imo confido, vel ſcio potius. Itaque agam
tecum hoc Natali tuo, de te, ad te, & libentius & libe-
rius. Annus hic eſt quartus, quod, hoc ipſo menſe,
primas abs te accepi literas cum munere eruditorum
libellorum. In iis cum perſpexerim tuam erga me be-
neuolentiam & humanitatem, cœpi ex eo te colere
ea obſeruantia, quæ tam illuſtri Heroi conuenit, idq;
eo ſtudioſius quo maiori ornamento mihi videbam
eſſe amicitiam tuam, votis expetitam diu ante, re tum
oblatam vltro. Satisfeciſſe vero me tibi hactenus, ſi-
ue obſeruantia, ſiue ſtudio tui, affirmare non auſim,
cum mihi ipſi quod ſatis ſit ea in parte non fecerim.
Sed voluntate optima & amore ſyncero, quorum ha-
ctenus indicia non obſcura dedi, contentum te eſſe
ſpero. Animum enim altum & magnum ſemper in
te ſuſpexi, qualem qui gerunt, quauis etiam minuta
gratitudine maxima beneficia compenſari ferunt æ-
quiſſime; cum magis ſolliciti ſint, vt beneficia benefi-
ciis cumulent, quam vt reportent gratiam. Ante vero
quam amicitiam ſum adeptus tuam, exoptatiſſimam
illam & multis nominibus gratiſſimam, iam tum ex
ſcriptis mihi notus eras; non tam aliorũ virtutes tuas
vere prædicantium, ſed tui ipſius; Medicis partim,
partim Mathematicis, partim etiam Poeticis. De cõ-
ſeruanda enim valetudine vtiliſſimum illum librum
tuum ante annos quatuordecim legeram. Videram
paulo poſt de arte Aſtrologorum & annis climacte-
ricis eruditiſſimum Commentarium tuum; Verſus
item quoſdam tuos puros, elegantes, ſuaues. Ex qui-
bus omnibus, quantum per ætatem poteram, iudi-
cabam & ingenio te præditum eſſe eximio, & animo
virtutis & ſapientiæ ſtudio flagranti. Is enim vt natu-
ræ arcana rimareris: hæc vt feliciter ea erueres, præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ſtare videbatur. Tanto magis autem hoc in te admirabar, quanto pauciores ex iis, qui Natalium ſplendore & opibus alios anteſtant, ad primam hanc & non minus iucundam, quam antiquam Philoſophanti rationem, ſe referre ſolent. Primam vero Philoſophiam ſiue primum ſapientiæ ſtudium naturæ contemplatione definitum fuiſſe, te quod attinet, probatione opus non habet; vt neque illud quod ex memoria veteri ſeu Hiſtoria facile confirmetur, ſummos viros & regia dignitate præſtantes, in perueſtigandis rerum naturæ cauſis occupatos, & inprimis contemplationi cæleſtium corporum, & humani etiam, quod in mixtis inferioribus perfectiſſimum eſt, deditos fuiſſe. Ita ego de te, ex his, tum iudicabam, videbarque mihi videre quendam Heroa, æmulum Almanſoris & Ptolomæi, Regum ſapientiſſimorum. Poſtea vero vt in hanc viciniam veni, & plura de tuis vidi, & audiui plura de te, non a tenuibus, qui ſpe aliqua te laudare videantur, nec a leuibus & vanis, quorũ præconia lædant magis quam iuuent, ſed a potentibus & magnis, ſed a virtutis ſtudioſis, prudentibusque viris, quorum iudicium nec tu contemnas, & ego nõ queam non magni facere. Ex his ergo de familæ Ranzouianæ vetuſtate & ſplendore, de rebus geſtis maiorum tuorum, de tuis in Remp. meritis, quorum pars bellicæ fortitudinis, pars prudentiæ, pars deniq; magnificentiæ laudem ſibi vendicat, ea cognoui, quæ in tui admirationem, & ex ea in amorem & obſeruantiam, me pertraxerunt. Sed euidentius hæc omnia, ex literis tuis eruditis, & quas iis ſubinde adiunxiſti lucubrationibus, perſpexi. Genealogica enim illa tuo auſpicio edita, familiarum nobiliſſimarum Saxoniæ & Holſatiæ ſtirpes ita illuſtrant, vt veſtram Ranzouiorum gentem longe clariſſimam ſimul in luce ponant clariſſima. Idem præſtat Hypotypoſis illa Lindenbergii grati hominis & non vulgariter docti. Quę

ſcripta

ſcripta cum aliis, relictis patriæ finibus, longe lateque exteras nationes tuo cum honore peruagantur, ſuntque in manibus doctiſſimorum virorum. Sed quæ ad genus referuntur tuum, etſi ad laudem tuam magnopere pertinent: tamen communia tibi ſunt cum multis gentilibus tuis, viris fortiſſimis. At propria & magis tua eſt rerum cæleſtium non vulgaris illa ſcientia, quæ ex commentariis tuis de Aſtrologorum arte, iudicandiq; ex ea ratione, elucet. Verſatur enim in obſcuris & maxime reconditis rebus ea ars, & non niſi ab acutiſſimis ingeniis, magno cum labore, perdiſcitur, multorumque annorum experientia demum artificem perficit. Quod ergo in his tu artifex eximius, propriam hoc tibi, & ingenii acris, & induſtriæ non vulgaris laudem parit; & quidem eam, qua olim ſapientiſſimi reges, vt peculiari inprimis gloriabantur. Nec male id aut perperam. Prouidere enim futura, & euentuum, etiam eorum, qui fortuiti habentur, cauſas perſpicere, diuinioris eſt naturæ, diuinioremque gignit gloriam. Eſt & propria tua laus Poetici ingenii venuſtas, quæ in verſibus tuis, Minerua (quod aiunt) haud inuita expreſſis, apparet. Sunt enim & numeri in iis ſuaues, & concinna inuentio; quod in vtroque eo maius, quo minus tu te totum vni huic ſtudio dediſti, aut per Reip. negotia & curas grauiores dare etiam potuiſti. Ranzouianum illud tuum Diarium lucubratio quoque eſt nec iniucunda nec inutilis. Præter aſtronomicas enim obſeruationes rei familiaris tuendæ præcepta non pauca continet, eoque particulam illam ciuilis Scientiæ, quam Oeconomicam vocant, non parum illuſtrat, quod magna cum laude, & maiore cum vtilitate a præſtantiſſimis Heroibus omnibus ſeculis factitatum eſt, & inprimis felici illo, in quo viri boni, & boni agricolę, iidem erant. Quid vero de Epiſtolarum illo volumine dicam, in quo quæ ſunt primariæ in te virtutes debitū, & pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

meritum præconium accipiunt. Reges in illis & Duces & ſapientiſſimi homines laudant prudentiā tuam in moderandis feliciter regia vice tot ducatibus: laudant, qua gratitudinis monumenta, veterū Heroum exemplo, ponis, ſumtu elegantiam æquante, magnificentiam: laudant, qua priuatim vteris erga bonos, & bonis artibus deditos, liberalitatem: laudant, qua quod te dignum eſt geris, magnanimitatem: laudant, qua aduerſas res moderate & conſtanter perfers, fortitudinem: laudant, humanitatem, aliaque, quæ hoc loco repetere nimis longum ſit, minusque neceſſarium. Sunt enim in oculis & ore omniū, maximo tuo cum honore, & immortali gloria. Exſtant & alia tuæ ſapientiæ & virtutis monumenta, quæ nunc non tango. Non enim Catalogum tuorum librorum hic texo, ſed ex his probare conor, quod initio dixi, videre me quantum Reip. præſidii, quantum ornamenti amicis, produxerit hæc dies, quę te felici ortu in lucem produxit. Vtrumque autem eam præclare præſtitiſſe, nemo negabit, niſi qui virtutem & ſapientiam Reip. præſidio, ornamento amicis eſſe, negare auſit. Nec vero iudicium ego eorū moror ſtultum, qui ea commentari, & ſcribere, te nobilem non decere putant, quæ niſi ſapientiſſimi Reges, & fortiſſimi Imperatores, aut ipſi meditati eſſent, aut vt alii meditarentur, imperaſſent, in præclariſſimarum rerum ignoratione omnes verſaremur. Quod ſi omne illud quod his honori fuit, illis dedecori eſſe opinantur, detrahant vna eademque opera nobilitati omnem ſapientiam & virtutem, quarum neutra in priſcis Heroibus erat ſine literis, & an omnino ſine his eſſe queant, vehementer dubitari poſſe videtur. Sed Heroa ego te eſſe negem, virtute & ſapientia prędıtum, ſi omnes omnia in te probarent ſine liuore. Inuidia enim & calumnia a virtute non magis repelli queat, quam ab eſcis dulciſſimis, & ſapidiſſimo melle, veſparum & muſcarum greges.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

greges. Intelligentes & boni viri cum hoc maxime in te laudent, quod laudandum etiam ſummopere eſt, quod Remp. opera, beneficio ciues iuuas, quod prodes plurimis, noces nemini, quod ſumtum in res præclaras magnifice confers: illud quoque non improbant, quod meditaris ipſe aliquid, & ſcribis, quod aut alios iuuet aut te ipſum oblectet. Intelligentum autem iudicio cum ſemper ſteterim, nunc quoque ſtandum mihi putaui, eoque hoc Natali tuo, modeſtę laudationis grato acroamate, ſenẽ te meritiſſimum, oblectare, & hoc alterum meæ in te obſeruantiæ pignus deponere volui. Qua in re bonorum cenſuram grauem non pertimeſcam; malorum vero, & inuidorum contemnam etiam, & flocci non faciam. Deo porro opt. max. pie concepto voto ſupplico, vt quibus rebus feliciter gerendis facultati parem tibi voluntatem, raro exemplo, dedit, iis, cum ſalute publica, honore tuæ gentis, multorumque commodo, diu gerendis, diutiſſime te florentem & incolumem conſeruet, & imminentis climacterici decimi prodromum hunc annum feliciter ſuperare faciat. Quod votum meum ex ſyncero pectore profectum, eo maiorem religionem habiturum confido, quo tu vir melior es, & puriore in Deum pietate, quæ ex humana hac beatitudine te exemtum, in æternæ æternitatis beatiſſima beatitudine feliciſſime olim collocabit. Vale Bardi Pomeraniæ, ex Muſęo Ducis Philippi. 5. Eid Martii Anno 1594.

EIVSDEM MARSTALLERI DISTICHA VOTIVA.

Ranzouiano Natali conſecrata.

I.

Quem meritis æquat, prudenti & pectore, vita
Æquet grandæuum Neſtora Ranzouius.

II.

Cui virtus animum: mentem ſapientia: rem ſors:
Huic vitam & corpus longum Hygiæa beat.

III.

Multorum vitam qui curat, ſubleuat, ornat,
In vita hunc vitæ fons velit eſſe diu.

IIII.

Climacter nonus cui felix exiit, illi
Fata bona & decimo præuius ille ferat.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI PHILIPPO POMERAnorum Duci, Domino ſuo clementiſſimo.

HENRICVS RANZOVIVS,
S. P. D.

CVM in conuentu Haderslebienſi abeſſem, Illuſtriſſime Princeps Philippe, Domine clementiſſime, redditæ mihi ſunt binæ Celſitud. tuæ literæ, cum libro geographico, arbore Genealogica Illuſtriſſimæ

ſimæ gentis veſtræ, & effigie Illuſtriſſimi Principis, Franciſci, Ducis Brunſuicenſiũ & Luneburgenſium.

Etſi autem æquum fuiſſet, ſtatim Celſitud. tuæ me reſpondiſſe, tamen & in illis ipſis comitiis, ad quæ profectus eram, & poſt ad cõſuetas ſedes redeuntem, tot excepere atque exercuere negotia, vt meo animo morem gerere, ac ſcribendi officio ſatisfacere minime potuerim.

Acceſſit ad hæc luctuoſa mors nurus meæ dilectæ Sophiæ Roſecrantziæ, Breidonis Ranzouii filii mei coniugis; cuius deſiderium & relictæ ſobolis ternæ, ipſiusque mariti orbitas me familiamque meam vehementer perturbarunt.

Horum impedimentorum conſideratione Celſitudinem tuam hoc ſilentium meum clementer excuſaturam & confido, & ſubmiſſe ab eadem peto. Nunc cum a grauioribus occupationibus nonnihil reſpirate conceſſum ſit, & luctus ille noſter paululum quieſcat, pro obſeruantia ea, qua Celſitudinem tuam colo, literas vlterius differendas, non cenſui. Itaq; binis Celſitudinis tuæ vna opera iam reſpondeo. Ac (primum quod eſt, atque præcipuum) quam honorifice Celſit. tua de me, meisq; progenitoribus ac gentilibus ſentiat, ſumma cum voluptate cognoui.

Atqui hic quidem meus eſt ſemper, meorumque maiorum fuit animus, rebus & bello & pace fortiter & præclare geſtis, de Republ. bene mereri.

Cuius voti ſi partem aliquã adepti ſumus, id quod Celſitud. tua iudice adepti ſumus, eſt, quo ſummum felicitatis humanæ gradum aſſecuti videmur. Itaque huic Celſitudinis tuæ de me meisque iudicio ſerio acquieſco; eique ſubmiſſe ingentes ago gratias, nec iam in votis quid aliud magis habeo, quam vt hoc nomen tueri, & pluribus in rem publicam meritis augere poſſim. Atque vtinam ſeſe aliqua offerret occaſio, qua & fructus aliquis huius virtutis, quam Celſitudo

tua in me amat, in Celſitudinem tuam, adeoq; totam Illuſtriſſimorum Ducum Pomeranorum gentem generoſiſſimam redundare, ex Celſitud. tua nonnullo ſuo debito iſtam vere prædicare poſſit.

Interim dum hoc fit, nulli ego obſeruantiæ argumento, nulli Celſitudinis tuæ ſtudio parcam.

Quod vt Celſitudo tua clemẽter ſibi polliceatur, & liberalem illam de me meisque opinionem, beneuolumque in me affectum, porro ſeruet, reuerenter oro.

Maximas porro gratias Celſitudini tuæ debeo atque ago, pro muneribus iſtis, quæ longe ſplendidiora meis dudum transmiſſis, clementer ea repoſuit.

Inprimis autem grata fuit Effigies Illuſtriſſimi Principis Domini Franciſci Ducis Brunſuicenſis & Luneburg. aui Celſitudinis tuæ materni, cuius nomen, pro vt Celſitudo tua volebat, addi, inq; Bibliothecam meam cum cæteris muneribus, quę magnum attulerunt illi decus, recondi curaui.

Cæteras imagines, quas Celſitudo tua clementer promiſit, per Celſitudinis tuæ pictorem, propediem exſpecto. Quem, vbi videro in Celſitudinis tuæ honorem, & beneuole complectar, & ad exprimendas ac imitandas reliquas, quas ex Italia accepi, effigies, de neceſſariis rebus ipſi proſpiciam.

Per eundem ad Celſitudinem tuam redeuntem ſcribam vberius, & tractatus mei Aſtrologici, denuo Witebergæ excuſi, exemplar, quod nunc cõpingi curo, ſubmiſſe mittam.

Vnum hoc nunc addo, effigiem Selimi, quam ſuperiore anno tranſmiſi, eſſe poſterioris, eius nimirum, qui Solymanno ſucceſſit.

Quod ſupereſt Celſitudinẽ tuam Dei Opt. Max. tutelæ, Celſitudinis autem tuæ beneuolẽtiæ ac amori me ſubmiſſe commendo. Segeberga Calend. April. Anno Chriſti, M. D. XCIIII.

HENRI-

HENRICVS RANZOVIVS PRODVX CIMBRICVS, S. D.

MARTINO MARSTALLERO.

BInas iam tuas accepi, clariſſime Marſtallere, amice ſingularis, quibus vna hac Epiſtola reſpondeo. Priores mihi redditæ ſunt, cum abeſſem hinc in Comitiis Haderslebienſibus, alieno certe tempore, hoc eſt, ad reſcribendum minime vacuo. Multis enim magnisq; negotiis eram occupatiſſimus. Ad curas iſtas officii mei & gubernationis, accedebat ingens ille mœror meus, ob luctuoſum obitum cariſſimæ nurus meæ Sophiæ Roſencranziæ, Breidonis filii mei coniugis, infelici partu cum filiolo, quem enixa erat, nobis ereptæ.

Deprehendi ego tum id, quod alias per vitam ſæpius eram expertus, quam fragilis ſit hæc vita noſtra, quam miſera, quam denique nulla calamitate ſola vexetur, ſed quod plerunque telam quandam ærumnarum ingentem ſecum vna trahat.

Quod ipſum quam vere in hoc meorum dolendo nobis, ipſis tamen beato, ex hac miſeriarum valle, ad ſupera illa gaudia, abitu accidat triſtis ternæ prolis relictæ, maritique mœſti orbitas (vt cætera incommoda omittam) nos docet.

Sed reticere malo, quam ingrata malorum commemoratione vulnus, quod nec dum vix aliqua coaluit, refricare.

Itaque ad priores tuas redeo, animi tui, quantum

nimirum me ames, quantum colas, teſtes locupletiſſimos.

Ego vero, mi Marſtallere, nunquam aliter de iſto in me tuo affectu ſenſi, quam vt eæ ipſæ tuæ prolixius commemorabant. Acceſſit iis pignus Herlitzii de Academiis libellus, mihi perquam gratus.

Pro vtroque magnas tibi ago gratias, ac viciſſim penitus id tibi perſuaſum cupio, te in eorum viuere iam, ac moriturum poſt numero, quos amo plurimum.

Quam voluntatem meam exprimam reipſa quocunque loco ac tempore potero.

De inſcriptionibus Pomeranicis quod laboras, gaudeo. Quod deinceps tibi quoq; curæ eſſe velim.

Sed ecce (iam enim ad poſteriores tuas accedo) aliquas miſiſti, gratam rem feciſti, in cæteris feſtinatione non opus eſt.

Neq; enim Cimbricas ac Danicas iam omnes habeo, ſed plurimæ deſiderantur, quas ex variis oris adhuc exſpecto.

Interim tuas colligendi tibi otium datur, quas vbi accepero omnes, in vnum faſciculum, cum cæteris quæ transmiſiſti, cõpoſitas ad Schraderum curabo.

De altero illo negotio vrbium depingendarum, cognoui ad Brunium te ſcripſiſſe. Nec tamen intelligere potui quid ſcripſeris, quod equidem ſcire peruelim, non ſine cauſa.

Itaque peto, vt proximis tuis (quod commodo tuo facere poſſis) de eo me certiorem reddas. Porro Epiſtolam tuam Genethliacam accepi ac legi, quæ idipſum quod ſuperius ſcripſi, magna mea cum voluptate vberius teſtata eſt.

Itaque gratiam habeo, & pro Encomio & pro voto, gratumque me tibi oſtendam aliquo munere, quam primum certi hominis, cui tuto committi poteſt, copia ſeſe obtulerit, quod quidem per pictorem
veſtratem,

veſtratem, quem indies exſpecto commodiſſime fiet. Interea moram æquo animo feras, nec de amore, ſtudioque mei quid remittas.

Illuſtriſſimis Princip. tuis, Domino Bogiſlao, & Domino Philippo pro iiſdẽ votis Natalitiis ac ſalute, quam vtraq; Celſitudo mihi clemẽter adſcripſit, gratias demiſſe ago quam maximas, ac viciſſim abs te peto magnopere, vtrique Principi, omnia obſeruantiæ ac amoris officia mutuaque pro incolumitate ipſorum vota mea, humiliter ſignifices.

Hæc ad tuas reſpondiſſe ſufficiat, mitto quæ in obitum dilectæ nurus meę typis ſunt diuulgata, quibus addita ſunt in calce nonnulla alia lectu nõ iniucunda.

Horum exemplaria quatuor Illuſtriſſimo Principi Philippo, meis verbis, cum literis adiunctis reuerenter offeras velim. Vale vir clariſſime, & reſcribe, vt de redditis literis certior eſſe poſſim, Segeberga Calend. Aprilis ∞ Iↄ.XCIIII.

HENRICVS RANZOVIVS PRODVX CIMBRICVS, S. D.

CONFOEDERATORVM STAtuum Belgii ad Sereniſſimum Regem Daniæ legatis.

Ioanni de Duuenuoird Admiralio Hollandiæ, Gerardo Voit, Conſuli Amſterodamo: Ioos de Meinn, Cõſuli Dordracenſi: Reimaro Cant, Conſuli Middelburgenſi: Simoni Meinardo, Proprętori Geldriæ, & Ioanni de Warck, Conſuli Horniæ.

GEneroſi, Nobiles, ac magnifici viri, amici colen-

di:Cum de veſtro per vrbem Itzehoam tranſitu nunciatum eſſet, magnopere dolui, quod tum ab arce mea Bredenberga, vrbi illi vicina, abfuerim. Etenim dudum antea decreueram, vos videre, notitiaq; ac amicitia vobiſcum inita, omnia humanitatis officia exhibere, & vectura ac quibuscunq; aliis rebus opus eſſet, more meo in exterorum Regum, principũ ac populorum legatos, veſtrum ad ſereniſſimum Regem meum iter promouere. Quia vero præter exſpectationem meam ita accidit, vt præſentibus vobis beneuolentię officia exhibere non potuerim; non dubito, quin me ex iuſta illa cauſa excuſetis, & nihilominus promtam voluntaté agnoſcatis. Vt tamen argumento aliquo meus vobis animus pateat, libros nõnullos a me editos, Genealogiam nimirũ meam ac nonnullorum aliorum nobilium, hypotypoſin artium mearum, Calendarium, ac epiſtolas Conſolatorias, mitto, quorũ lectione itineris moleſtias, temporisq; tædia pellere poſſitis. Hos vt æqui boniq; conſulatis, & in reditu veſtro ad me Bredenbergam diuertatis, maiorem in modũ pero. Et quoniam cariſſimus filius meus Gerardus Ranzouius, Cõſiliarius regius & præfectus Hadersleblenſis Antuerpiam, ob debita, quibus vrbs illa mihi meisq; obſtricta tenetur, eſt profectus, etiam atque etiam vos oro, vt ad Illuſtres Dominos veſtros ordines Belgicos ſcribatis, vt quacunq; filio meo trãſeundum fuerit, is abſq; vlla mora, vlloq; periculo per iſtorum fines iter inſtitutũ perſequi poſſit. Hoc mihi meisque erit gratiſſimum, qui viciſſim in omnem de Dominis veſtris ac vobis ipſis bene merendi occaſionem intenti erimus: nec vnquam committemus, vt quicquam operæ ac diligentiæ in nobis deſideretur. Id quod plane vobis perſuaſum habeatis velim.

Valete feliciter, ex arce Regia Segebergæ, 22. Iunii, Anno Chriſti cIɔ. Iɔ. XCIIII.

CONFOE-

CONFOEDERATORVM ORDI-
num Belgii legati.

IOANNES DE DVVEN-
VOIRD, ADMIRALIVS HOLLAN-
DIAE, GERARDVS VOIT, CONSVL AM-
ſtelrodamus, Ioos de Meinn, Conſul Dordracenſis,
Reimarus Cant, Conſul Middelburgenſis, Simon
Meinardus, Proprætor Geldriæ, & Ioannes
de Warck, Conſul Horniæ,

S. P. D.

HENRICO RANZOVIO
Produci Cimbrico.

NOs vero, Illuſtris ac Generoſe Dn. cum ad sereniſſimi Regis Danię vrbem Itzehoam nuper appuliſſemus, non minus magno affecti fuimus dolore, ob nuntium illum, qui de abſentia Illuſtris Dominat. tuæ ad nos afferebatur. Etenim penitus nobis conſtitutū erat, Illuſtrem Dn. tuam in hac noſtra ad Regiam Maieſt. legatione conuenire, eiq; cultū noſtrum deferre. Quod ſi fieri poterit, vt in reditu noſtro cōmode per oras veſtras tranſeamus; omnino nō intermittemus, quin Illuſtrem Dom. tuam inuiſamus, & pro beneuolentia illa inſigni, q̃ Illuſtris Dn. tua, & literis ſuis ad 22. huius Menſis diem exaratis, & libris vna trāſmiſſis erga nos declarauit, debitas gratias agamus. Sin redeuntes via ad vos nō duxerit, nihilominus tantæ humanitatis memoriam, & referendi voluntatem ſemper habebimus. Quod porro attinet ad Illuſtrem ac generoſum Dn. Gerardum Ranzouium ſereniſſimi Regis Daniæ conſiliarium & Præfectum Haderslebienſem, Illuſtris Dominat. tuæ filiū, quem in tranſitu itidem ſalutaſſemus libenter, niſi domo abfuiſſet; primo quoq; die ad Illuſtres Dominos noſtros, Belgii ſtatus Confœderatos literas de eo mittemus, vt quocunq; tēpore ad quoſcunq; locos ſtatibus ſubiectos

is deuenerit,Illuſtrem Dn. eius omnibus, quib. opus fuerit,iuuent promoueantq;,ac ſingulari beneuolentia proſequantur. Nec dubitamus,illos omnia facturos eſſe,quæ ad dignitatem eius amplificandam, ſalutemq; tuendam ſpectabunt. Quod ſi nobis reuerſis, Illuſtris Dn. eius in Belgio adhuc hæſerit, omnes ac ſinguli operam dabimus ſedulam,vt erga eam,amantem ac beneuolũ animum noſtrum ipſo opere teſtemur. Nec minus curæ nobis erit, quibuscunq; rebus fieri poterit,efficere,vt Illuſtris Dom. tua gratam noſtram & propenſam voluntatem experiatur. Illuſtris Dn.tua imperabit,quæ accepta ſibi a nobis fieri velit. Eius nos beneuolentiæ ac patrocinio reuerenter cõmẽdamus,Deumq; precamur,vt Illuſtrem Dominationem tuam diutiſſime ſaluam ac florentem conſeruet.Dabantur Hafniæ 26. Iunii, A.C.cIↃ.IↃ.XCIIII.

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO, S. D.

IVSTVS LIPSIVS.

ILluſtris Domine,nõ equidem ambigo, quin ſilentium meum mireris, præſertim cum cultu, & affectu is ſim in te,qui debeam,& qui merito tuo ſemper fui.Sed cauſa profecto eſt in locorum hoc interuallo, & cũ rari ad vos nuntii, tum etiam in publica temporum calamitate, quæ animos noſtros ſi nõ abiicit, tamen premit & reſtringit. Addo & valetudinem noſtram imbecillam,languidam,& ideo(cũ excuſatione etiã)ad ſcribendũ, & hæc talia munera minus promtam.Sum tamen,vt dixi, qui fui, cultor admiratorque animi tui & virtutum,& talem cupio me cenſeri.Edidi nuper libellos de cruce,non magnæ rei aut doctrinæ,argumento tamen probos.

Eos

Eos per hunc mitto D. Niekerkium, olim Dauentrienſem Syndicum, virum probum, prudẽtem, doctum, & ideo, vt ſpero, D. T. gratũ. Is in legatione eſt quam Sereniſſimus noſter ad Sereniſſimum veſtrum mittit. Illuſtris Domine vale. Louanii, poſtrid. Idus Iul. M. D. XCIIII.

ANTONIVS COMES OLDENBVRGI ET DELMENhorſtæ S. D.

HENRICO RANZOVIO,

Produci Cimbrico.

Hæc ex Germanica lingua verſa eſt in latinam.

NObilis ac Strenue, ſingulariter nobis dilecte. Poſteaquam præſentes hoſce miniſtros ac fideles noſtros in Holſatiam ad gradarios quoſdam equos coemendos ablegauimus; intermittere non potuimus, quin hac occaſione oblata te quoque ſcriptiuncula quadam inuiſeremus. Cum etenim optimam de tua erga nos voluntate ſpem ſemper conceperimus, quam etiamnum conſtanter fouemus; non dubitamus, nihil quicquam, quod ad res noſtras promouendas fecerit, te intermiſſurum. Pro qua officii aſſiduitate noſtram viciſſim gratiam ac beneuolentiam ſummam tibi pollicemur. Hac fiducia abs te beneuole & amice petimus; vt præfatis noſtris miniſtris, quos veſtræ regionis ignaros plurimum iuuare poteris, conſilio ac opera tua præſto eſſe velis, vt iſti equorum mercaturam cautam & felicẽ agant. Quod ſi ipſemet quoq; iſtiuſmodi equo nobis ex equili tuo, proſpiceres, nihil nobis gratius præſtare poſſes. Nobis viciſſim nihil foret antiquius, quam vt pares gra-

tias redderemus. Quod autem hac in cauſſa toties a nobis compellaris, ægre te non laturum confidimus: Quem ſingulari fauore proſequentes, Deo commendamus. Delmenhorſta, poſtrid. Id. Septembr. Anno Chriſti M. D. XCIIII.

INVICTISSIMI IMPERATORIS ROMANORVM Domini RODOLPHI II. Legatus ad Potentiſſimum Daniæ Regem, Dn. CHRISTIANVM IIII.

EHRENFRIDVS A MINGWITZ, BARO IN MINGWITZburgk & DrenaW; Cæſar. Maieſt. Conſiliarius S. D.

HENRICO RANZOVIO, Produci Cimbrico.

Hæc e vernacula noſtra verſa eſt, in latinum.

GEneroſe, Nobilis & Magnifice Domine, Amice colende: Permultum me tibi debere fateor, tum ob beneficia illa eximia in arce tua Bredenbergenſi mihi meiſque comitibus ac miniſtris exhibita, tum ob vecturas, quibus meam ad potẽtiſſimum Regem Daniæ profectionem tam promte iuuiſti, tam celeriter promouiſti. Accedit huc commendatio tua, qua plurimum adiutus fui in celeriter feliciterque expedienda cauſſa illa, quam Inuictiſſimus Rom. Imperator, Dominus meus Clemẽtiſſimus, coram potentiſſimo Daniæ Rege agendam, benigniſſime impoſuerat. Quia vero hoc tempore maius quid, præter

gratam

gratam tantorum meritorum memoriam præſtare non poſſum: Eam me fidem ſumma ſeruaturũ ſpondeo. Illud quoq; polliceor, dignis me laudibus coram Imperatoria Maieſtate promtitudinem ac humanitatem tuam prædicaturum. Interim vero dum re ipſa tibi me gratum exhibeam; intermittere non potui, quin priuſquam reliquum itineris commiſſi pertexam, literis hiſce gratias tibi agerem quam diligentiſſime; Quem oro, vt amiciſſimum illum, quem erga me cõcepit ac oſtendit affectum, porro propaget: & quoties occaſio dabitur, de valetudinis ac rerum ſuarum ſtatu (. quem ſemper florentiſſimum cognoſcere aueo.) ad me perſcribat. Ego viciſſim, quantum potero, omni amore ac officio reſpondebo. Vale quã feliciſſime. Segeberga. VIII. Cal. VIIIbr. An. 1594. ſecundum Faſtos Gregorianos.

IOANNES ADOLPHVS, DEI GRATIA, POSTVLATVS ET Electus Archiepiſcopus Bremenſis, & Epiſcopus Lubecenſis, Hæres Noruegiæ, Dux Sleſuici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comes Oldenburgi & Delmenhorſtæ, &c.

S. D. ſuamq; beneuolentiam ſingularem pollicetur.

HENRICO RANZOVIO, Produci Cimbrico.

NObilis ac fidelis, ſincere nobis dilecte. Literas tuas, quibus ſcribis, Legatos Regis Hiſpaniarũ hodie pernoctaturos Ieuenſtadii, & craſtino Mercurii die huc in vrbem noſtram Sleſuicum peruẽturos, *Epiſtola hæc e Germanico verſa eſt in latinum.*

recte accepimus, hoſpitium itaq; illis in dicta vrbe noſtra præparari curauimus, illorumq; felicem aduentum præſtolamur. Tuus quoq; acceſſus, quem nobis vna cũ opera & obſequio tuo reuerẽter offers, admodum erit gratus & acceptus: ſiquidem te clementia ac fauore ſingulari vere proſequimur. Datæ ex arce noſtra Gottorpio, V I I. Id. V I I I br. Anno Chriſti 1 5 9 4.

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO, S. D.

OTHO GVILIELMVS a Berlepſch.

NIhil vnquam, vir Illuſtris & Generoſe, magis in votis habui; q̃ illorum quoq; ad me deriuare luminum & numinũ radios; quibus aliqua cũ maiorib. meis interceſſerat familiaritas; aliquis amicitiæ vſus: & ſi talis vnquam mihi oblata fuit occaſio, ſummæ iſtud felicitatis, abſolutæq; proſperitatis habui ac repoſui loco. Qua igitur ſolemnitate, qua celebranda feſtiuitate mihi es aurea illa lux; quæ auream illam lucem Septentrionalis oræ; fulgidum illud Cymbricæ Cherſoneſi ſydus; tam fauſto, tam benigno vltro mihi repræſentas ortu? Tu tu

— *Albo ſignata lapillo*

Semper honore meo, ſemper celebrabere donis.

Sed quid diem? quid lucẽ? & hæc quidem muta? Te cõpello imo interpello, vir illuſtris; qui, vt primus hũc ꝓlixũ immerenti obtuliſti affectũ; ita pari reſpondẽti effectu animo affectuq; pro ſumma tua reſponde-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

bis in poſterum manſuetudine. Sit igitur, oro, perpetua & conſtans diffuſa illa tua in me gratia; nec Syrius eam lædat æſtus, nec Brumalis torreat hyems; ſuo ſed irrigata humore cœlifluo; influxuq; micantium humectata ſyderum, flores, fructuſq; ferat & gerat iucundiſſimos; qualis quæ ripæ eſt aſſita felix arbor,

Denſis ſuperbiens comis.

Sit etiam meus in te firmus & ſtabilis cultus; ſubmiſſio, obſeruantia. Hæc hæc nunquam reſideat victa: neq; tempus de ipſa, ſed de tempore ipſa triumphũ agat; erigat trophæum.

Vtq; viuat tua illa mihi & perpetua ſit felix gratia; tu illius auctor & fautor; viuas; vigeas, floreas, vireas; tu qui Cymbrici es tractus

Fulgida ſtella,

Stella, corona, decus;

Hæc ego opto; optanti annuat ſanctus illæ vitæ vegetator & auctor, Deo Deus cœternus Spiritus.

Donis illis tam gratioſe tranſmiſſis Memoriæ imprimis, patruo defuncto erectę; quod opponam non habeo, niſi animum, perpetuáq; eius gratitudinem, quem ipſum, atq; adeo me totum tibi do, dico, addico nexu indiſſolubili, vinculoq;, quod nihil rumpet, niſi atra mors. Vale Vir Generoſe, inceptaq; me tuarum admiratorem virtutum æternum complectere beneuolẽtia. Roslauia 24. Oct. Anno 1594.

D. RVDOLPHI II. ROMANORVM IMPERATORIS EPISTOla, ex Germanico, in Latinum ſermonem conuerſa.

AD *HENRICVM RANZOVIVM,* P. C.

NObilis, dilecte nobis fidelis. Cum illuſtris Princeps D. Chriſtianus eius nominis IV. Daniæ, Noruuegiæ, Wādalorum ac Gothorum electus Rex, Sleſuici, Holſatiæ, Stormariæ ac Dithmarſiæ Dux, Comes in Oldenburg. & Delmenhorſt, nobis inprimis charus, amicus & cognatus, te non ignaro, ad hoc præſens, cōtra Chriſtianæ Reip. hoſtem, bellum, aliquam argenti ſummam loco voluntarii ſubſidii, ad proximum diem Martini, iuxta vetus Calendarium, Lubecæ vel Hamburgi per te numerādam amice decreuerit, nobis autem numeratio huius argenti in vrbe Hamburga commodior, quam alibi accidat, Sacri Romani Imperii Quæſtori Chriſtophoro de Laſſo mādauimus vt aliquē eo ableget, qui argētum prædictum ſibi annumeratū huc ad nos tranſportari curet. Proinde clemētiſſime cupimus, vt numerationē huius p̄tii recepta ab iis noſtra apocha fieri cures, ac deinde hanc apochā vna cū duabus noſtris epiſtolis hiſce adiunctis ad prædictum Regem ac regni Senatores ac proceres dirigas. Quod probe te facturū non dubitamus. Hoc accidet nobis gratiſſimum, noſq; te beneuolentia Imperatoria proſequemur viciſſim. Datum in arce noſtra Regia Pragæ 4. No-

uembris

uembris Anno C.94. Imperii noſtri Romani vigeſimo, Hungarici vigeſimo tertio & Bohemici vigeſimo anno

Rudolphus

Ad mandatum Electi Domini Imperatoris proprium.

F Præfectus prætorii
Außhelm vom Velß

H. Porſius S.

CAROLVS COMES AB EGMONT PRINCEPS GAVriæ &c.

FERDINANDVS LOPES DE villanoua, Ioan. Nyekerke.

Dn. HENRICO RANZOVIO PROduci Cimbrico. S. P. D.

GEneroſe Nobiliſſime Domine Gubernator, Literas Tuæ ſtrenuæ Do. decimaquinta huius cum adiunctis recepimus, quibus honoris & fauoris erga nos vt præſentes, ſic abſentes affectionibus proſecutos, vt citius referendi poteſtatem, quam enumerandi materiam præſcindere videatur, agnoſcimus, quaſi non pari, quo debemus effectu, ſaltem quo poſſumus deſiderio & memoria, vbi & quando officio exigent celebrabimus, & nos omnes, vt ſe quiſq; in ſolidum obligatos, agnoſcimus, & confitemur, quibus pro viribus conabimur ſatisfacere & exſpectamus occaſiones nobis a G.D.T. offerendas & præſtandas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Ad res noſtras quod attinet hactenus, & iam diebus 8. continuis, hic hæremus tractati epulis regiis, regie, egregie & opipare, poſt quas nobis hodie aſpectus Regiæ Daniæ Maieſtatis in craſtinũ promiſſus, & dies audientiæ addicta; faxit Deus (quod ſperamus) ſua Maieſtas tali animo & reſolutione, noſtram æquiſſimam propoſitionem, intelligat ac reſoluat, qualem res ipſa meretur & fædus valeat. Hafniæ, hac vltima Octobris Anno. 94.

HENRICVS RANZOVIVS PRODVX CIMBRICVS S. D.

IVSTO LIPSIO.

ETſi, clariſſime Vir, Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis & Archiducis Auſtriæ Erneſti Legatus D. Neukirchius, cum Comite Eggemondano, & D. Ferdinando de Lopes, de Villa noua, ad Regem meum ſereniſſimum miſſus, ob ſingularem virtutem, prudentiam ac eruditionem ipſemet ſatis commendatus eſt: tamen tua quoq; commendatione fuit mihi gratiſſimus, eaq; humanitate in arce mea Bredenberga cum ſociis a me, vt decuit, acceptus. Pro tranſmiſſo libello de Cruce gratias tibi ago. Lectio enim eius tum vtilis, tum iucunda mihi fuit. Excuſationem tuam de diuturna ſcribendi intermiſſione accipio, ea tamen conditione, ne poſthac ſæpius illa vtaris. Literis enim tuis nihil mihi gratius accidere poteſt. Interim vale & valetudinis tuæ rationem habe.

Datæ Segebergæ 6. Nouembris Anno 94.

AD EPI-

AD EPISTOLAM D. RVDOLPHI ROM. IMPERATORIS Reſponſio Henrici Ranzouii, ex Germanico in Latinum ſermonem translata.

SEreniſſime, Potentiſſime ac inuictiſſime Cæſar, clemẽtiſſime Domine. Literas Imperatoriȩ veſtrȩ Maieſtatis tum ad Illuſtriſſimum, Potentiſſimumq; Principem ac Dominum D. Chriſtianum eius nominis quartum Daniæ, NorWegiæ, Wandalorũ ac Gothorum electũ Regem, Sleſuici ac Holſatiæ, &c. Ducem & Dn. meum clementiſſimum, tum etiam ad regni Danici Senatores ac proceres gubernationi præfectos deſtinatas, cum peculiari epiſtolio mihi inſcripto, ea qua maxime decet, reuerentia ac ſubiectione accepi, ac ſtatim iuxta Cæſareæ V. Maieſt. mandatum prædictas literas in Daniam tranſmiſi, ſimulq; argentum illud, quod Cæſareæ V. Maieſtati a Rege in ſubſidium voluntarium contra Turcam deputatum eſt, Sacri Romani Imperii Quæſtoris miniſtris in vrbe Hamburga poſtero die annumerari feci. Nam ſi veſtræ Cæſareæ Maieſtati in rebus etiam grauioribus opera mea vſui eſſe potero, experietur ea me quocunque tempore paratiſſimum, prout etiam ante aduentum literarum Cæſareæ veſtrȩ Maieſtatis tabellariũ verſus Pragam ad Cæſareæ veſtræ Maieſtatis Cãcellarium D. Freimontium ablegaui, ipſique per literas ſignificaui Regium argentum hic Segebergæ adeſſe, petiique, vt quamprimum id a me auocari curaret, quem nuntium iam propemodum Pragam veniſſe arbitror. Quod veſtræ Regiæ Maieſtati ea qua maxime decet ſubmiſſione reſpõdendum duxi. Ac hiſçe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Cæſareæ veſtræ Maieſtati a Deo opt. max. victoriam contra infenſiſſimum Chriſtianæ Reip. hoſtem ardentibus votis exoptans, me meosque in clientelam veſtræ Cæſareæ Maieſtatis perhumiliter commendo. Datæ Segebergæ, 11. Nouemb. Anno C. 94.

ILLVSTRIBVS, GENEROSIS NOBILIBVS AC PRÆCLARIS viris, Dominis Cancellariis ſenioribusque Conſiliibus, ſupremi conſilii atque Senatus Ducatus Brabantiæ, Lutzenburgiæ, & Limburgæ Dominis ſuis colendis.

ILluſtres, generoſi, Nobiles ac præclari viri, poſt promtam officiorum meorum delationem, celare vos nequeo, ſereniſſimi Regis Daniæ, Domini mei clementiſſimi, Conſiliarium & præfectum Arcis Hadersleblæ filium meum cariſſimũ, Gerhardum Ranzouium, ex itinere Belgico redeuntem, retuliſſe mihi, quod Generoſ. Dominat. veſtra, non ſolũ in exactione debiti, quo Antuerpienſes nobis obſtricti ſunt, ipſum parum iuuerit; ſed etiam attentauerit eundem per viam citationis compellere, vt coram vobis tanquam iudicibus incompetentibus, compareret, quod mihi tanto maiorem peperit admirationẽ, quod prudentia ac diſcretio V. Generoſ. Dom. iamdudum ab omnibus mihi prædicata eſt.

Generoſ. enim Dominat. V. nõ latet, vnumquemque coram eo Magiſtratu citandum eſſe, cui eſt ſubiectus, ſecundum vulgaria iura, quocirca hoc, pro hac vice, ſuo relinquendum loco putaui.

Quod ſi vero Antuerpienſes tantũ argenti quantum

tum vigore obligationum ſuarum Regiæque Maieſtatis Hiſpaniarum ſubſecutæ confirmationis, ab iis debetur, depoſuerint, inque nos coram noſtro magiſtratu, in competenti foro, intentauerint actionem, ad cautionem ſufficientem ipſis præſtandam hiſce literis me offero, nos cognitionem iudiciariam minime detrectaturos, vel recuſaturos, nihilominus, peramice rogantes, ne Generoſ. Dominat. veſtra in poſterum eiuſmodi proceſſibus nobis moleſtias exhibeat, ne litem faciat ſuam; ſed potius Antuerpienſes ſedulo hortetur, vt obligationibus ſuis a Sereniſſimo Rege Hiſpaniarum confirmatis ſatisfaciant, nec ſe cum alterius damno locupletent.

Sin vero Senatus Antuerpienſis vel etiam Dominatio veſtra, huic in contrarium aliquid molietur, quod in meum & meorum detrimentum ac preiudicium redundet, de hac re meliori forma iuris protector, me tacendo in id, nequaquam conſenſurum.

Denuo autem mihi de Generoſ. Dominat. veſtra polliceor, eam Senatum Antuerpienſem ſedulo monituram, ne debitam ſolutionem diutius differant, præſertim cum filius meus ex reditibus ſe plus remiſſurum declarauerit quam æquitatis ratio exigit, & iuxta limites mandati mei ipſi iniunctum fuit. Quod Generoſ. veſtræ Dominat. ſignificandum duxi,

Datæ ex arce Segeberga Nouemb.

12. Anno C. 1594.

Henricus Ranzouius Regis Daniæ Produx Cimbricus, ſuo ac filiorum ſuorum nempe Franciſci, Bredonis, & Gerhardi nomine, &c.

Poſtſcripta.

ILluſtres ac Magnifici Domini. Cum Illuſtris Veſtr. Dom. ratione officii iure teneatur, Antuerpienſes, ad debitam ſolutionem, compellere, nõ dubito Illuſtrem Dominat. Veſtram nomine ſereniſſimi Regis Hiſpaniarum id ſedulo curaturam. Si vero hoc non ſolum negligetur, ſed etiam illegitimo modo contra nos iudicialiter procedetur, lis ipſa in Dominationem veſtram deriuabitur, nosque etiam inuiti mediis, vigore Hiſpanicæ confirmationis contra Antuerpienſes conceſſis, etiam aduerſus veſtram Illuſtrem Dominationem, vti cogemur.

HENRICVS RANZOVIVS PRODVX CIMBRICVS, S. D.

IOANNI WOLFGANGO FREIMONIO AB OBERHAVſen ſacræ Cæſ. Maieſtatis Conſiliario intimo & Vicecancellario, &c.

ILluſtris, Nobilis, ac magnifice Domine Vicecancellarie amice colende: non dubito, quin magnificentia tua interea, dum hæc ſcribo, literas meas ſupe-riores,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

tiores, quibus ſuppetias nummarias inuictiſſimo Domino Imperatori a Sereniſſimo Rege meo decretas, & ad me miſſas eſſe ſignificaui, a Tabellario meo, quem ea vnica de cauſa ad vos miſi, recte acceperit. Iam porro Magnif. tuā ſcire volo, literas Sacræ Cæſ. Maieſtatis nuperrimas, vt & Nobilis Theſaurarii Imperialis Dn. Chriſtophori a Los, debito cum affectu me accepiſſe. Ex iis intellexi, quibus hominibus pecunia ſit Hamburgi numeranda. Quod negotium cum mihi inprimis curæ ſit, ſtatim operam dedi ſedulam, vt promoueatur, perque miniſtros meos æs Hamburgum transferatur. Illi perendie bona fide appendent iis, qui ibidem iam ſunt hac in re cum imperio. Hæc ad Magnif. tuam ſcribenda putaui, vt iſta cognoſcat, anxie me ſollicitū eſſe, & quidē ex debito de pia illa neceſſariaq; expeditiōe in immanes ac impios Turcas promouenda ac continuāda, vtpote, quæ diuini nominis gloriā inprimis; deinde Sacræ Cæſar. Maieſtatis honorem, & communis denique patriæ ſalutem concernit. Devm autem, a quo ſolo omnis palma deſcendit, ex animo precor, vt is exercitum noſtrum contra hoſtes animet, inflammet, roboret, vt acriter pugnando, viribus aduerſis fortiter fractis ac imminutis, & demum penitus proſtratis, ſuperior euadat. Qua in re quid ſubinde fiat in caſtris, quæſo Magnif. tua ſæpius (niſi graue fuerit) me certiorem reddat: vt ego hæc porro ad Sereniſſimum Regem meum, eiuſmodi rerum cupidiſſimū transferre poſſim. Ad noua quod attinet, his in oris habemus nulla, preterquam, quod ſuperioribus ſeptimanis Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis, & ſereniſſimi Archiducis Erneſti, Gubernatoris Belgici, Legati, Illuſtres, Generoſi, Nobiles & magnifici viri, Dn. Carolus, Comes Egmondanus, Dn. Ferdinandus Lopez, de Villa noua, Gubernator Cerpenſis, & Dn. Ioannes Neukirch I.V.D. hac ad Sereniſſimum Regem meum trāſiere,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

qui in itinere ſuo, ad me in arcem meam Bredenbergam diuerterunt. Hos vt Sereniſſimus Rex meus humaniter ac clementer accepit, audiuitq; ita benigne ac liberaliter habuit, qualiter nimirum tanto Rege, tanto Principe, a quo vtroque miſſi, dignum erat. Eorum reditum propediem in hac arce Regia exſpecto. Sed prolixior ſum, q̃ in Magnificétiam tuam eſſe decet, vtpote compluribus rebus ſubinde occupatiſſimam, quod tamen ne eadem ægre ferat, maiorem in modũ peto. Quod ſupereſt, Magnificentię tuæ, & per eius patrocinium, inuictiſſimo Imperatori, Domino noſtro clementiſſimo, me debita cũ reuerentia commendo. Vale feliciter, Illuſtris Domine. Ex arce regia Segebergæ, 12. Nouemb. Anno C. cIↃ. IↃ. XCIIII.

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO, S. D.

MARCVS VELSERVS Conſul Auguſtanus.

VIR Illuſtris, Domine obſeruande. Vereor ne in iſto ipſo quodammodo officii limine & aditu, modeſtiæ nõ admodum meminiſſe videar, qui ea auſim petere, quæ amicitiæ, longo vſu temporis, & multarum rerum experimentis confirmatæ, conuenire ſolent. Sed ambigenti tamen potius viſum, apud te, ſuſpicionẽ ſubire audaciæ, & temeritatis, quam, apud alios, ſuperbię & arrogantiæ crimine damnari. Addebat animum ſpectata tua humanitas, quæ cæca nimirum in amicorũ vitiis futura ſperabatur. Petenti itaq; Iacobo Velſero Philippi filio, gentili meo, commendatitias ad te literas denegare nolui. Qua in re tua illi

amplitudo

amplitudo & auctoritas vſui eſſe poſſit, ex ipſo recte intelliges. Ego te etiam atque etiam oro, ne iuuenis, indolis vti videtur non malæ, qui ſibi aliquid præſidii in tuæ verſus me beneuolentiæ propenſione conſtituit, ſpe ſua falſus exiſtimetur.

Puto ad te perlatas imagines Fuggerorum familię, opus quanquam neque imaginum numero abſolutum, neque elogiis adhuc illuſtratum, arrhæ loco a Philippo Eduardo Fuggero, cuius potiſſimum ſtudio elaboratur, ad te miſſum, quod nihil præterea literatum ad manus eſſet, quo nobilem tuam Bibliothecam carere conſtare poſſet. Vale vir Illuſtris, & me in tuis numerare perge. Auguſtæ Vind. 16. Nouemb. Anno cIↃ. IↃ. XCIIII.

SERENISSIMO PRINCIPI, DOMINO ERNESTO, ARCHIDVCI Auſtriæ, & Belgicarum prouinciarum Gubernatori, &c. S. D.

HENRICVS RANZOVIVS Produx Cimbricus.

Sereniſſime ac Illuſtriſſime princeps, Domine clementiſſime: cum intellexerim, equos Danicos in Belgio præ cæteris probari, non intermittere volui, quin Seren. Veſtræ iſtius generis equum ſex annos habentem, per harum exhibitorem puerum meum, in cultus ac obſeruantiæ ſignum, mitterem. Et quanquam is equi Hiſpanici ſpeciem habere videatur; e meo tamen ipſius equili prodiit, qui vt Seren. tuæ integer ac ſaluus tradatur, maximopere optatim. Id ſi fiat, non dubito, quin Serenitati veſtræ haud omnino ingratus ſit futurus, quam ſubmiſſe oro, vt tenue

hoc munus clementer a me accipere, meque illuſtri fauore ac gratia proſequi dignetur. Quod ſi Serenitati veſtræ quibuſcunque rebus inſeruire potero, eidem omnia obſequia ſubmiſſe defero. Quod reſtat, Serenitatem veſtram DEO Opt. Max. fideliter commendo, qui eam florenti in ſtatu diutiſſime incolumem conſeruet. Datæ ex arce regia Segeberga, 22. Nouemb. Anno Chriſti M. D. XCIIII.

HERMANNVS WARNEBVCH, CONSVL REIP. LVbecenſis, & V. I. Doctor S. P D.

HENRICO RANZOVIO, Produci Cimbrico.

NObilis & magnifice Domine Produx, Domine & amice colende, præmiſſa ſtudiorum meorum oblatione, & voto ob auſpicatiſſimum ineuntis anni 1595. initium, magnificæ Dominationi tuæ ſignifico, heri redditas mihi eſſe literas tuas, cum adiuncto illis Calendario Ranzouiano.

Quod ipſum cum maxima ſui parte, quantum eius per feſtinationem facere licuit, ſtatim euoluiſſem, inſignem eius doctrinam, gratam ſuauitatẽ, vtilitatem multiplicem facile deprehendi.

His nominibus maxima laus Magnificæ Dominat. tuæ debetur, cuius auſpiciis, laboribus, impenſis, vt iſtud prodierit, nec Illuſtris ille dignitatis equeſtris ſplendor, nec laborioſa Reip. adminiſtratio, nec cana denique ætas ad ſeptuageſimum iam producta annum, impedire potuit.

Vicit

Vicit nimirum ac peruicit ardens tuum de vniuerſa re literaria, ac imprimis Aſtronomia & Medicina bene merendi ſtudium. Quo effectum eſt, vt grata poſteritas, cuius vſibus editione tam eruditorum librorum bene proſpicitur, immortales ſit habitura grates, & dignis nomen tuum encomiis æternum celebratura.

Ad me quod attinet, Magnificæ tuæ Dominationi pro beneuolentia pręclara, qua erga me affecta eſt, & ex hac mente donato mihi Calendario ſummas ago gratias, iſtũque librum non ſolũ in tenui bibliotheca mea ſtudioſe aſſeruabo ac tuebor: verũ etiã lectionem eius præ cæteris commendatam mihi ac caram eſſe ſinam. Quem quidem gratum animum meum ſi opere aliquo declarare, ac Magnificæ tuæ dominationi cõmode inſeruire potero, occaſionem quando cunque oblatam, quam auidiſſime amplectar.

Deus Magnificam tuã dominationẽ incolumem ac florentem conſeruet quam diutiſſime, pacatam ac ſalutarem gubernationem concedat, multoſque ætati grandæuæ annos clementer adiiciat. Datum Lubecæ, 20 Decembris A.C. 1594.

IOACHIMVS FRIDERICVS
Dei gratia,

POSTVLATVLATVS ADMINISTRATOR PRIMATVS ET Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, Marchio Brandeburgenſis, Dux Boruſſiæ, &c. S. D.
cum ſinceræ beneuolentiæ ſignificatione

HENRICO RANZOVIO Produci Cimbrico.

NObilis ac Strenue, admodum nobis dilecte: Magnopere optamus, dari quamprimum occaſio- *E Germanico conuerſa.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

nem commodam, qua te poſt tam longum temporis interuallum videre, ac beneuolentia ea, qua abſentem proſequimur, præſentem complecti poſſimus.

Cui deſiderio noſtro cum hoc tempore aliter ſatisfacere ipſi nequeamus; aſſiduo ſaltem voto, pro incolumitate tua, honorumque ac annorũ augmentis concepto, ſedulò id pręſtamus. In huius propenſi animi noſtri indicium non intermittere potuimus, quin eius teſtificandi gratia, hæc ad te ſcriberemus. Quemadmodum enim noſtræ familiæ Brandeburgicæ incrementum, ſalutem & dignitatem diligenti tibi curæ eſſe certo ſtatuimus: ita te viciſſim a nobis ſincere diligi, tibi penitus de nobis perſuaſum habeas velimus.

Porro ad te perlatum eſſe putamus, quibus de cauſis ordinibus Saxoniæ inferioris comitia indicta ſint, Halberſtadii anno inſtante 1595. prid. Id. Ian. habenda: in quibus (quod & in omnibus aliorum tractuum conuentibus futurum eſt) S. Cæſ. Maieſt. Dominus noſter clementiſſimus per legatos ſuos vlteriorem deliberationem de bello Vngarico proponi curabit. Ad quæ comitia ſapientes rerumque ciuilium peritos adhiberi, Reip. Chriſtianæ admodum intereſt, vt horum prudenti conſilio, eo ſagacior & accuratior de ſalute patriæ conſultatio inſtitui poſſit.

Ex horum numero cum generum quoque tuum, Benedictum Alefeldium, virum diſertum ac prudentem, eſſe ſciamus: operam nobis pergratam, ipſis vero rebus perutilem facturus eſſes, ſi tuo inſtinctu ac monito Sereniſſimus Rex Daniæ ipſum ablegaret, vt is regiæ ſuæ maieſtatis nomine concilio iſti intereſſe poſſet. Hoc, quantum poteris, diligenter te promoturum, nobis, pro clementia illa, qua nobis imprimis es commendatus, pollicemur. Vale. e Salinis Saxonicis XXI. Decembr. A.C. 1594.

ILLV-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ILLVSTRI NOBILI AC MAGNIFICO DN. IOANNI WOLFgango Freimonio ab Oberhauſen, Dn. in Muhlfelden & Herſchingen S. Cæſ. Maieſt. Conſiliario intimo & vicecancellario amico ſuo colendo.

ILluſtris, Nobilis ac magnifice vir, Domine colēde, vt Dom. tua perſpiciat nihil mihi gratius eſſe, quam vt amicitia, quæ inter Dominationē tuā & me nuper conflata eſt, crebris literis conſeruetur, nonnihil ad eam ſcribendum duxi. Cum aut nihil aliud ſcriptu magnopere dignum hoc tempore occurrat, D. T. latere nolo sereniſſimi ac potentiſſimi Regis Hiſpaniarum, nec nō D. Erneſti Archiducis Auſtriæ eiuſdem Regis gubernatoris Belgici legatos, nempe generoſum DD. Carolum Comitem Egymontanū Dominum Ferdinandum de Lopes de Villanoua gubernatorem Carpenſem, ac D. Ioh. Neukerchium iuris Licēt. ex aula Danica reuerſos apud me heri pernoctaſſe, ac me ex iis haud obſcure intellexiſſe illos ab inclito Rege Daniæ domino meo clementiſſimo non ſolum perhumaniter fuiſſe exceptos ac tractatos & aureis catenis ornatos, ſed etiam ad mandata Domini ſui benignum ac optatum obtinuiſſe reſpōſum, ita vt non exiguam conceperint ſpem ipſum tractationi de pace minime defuturum ſi quid certi dominationi tuæ occurrit de rebus Vngaricis peramice peto vt dominatio tua me quam primum certiorem faciat, ac meam in ſcribendo importunitatem boni conſulat. Etſi enim nouerim te variis negotiis obrutum eſſe, tamen fiducia tuæ erga me beneuolentiæ fretus quin te meis literis interpellarem intermit-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

tere non potui. Interea dominationem tuam Deo immortali cōmendo. Datę Segebergæ 22. Nouemb. ſtylo veteri. Anno M.D.LXXXXIIII.

FRANCISCVS, DEI GRATIA, DVX SAXONIÆ, ANGARIÆ & Weſtphaliæ S. & conſtantem beneuolentiam mittit

HENRICO RANZOVIO Produci Cimbrico.

E Germanico conuerſa.

NObilis & fidelis, ſincere nobis dilecte: Quod ex bello Vngarico, diuino beneficio, tuti & incolumes ad ditiones noſtras redierimus, ex aliorum relatu iamdudum te ſcire, haud dubitamus.

Etſi autem pro noſtro in te beneuolenti animo æquum foret, vt te ſpoliis quibuſdam ab hoſte reportatis donaremus: tamen proculdubio te cognouiſſe arbitramur, tantum abfuiſſe, vt expeditio ſuſcepta lucro nobis ac emolumento fuerit, vt contra, curribus ac impedimentis noſtris ab hoſte direptis, damnum haud exiguum dederit. Nihilominus tamen, vt ſignificatione aliqua noſtram in te gratiam teſtatam faciamus: Scythicam Equam gradariam, per quam leni greſſu euntem, laboris inſuper patiētem, & cruribus firmam, quam, cæſis Scythis, inter manubias peculiari quaſi dono accepimus, eaque aliquandiu ipſi vecti ſumus, ad te tranſmittimus. Cuius generis equis, licet humilioribus & exilioribus, cum te gaudere, atque antehac etiam libenter vſum eſſe viderimus, eo minus hanc ingratam fore confidimus. Clementer autem velimus, vt hoc donatiuum non ab ipſo eius pretio, ſed noſtri donātium animo æſtimes

mes

mes, ac proinde æqui bonique accipias, in noſtri honorem nonnullo tempore alas, eoque vtaris.

Ephippium & cæteras equæ phaleras, quibus inſtructa Scytham equitem vexit, perlibẽter vna trãſmiſiſſemus, vt noſtræ huius expeditionis aliqua ad poſteros tuos exſtaret memoria, niſi in direptione impedimentorum noſtrorum cum cæteris erepta fuiſſent. Itaque ſolum lupatum Scythicum equa ſecum affert, nec alio, niſi eo ipſo frenari poteſt, ſeſſoremue patitur. Hunc ſingularis noſtri in te fauoris, qui ſemper erit certus ac conſtans, teſtem eſſe volumus. Vale. Dabantur ex arce noſtra Razeburgo, XVI. Ian. A.C. 1595.

HISPANIARVM REGIS PHILIPPI, ET ARCHIDVCIS AVſtriæ Erneſti gubernatoris Belgici, &c. ad Regem Daniæ, Legati

CAROLVS COMES EGMONDAnus Princeps Seueræ, &c.

FERDINANDVS LOPES DE VILLA noua, gubernator Carpenſis:

Et

IOHANNES NYEKERKE, I.V.D.

S. DD.

HENRICO RANZOVIO Produci Cimbrico.

GEneroſe, Nobilis, & Magnifice Domine; multa ac magna fuerunt illa beneuolentiæ ac humani- *Epiſtola hæc verſa eſt e Belgico idio*

mate in Latinum.

tatis officia, quæ dominatio tua binis vicibus, & in arce ſua Bredenberga, & in regia Segeberga, non ita pridem nobis præſentibus exhibuit. Itaque non ſolum grata mente ea agnoſcimus ac recẽti ſubinde memoria fouemus; verumetiam dominationi tuæ gratias quam maximas agimus: Relaturi, quacunque in re dominationi tuæ, eiuſdem natis, adeoque illuſtri generi totique domui prodeſſe poterimus. Inprimis vero noſtrum erit, coram potentiſſimo Hiſpaniarum Rege, ſereniſſimoque Archiduce, Erneſto, Dominis noſtris clementiſſimis, eo, quo decet elogio beneficia iſta meminiſſe ac ornare, tuamque dominationem de meliori nota commendare. Nec dubitamus, & Regem & Archiducem clementi ac beneuolo affectu iſtam voluntatem tuam agnituros. Quod reliquum eſt, miniſtrum, quem dominatio tua in regnum Daniæ abeuntibus ac redeuntibus adiunxerat, quique operam ſuam nobis egregie ac fideliter præſtitit, eidem remittimus, ingenteſque gratias habemus; obnixe orantes, vt ſi qua inciderint, ad quæ dominatio tua eiuſdemque filii ac cognati opera atque auxilio noſtro indigeant, nobis vniuerſis ac ſingulis ne parcant, ſed libere atque audacter vtantur. Nos profecto vt in nobis quid iuſte deſideretur, nunquam committemus. Id quod dominatio tua de nobis certo ſibi perſuaſum habeat. Dominationis tuæ filio ac genero, Domino Gerardo Ranzouio, & Domino Benedicto Alefeldio ſalutem ac ſtudia noſtra adſcribimus. Heri ad nos Bruxellis perſcriptum eſt, Legatos Anglicos eo ad ſereniſſimum Archiducem noſtrum aduenſſe. Hiſce dominationem tuam Deo Opt. Max. ardentibus votis commendamus. Dabantur Lubecæ IV. Decembr. A.C. CIↃ.IↃ.XCIV. ſtylo correcto.

NICO-

NICOLAVS BIELKE, SENATOR REGNI Suecici S. D.

HENRICO RANZOVIO Produci Cimbrico.

NObilis ac Magnifice Domine RANZOVI, amice mihi plurimum dilecte. Si tu, cum tuis vales ac flores, magnopere gaudeo: Ego, Dei benignitate, mediocri adhuc tum valetudinis, tum rerum ſtatu fruor.

Epiſtola hæc verſa eſt, ex Germanico in Latinum.

Cum hanc ad te ſcribendi occaſionem obtuliſſet Dithmarſus ille, qui negotiis ſuis, quæ hic habuit, in tui honorem, patrocinio meo, prout petebas, feliciter confectis, ad vos redit: pro ſumma neceſſitudine noſtra intermittere non potui, quin illam cupidiſſime amplecterer. Ac primum quidem ſcire te velim, recte mihi traditos eſſe libros a te editos, quorum partem, vt volebas, illuſtriſſimo principi Carolo, Duci Sudermanlandiæ, domino meo clementiſſimo, cum mentione cultus & obſequii tui decenter obtuli, Cuius Celſitudo & accepit eos benigne, & gratias tibi agi iuſſit, clementem ac beneuolum affectum, quo te proſequitur, teſtatura, quamprimum tibi gratificandi locum & tempus nacta fuerit. Pro reliquis, quos mihi aſſignaueras, gratias ago atque habeo amanter quam maximas. Ac vt opere aliquo me tibi gratum oſtendam, mitto duo cornua Rangiferi: Rangifer Germanis ein Riehe, eſt animal quadrupes, ex ceruorum genere, cornibus altis, amplis, & multa ramorum ſerie diffuſis, nec tamen robuſtis, curſu velociſſimum, frequēs apud Lappos, Norvvegos, & Suecos, quod captum manſuefaciunt, trahiſq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

adiungunt, inſtar equorum, iiſque per montes, niue tectos, & mare cõgelatum, ſumma celeritate vehuntur, triginta annos habentia, cuius generis iam antea quoque bina miſeram, non tamen æque pulcra. Hæc vt, in mei memoriam, aliqua in arce tua ſuffigas, bonique conſulas tam diu, donec præſtantiori aliquo dono animũ tibi meũ luculẽtius probem, diligẽter oro.

Porro negotium mihi quoddam eſt in Germania veſtra, ad quod tua opera plurimum mihi prodeſſe poteris. Ante aliquot etenim annos Balthaſaro Schavven filio, certum pondus auri & gemmarum ad κειμήλια nonnulla in veſtris oris fabricanda tradidi. Quia vero præfati Schavven parẽs, diem ſuum obiiſſe dicitur; ipſe autem filius iam non amplius hoc in regno commercia exercere ſolet, neque tamen ego rebus iſtis, quarum pretium centenos aliquot taleros ſuperat, carere velim: ideoque maiorem in modum peto, vt Luneburgam, vbi is nunc viuere dicitur, ad Senatum meo nomine ſcribas, vt ipſum ex officio ad reſtitutionem tam auri quam gemmarum, in quibus fuit inſignis quidam Adamas, compellat. Hoc mihi tam feceris gratum, quam quod gratiſſimum: cui vt pares referam grates, ſedulo annitar.

Noua hic nulla alia ſunt, quam quod a Rege noſtro Legati nuper ad Moſcouitã miſſi ſunt, vt de pace tractarent; verum actionem fruſtra inſtitutam audimus, quãuis ipſe Moſcouita a pace nõ admodũ abhorreat. Si quid nouarum rerum apud vos eſt ex Gallia & Belgio, inprimis autem ex Vngaria, de bello Turcico, ad me quæſo perſcribas.

Deus te, cum coniuge, filiis, ac tota domo incolumem & florẽtem conſeruet. Datæ Stocholmii x. Kal. Octobris. A.C. cIↃ. IↃ. XCIV.

(Hic Nicolaus Bielke, Senator regni Sueciæ, duxit ſororem Reginæ, poſterioris coniugis Iohannis, Regis Sueciæ; vir auitæ nobilitatis, & pręclaræ iam in

regno

regno illo auctoritatis. Is bello Suecico ab Henrico Ranzouio prope Roſtochium captus fuit, & ſub libera cuſtodia in ſeptimum vſque annum Segebergæ detentus. Facta autem pace ab eodem libere dimiſſus, & cum Admiralio Danico, Iacobo Brockenhuſio, quem Sueci ceperant, in vtriusq; gratiam permutatus. Ex qua beneuolentia, illa poſtmodum ſingularis inter Producem & ipſum amicitia exorta eſt.)

HENRICVS RANZOVIVS PRODVX CIMBRICVS, S. P. D.

NICOLAO BIELKEN, SENAtori regni Sueciæ.

NObilis & magnifice Domine, amice mihi plurimum dilecte, ad 8. Kalend. Decemb. per noſtratem illum mercatorem accepi literas tuas cum cornibus Rangiferi, quæ mirum in modum grata & cara habeo. Non etenim memini, vnquam me pulcriora aut præſtantiora vidiſſe, quam illa ipſa. Accedit ad venuſtatem & quantitatem illorum, pondus aliud longe grauius, quod ab animo mittentis afferunt, quem ſcio ſincere me amare & conſtanter, quamuis tanto locorum interuallo ſemotum. Oſtendiſti hunc amorem alio inſuper argumento haud exili, quod nimirum noſtratis illius cauſam, quã tibi nuperrimis meis commendaueram, promte adiuuiſti. Et neſcit ciuis ille noſter, quibus verbis humanitatẽ ac patrocinium tuum, ipſi exhibitum, ſatis prædicet. Vtroque merito arcte me tibi deuinctum eſſe agnoſco libenter, ac gratias proinde ago, referamque ipſo opere, quamprimum tui iuuandi ornandiue dabitur copia. Quod ſi

partem huius debiti exoluere potero, auro gemmiſque tuis a Balthaſaro SchaWen recuperandis, non patiar in me ſtudium deſiderari. Et iam tum cum has ad te darem, ad Conſules Luneburgenſes in cauſa illa ſcripſeram, quos ſcio, pro amicitia, quæ mihi cum illis intercedit, officium ſuum recte facturos, & quicquid poterunt, effecturos. Quamprimũ reſponſum ab iſtis accepero, faciam te certiorem. Cornua Rangiferi, ex voluntate tua, in primario quodam conclaui arcis meæ Bredenbergenſis, cum inſignibus tuis, in gratam tui recordationem, & vt poſteritati quoque ſumma illa neceſſitudo noſtra innoteſcat, affigi curabo. Ex Vngaria nuntiant, in caſtris hoſtium & homines & iumenta peſte emori magno numero. Quid aliud inde colligamus, quam ipſum quoq; Deum hac graui peſtilentia pro nobis pugnare, non minus ac pro Theodoſio, turbinum flatibus in hoſtem immiſſis? Deus illa noua rata faciat, & cauſam ſuam ne deſerat, oro. E Galliis ſcribunt Regis Hiſpani exercitum obſediſſe Cameracum; a quo vt Rex Galliarum hoſtem depellat, eum aliquã partem exercitus, quem confœderati Hollandiæ ordines alunt, iure fœderis euocaſſe. His in oris pleraque tuta, tranquilla, ſalua.

Vale, mi cariſſime amice, & me amare ne deſine. Scriptæ ex arce regia Segebergæ, 4. Calend. Decemb. A. C. M. D. XCIIII.

EPISTO-

EPISTOLA INVICTISSIMI IMPERATORIS D. RVDOLPHI ad fratrem Erneſtum Archiducem Auſtriæ, &c. ex Germanico in latinum conuerſa, Segebergæ exhibita 10. Decemb. Anno cIↃ. IↃ. XCIIII.

ILluſtriſſime illuſtriſſimiq; generis Princeps ac frater humaniſſime ex adiuncto libello ſupplice Humanitas veſtra liquido cognoſcere poterit, quanto ſubmiſſionis ſtudio noſter ac ſacri Rom. Imperii fidelis Benedictus Alefeldius, nomine parentis ac ſoceri ſui Henrici Ranzouii ad nos ſcripſerit, ratione ingentis debiti, quo Antuerpienſes ipſi ſunt obſtricti.

Etſi autem in cauſa debiti tam liquidi erga humanit. Veſtr. interceſſione noſtra haud magnopere ſit opus, tamen cum ipſi non parum eam momenti ad impetrandam ſolutionem allaturam ſperent, nec non iidem amici ac cognati noſtri cariſſimi Regis Daniæ conſiliarii ac miniſtri, tum etiam noſtri, ac ſacri Romani Imperii ſubditi exſiſtãt, hanc ipſis denegare noluimus. Proinde amice petimus vt human. Veſt. hoc negotiũ, prout ęquum ac fas eſt, promouere dignetur, vt citra tergiuerſationem ac moram huius debiti ſolutionem obtineant, ac interceſſione hac noſtra reipſa fruantur. Hoc nobis accidet gratiſſimum ac human. veſtræ viciſſim fraterna animi affectione ſumus addicti. Datum Ratisbonæ 17. Auguſti, Anno cIↃ. IↃ. XCIIII.

FRIDERICVS II. DEI GRATIA, DANIÆ, NORVVEGIÆ, VANdalorum, Gothorumque Rex, Dux Sleſuigæ, Holſatiæ, Stormariæ ac Dithmarſiæ, Comes Oldenburgi & Delmenhorſtæ, &c. S. D.

FRANCISCO DE VERDVGO.

Literæ tuæ Groningæ, 7. Februarii datæ a Nobili dilecto Stenone Maltzio nobis ſunt redditæ, quibus quam eximium virtutis ſpecimen edere, quantoque dono nos afficere volueris, perſpicue cognouimus. Et virtutem quidem tuam merito, vt decet, probamus & clementiſſime amplectimur, donumque egregium hominis militaris vaſalli noſtri, ab egregio & nobili militum Duce profectum, quam clementer accipimus, viciſſimque gratiam & fauorem noſtrum Regium tibi benigne deferimus, dataq; occaſione hoc officium tuum, quod ſane maximi facimus, maiore aliquo beneficio rependere non obliuiſcemur, interim vero dum hæc ſeſe offerat, declarandæ beneuolentiæ noſtræ nomine equum Danicum, e propriis noſtris equis creatum, nondum quidem ad labores equeſtres exercitatum, ſed tamen, vt opinamur, aptum, vna cum torque aureo, appenſaque noſtra effigie, per hunc miniſtrum meum ad te mittere voluimus. Quæ vt Regii grati animi teſtimonium interea eſſe velis, clementer contendimus. Noſque ad maiora virtutis tuæ præmia, qualicunq; oblata occaſione, benigne offerimus. Datæ Cronenburgo 29. Martii, Anno 1586.

IOACHI-

IOACHIMVS FRIDERICVS
DEI GRATIA,

POSTVLATVS ADMINI-
STRATOR PRIMATVS ET AR-
chiepiſcopatus Magdeburgenſis, Marchio Brande-
burgenſis, Dux Boruſſiæ, &c. S. D. cum
ſinceræ beneuolentiæ ſigni-
ficatione

HENRICO RANZOVIO,
Produci Cimbrico.

NObilis, ac ſtrenue, admodum nobis dilecte, magnopere optamus, dari quam primũ occaſionẽ commodam, qua te poſt tam longum temporis interuallum videre, ac beneuolentia ea, qua abſentem proſequimur, præſentem complecti poſſimus. Cui deſiderio noſtro cum hoc tempore aliter ſatisfacere ipſi nequeamus; aſſiduo ſaltem voto pro incolumitate tua, honorumq;, ac annorum augmentis concepto, ſedulo id præſtamus. In huius propenſi animi noſtri indicium, non intermittere potuimus, quin eius teſtandi gratia hæc ad te ſcriberemus. Quemadmodum enim noſtræ familiæ Brandenburgicæ incrementum, ſalutem, & dignitatem tibi curæ eſſe diligenti, certo ſtatuimus: Ita te viciſſim a nobis ſincere diligi, tibi penitus de nobis perſuaſum habeas velimus. Porro ad te perlatum eſſe putamus, quibus de cauſſis Ordinibus Saxoniæ inferioris Comitia indicta ſint, Halberſtadii anno inſtante 1595, prid. Idus Ian. habenda: in quibus (quod & in omnibus aliorum tractuum conuentibus futurum eſt) S. Cæſ. M. Dominus noſter Clementiſſimus per legatos ſuos vlte-

riorem deliberationem de bello Vngarico proponi curabit. Ad quæ comitia Sapientes, rerumque ciuilium peritos adhiberi, Reip. Chriſtianæ admodum intereſt, vt horum prudenti conſilio eo ſagacior, & accuratior de ſalute patriæ conſultatio inſtitui poſſit. Ex horum numero cum generum quoque tuum Benedictum Alefeldium, virum diſertum, ac prudentem eſſe ſciamus: operam nobis pergratam, ipſis vero rebus perutilem facturus eſſes, ſi tuo inſtinctu, ac monitu Ser. Rex Daniæ ipſum ablegaret, vt is R. S. Maieſtatis nomine concilio iſti intereſſe poſſet. Hoc, quantum poteris, diligenter te promoturum, nobis, pro Clementia illa, qua nobis imprimis es commendatus, pollicemur. Vale. E Salinis Saxonicis XXI. Decembr. Anno Chriſti 1594.

EPITAPHIA LIBERORVM ALIQVOT GENEROSI & Nobilis Viri D. Henrici Ranzovii, Producis Cimbrici, &c. cum aliis nonnullis Epigrammatibus cognati argumenti:

Auctore

IOAN. LAVTERBACHIO P. Cor.

Sanctus viuit mortuus.

CAIVS PARENTI.

Æterna vitæ Sanctus intrat gaudia.

Syr. 42. *Vita hominũ durat breue, quamuis optima, tempus,*
Parta pio & meritis fama perennis agit.
Quam pietas, meriti quam conciliauit honeſtas,
Dum mihi parta fide fama ſuperſtes humo:

Tran-

Tranquillo perfer mentem, Pater optime, vultu,
Me qui non vltra paſſus in orbe Dei.
Qui ſapiens vtero corpusq; animamq; figurat, Pſal. 139.
Dat certos vitæ, certaq; fata, dies.
Nullius tranſit fines ſolertia metæ, Iob. 14.
Fixa necem, quiuis, cum venit hora ſubit.
Sat mundo vixi, perfunctus honoribus autem,
Nunc felix Chriſti ſuaue quieſco ſinu.
Ingreditur vitam, moriens qui migrat ab orbe,
Imbutus ſana cognitione Dei.

Iuſtus felix. Sap: 4.

ALIVD DE EODEM.

Eſt in quiete iuſtus occumbens celer.

NOBILIS *hic Caius Ranzoum ſanguine dormit,*
Iuxta amitam atq; auiam qua requieſcit Auus.
Relligione pia nutritus & artibus, æuum
Tranſegit, Regum lausque, ducumque decus.
Multorum didicit terras & regna peragrans,
Perfecta linguas cognitione loqui.
Danorum, patriam repetens, adſcitus in aulam,
Inter honoratos pars fuit ampla viros.
Mandata expediit, cum magno regis honore,
Legatus Parmæ iuſſus adire Ducem.
Hinc vbi Gottorpa, præfectum Ianus Adolphus
Bremenſis Præſul, fecit in arce ſuum;
Bulentamq; idem legit, cito febre peremtus,
Ad ſuperos abiens mente, reliquit humum.
Mors iuſti præcox non deploranda, ſalute
In Chriſto, felix poſſidet aſtra fide.

Pietas & virtus æternæ.

ALIVD.

Pietas, perire, fama, virtus, non ſinunt.

QVID tumulo pietas, quid virtus, fama queruntur?
Miſta quid aduerſo templa dolore ſonant?
Inſignis claro ploratur nomine Caius,
Cui de Ranzouia nobilitate genus.
Ingenii ſpecimen doctus vix præbuit aulis,
Conſilio, vita, relligione, fide.
Inuida mors iuuenem terris inuidit, & illum
Regibus eripuit principibusque ſolo.
Non pietas, virtus, fama hunc, ſed & aula parentes,
Cum patria, agnati, ſponſa, domusque gemunt.
Quem patria, agnati, ſponſa & Domus, aula, parentes,
Quem pietas, virtus, fama ſerena dolent,
Æternum ante Deum, mortales viuit & ante,
Non pietas, virtus, fama perire ſinunt.

Mors depoſitio Tabernaculi.
2. Pet. 1.

CAIVS RANZOVIVS

REVERENDISSIMI ARCHIEpiſcopi Bremenſis, & Antiſtitis Lubecenſis, Ioannis Adolphi Ducis Sleſwici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, &c. Conſiliarius ac præfectus arcis Gottorpienſis pie in Chriſto defunctus loquitur.

Lethum ruinoſæ domus ſolutio.

DETRITAM quiſquis deponit corpore veſtem,
Se qua circumdat gaudet habere nouam.
Egreditur quisquis minitantia tecta ruinam,
Ad conſtructa recens pectore lætus adit.

De

De certo Genius monuit quod tempore lethi,
Me, de Ranzouia nobilitate ſatum,
Caius ego lætor, purgato ſanguine Chriſti
Sunt peccata mihi cuncta remiſſa Deo.
E fragili cedens vita per mortis agonem,
Ingredior vitam, quæ ſine labe, nouam.
Ne ſanctam, cari, mortem lugete, parentes,
Quosve capit mæſto pectore cura mei.
Depono ventis exeſam ac imbre tabernam,
Adq; Dei migro, quæ nitet axe, domum.
Vera tabernaculi mors eſt deſtructio, Chriſtus
Ornatu reddit ſplendidiore domum.

Baptiſmo felicitas. Ioan. 3.

THEODORICI RANZOVII, EPITAPHIVM.

Felix aqua renatus atque ſpiritu.

HIc *Theodoricus, puerili raptus in æuo.*
Ranzouia, requiem, ſtirpe creatus, habet,
Filius HENRICI, *qui munia plurima Regis,*
Et magno Dani tractat honore vices,
Æternum didicit complecti pectore Chriſtum,
Peccatum cuius diluit omne cruor.
Nunc puer in Chriſti complexu ludit, & hæres
Atherea ſaluus gaudia ſede colit.
Mortuus in Chriſto viuit pars magna ſalutis,
Qui ſacro flatu, quiue renatus aqua.

Fide ſalus. Ioan. 3.

EIVSDEM GENIVS.

Qui credit in Chriſtum ſalutis particeps.

TRAXIMVS *a prima labem quod origine matris,*
Subiecti gelidæ viuimus orbe neci,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

„ *Polluta præbens hominis ſtipendia maſſæ,*
Mors ſtimulo nulli parcit vbiq; ſuo.
„ *Quæ mortem ſequitur ſua condemnatio tollit,*
„ *Praua niſi in Chriſto cuncta remiſſa fide.*
„ *Nulla mihi labes, mors, condemnatio nulla,*
„ *Iuſtitia in Chriſto, vita, ſalusq; datur.*
„ *Non videt æternam mortem, qui credit* IESV,
„ *Per mortem cæli gaudia ſaluus init.*

Iuſtus immortalis. Sap. 4.

IOANNIS RANZOVII, NOBILIS HOLSATI, HENRICI Producis Cimbrici, filii.

Translatus e terris pius cœlos adit.

„ IMMATVRA *hominis iuſti mors eſſe putatur,*
„ *Ceu flos, ætatis cum cadit ante dies.*
„ *Non immatura eſt, in cognitione ſalutis*
„ *Dum cecidit, ſuperum cernit amœna throno.*
„ *Crinibus ætatem canis dignamur honore,*
„ *Ordine quæ numerat tempora longa ſuo.*
„ *Plus quæ prudenti cognouit mente ſalutem,*
E vultu mores candidiore probat.
„ *Eripitur mundo pius, vt diſcedat iniquis,*
„ *Ne fallat praua cor pietate malus.*
„ *Corrumpunt rectos exempla leuiſſima ſenſus,*
„ *Antiquæ vt renuant ſimplicitatis iter.*
„ *Creber Ioannes Ranzo dum lytron* IESVM
Confeſſus, Iuuenis peſte reliquit humum:
„ *E terris geminos cœli tranſlatus ad axes,*
„ *In Domino tempe cœlica ſaluus habet.*

Cœlum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Cœlum Patria.

DE EODEM IOANNE RANZOVIO.

Solum relinquens, hoſpes, intrat patriam.

FILIVS HENRICI, *Ranzoa gente Ioannes,*
Proregis Dani ſuaue quieſcit humo.
Dum comes Holſatiæ Fridericum, dumq; Philippum
Ad Nicri ſequitur clara Lycea, duces.
Ingenuas idem dum ſedulus imbibit artes,
Spem præter ſubita peſte peremtus obit.
Cimbria quem genuit, tenet Heidelberga ſepultum,
Mens patriæ veras læta petiuit opes.
Hoſpitium tellus, eſt cœlum patria felix,
Deſerto in patriam qui redit hoſpitio.

Mors vitæ portus.

DE MORTE CAII RANZOVII.

Nitens fide Chriſto, beatus emigrat.

CAIVS *in hoc carpit Ranzous marmore ſomnum,*
Corpore dum petiit mens reſoluta polos.
Quantus, in officio fuerit, virtuteve quantus,
Regibus hoc, patriæ, principibusq; liquet.
Carus ob id vixit morum grauitate ſuperſtes,
Æterno longe carior axe patri.
Tempore de mortis Genio per ſomnia doctus,
Commiſit Chriſto ſpe ſua, ſeque fide.
Geltingæ vir idem monuit ſub nocte ſororem
Diuerſo ignotus patris ab arce loco:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Ob morbum fratris, mulier, quid triſtis es? inquit,
Mox poſt quatriduum lætus abibit humo.
Non poteris fratrem queſtu retinere, fidemque
Vt faceret dictis, verba Marone refert:
Quid nunc te tua, Turne, poteſt Germana iuuare?
Magdalis euigilans publicat iſta ſoror.
Publicat, & multis lacrymans, narratque marito,
Euentus demum vera fuiſſe probat.
Felicem, Genius mortis cui nuntiat horam?
In Chriſto, lætus corde, relinquit humum.

Viuens & moriens Chriſto, ſaluus eſt.

CATHARINÆ RANZOVIÆ, FRIDERICI ALEFELDII Coniugis, &c.

Felix DEO qui viuit, & DEO cadit. Rom. 14.

CVR *ſubitam, coniux ſuauis, ſuaueſq; parentes,*
Quod morior, fertis corde gemente necem?
Coniugii, qui nos coniunxit cœlitus, auctor,
Separat e nutu nos quoq; morte ſuo.
Cuiq; ratus, certo præfixus tempore finis,
Quam prius e matris corpore natus homo.
Hunc tranſire vltra, nulli conceditur vſquam,
Ergo voluntatem diſcite ferre Dei.
Pignora trina dedi diuinæ in laudis honorem,
Fœmineum ſeruans corde pudica decus:
Hæc fidei veſtræ commendo, credoq; rite
Vt diſcant Chriſto viuere, rite mori.
Qui Chriſto viuunt, Chriſto moriuntur, Olympi
Hæredes alacri gaudia mente petunt.

Pie militans ſaluus.

FRIDERICI RANZOVII, HENRICI PRODVCIS CIMBRICI filii, vmbra loquitur.

Qui militat Chriſto, beatus militat.

GLORIA *magna piis numerare parentibus ortum,*
Qui celebri ducunt nobilitate genus.
Gloria maior humo propria clareſcere laude,
Ingenii ſtudio, militiaq; bonis.
Gloria ſincero pietatis maxima cultu,
Æterno pura mente placere patri.
Non modo Fridericus deduco parentibus ortum
Magnis, Ranzoa nobilitate ſatus;
Militia clarum peperi quoq; nomen, equeſtres
Dum rexi turmas ductor, alacris eques.
Sincere colui ſeruans oracula Chriſtum,
Effuſo cuius ſanguine parta ſalus.
Aduerſos ſtraui dextra fortiſſimus hoſtes,
Non retuli fractus corda pauore pedem.
Dum laudis cupidus cæſos nimis inſequor hoſtes,
In reditu globulis ictus ab hoſte cado.
Stat ſua cuiq; dies, rapit inclementia fati
Omne, ſuo quoties ordine finis adeſt.
Commendaui animam Chriſtoq; Deoq; parenti,
Placatum firma quem mihi credo fide.
In Chriſtum moriens ſpem quiſquis ponit aſylum,
Militiamq; bonam militat, aſtra ſubit.

Pius DEI *delitiæ.*

IDÆ RANZOVIÆ CAII ET ELIZABETHÆ RANZOuiorum, filiæ,

Chriſti cruore lota mens placet DEO.

HIc iacet IDA *patris ſuauiſſima filia* CAII,
Cui dat gens magnum Ranzouiana decus.
Vix cum cœpiſſet trima exhilarare parentes,
Delicias rapuit mors violenta pias.
Nunc facit a vitiis Chriſti purgata cruore.
Delicias ſuperis deliciasq́ꝫ DEO.
" *Mens in baptiſmo Chriſti conſperſa cruore,*
" *Deliciæ ſuperis, delitiæq́ꝫ* DEO.

Poſt mortem Pax. Lucæ 2.

HENRICO RANZOVIO, PRODVCI CIMBRICO.

Pax mortuis, viuentibus iactatio.

" MO*BILIS humanum diſſentio turbat amorem,*
" *Nec Pax, nec mundi regnat in orbe quies.*
" *Nobilitatis apex, Henrice vicarie regis*
Danorum, gentis Ranzouiæq́ꝫ iubar.
In mundo fugias vt iurgia, bella, tumultus,
Vt cœlis pacem mente beatus agas:
Ædificas tumulos pacis monumenta futuræ,
Quæ non, vita manet dum breuis orbe, datur.
" *Pax reſtat, miſera de mundi valle vocatus,*
" *Cum cœli quiuis gaudia mente petet.*
" *Non perit, ad pacis transfertur mente quietem,*
" *In Chriſto quisquis morte vocatus obit.*

DOMINI *ſumus.* Roman. 14.

DEI ſumus viui, DEIQVE mortui.

NEMO *ſibi viuit, moritur ſibi nemo, parentis*
Noſtra Dei vita eſt, mors quoq́ꝫ noſtra Dei.

Terra,

Terrarum vitam ſeu viuimus orbe cadendo
Seu morimur, Domini ſpe meliore ſumus.
Mortuus eſt Chriſtus, ſuperata morte reuixit,
Vt vitæ, vt mortis det moderator opem.

Mors collectio ad populum. Gen.25.

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO.

Terris labor, dolorque; cœlis eſt quies.

LVCTIBVS *innumeris fuit vt compreſſus in ora* "
Ægypti populus noctéq; dieq; DEI: "
Sic miſere premimur terrarum ſemper in orbe, "
A prauis omni conditione viris. "
Nos Mundus, nobis Mundus quod diſplicet, odit, "
Relligioſa fugit, quæ ſua mundus amat. "
Nulla quies animo contingit, nulla voluptas, "
Ætherii donec luminis vſus adeſt. "
Ad populi ſanctum nos quando colligit agmen, "
Omnipotens cœli qui colit alta pater, "
Vera quies animi contingit, vera voluptas: "
Peccatum regnat, cura, dolorque ſolo. "

Mors vita. Ioan.11.

HENRICO RANZOVIO, PRODVCI CIMBRICO,

Viuit DEO credens pie demortuus.

MORS *quæ non vllo perimit diſcrimine quoſuis*
Non mors, eſt homini vita ſerena pio.

Dum vita fruitur, vita via, vitaq; Chriſtus,
In Chriſto vitam credulus omnis habet.
Membra ſumus Chriſti, Chriſtus caput: eſt vbi Chriſtus,
Credentes Chriſto nos ibi membra ſumus:
Hoc nondum quamuis, Henrice, appareat vſque:
Sub patris ætherii numine vita latet.
Cum tamen adueniet Chriſtus Rex arbiter orbis
In Chriſto veniet gloria noſtra, Duce.
Occultata Deo patre vita redibit, vt ante
Cœleſtes multo præſtet honore choros.

Crux erudit.

HENRICO RANZOVIO, PRODVCI CIMBRICO, viro cruce probatiſſimo.

Afflictio probationem procreat.

AVT *probat, aut purgat faber, aut fornace metallū*
Mollit, vt eximium laude paretur opus.
Vt probet, vt purget, Deus aptos formet ad vſus
Vt ſanctos, duram ſuſcitat orbe crucem.
Crux fornax, varios homo qua formatur ad vſus,
Officio faciat ne peregrina ſuo.
Aſſiduo palmes ſtudio purgatur, vt edat
Prouentu fructus vberiore ſuos.
Purius excoquitur ſubiectis ignibus aurum,
His plumbo argentum diffugiente manet.
Intentatus homo cruce rebus friget agendis,
Commodus ad nullum munus habetur iners.
Crux facit, officiis, Henrice vicarie, Dano
Quod regi gratus, quod populisq; ſolo.

Mors

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Mors ſolutio ab ærumnis. Phil. 1.

Mors ſancta liberatio moleſtis.

D*Vm iuga Taurus habet, durum perferre laborem*
Cogitur, & tergo verbera ſæua pati:
Sol vbi decedens creſcentes duplicat vmbras,
Fert ſuſpenſa iugo liber aratra domum.
Dum captiuus agit mortalis corpore mundo,
Quem caro, peccatum, cura, laborq; premunt:
Cogitur ærumnas mixto perferre dolore,
Donec humum corpus, ſpiritus aſtra petat.
Viuimus ærumnis, curarum viuimus æſtu,
Quam lux vitalis traditur orbe diu:
Soluimur ærumnis, curarum ſoluimur æſtu,
Quamprimum lucis concidit vſus humo.
Et labor & dolor eſt terrarum valle perennis,
In cœlis requies, lætitiæq; bona.

Mors ſomnus. 1. Theſ. 4.

GENEROSO VIRO, D. HENRICO RANZOVIO, PRODVCI Cimbrico, &c.

Feſſos præoccupat ſopor, mors languidos.

Q*Vod placidus multo confectis membra labore,*
Qui recreat ſuaui cuncta quiete, ſopor.
Hoc mors credenti, propter peccata labores
Qui paſſus multos, creber acerba tulit.
Componit mollis defeſſi corpora ſomnus,
Officium faciant vt recreata ſuum.
Mors mentem & corpus iuſti, Ranzoe, reſoluit,
Vt poſito, quod opus, crimine rurſus agant.
Mors ſomnus, ſuaui mala diſcutit ægra ſopore,
Vt cuncti euigilent ad data ſigna tubæ.

Aa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Credens non videt mortem. Ioan. 8.

HENRICO RANZOVIO PRO DVCI CIMBRICO.

Verbum tenens DEI, necem non aſpicit.

„ *QVotidiana palam probat experientia, nulli*
„ *Quod veniens parcat mors properante gradu.*
„ *Nunc puer effertur, nunc paucis grandior annis,*
Nunc æger fragili conditione ſenex:
„ *Æternum conſtat, quod profert Chriſtus ab ore.*
„ *Cuius abeſt omnis quam procul ore dolus,*
„ *Mens quæcunque fidem confirmat pectore verbo,*
„ *Non cernit frangens corda pauore necem.*
„ *Iucundum captat ſuperata morte ſoporem,*
„ *Quamq; prius ſentit funus in aſtra volat.*
„ *Qui credens Chriſti ſua munit pectora verbo,*
„ *In verbo moriens aſtra beatus adit.*

Mors tranſitus ad vitam. Ioan. 5.

EIDEM.

Vitam pii mors ad beatam tranſitus.

FAta quid aſſiduo ventura pauore timemus?
Mens læta vt fugiat fronte ſubire necem.
Decurſo vitæ ſpacio, quod tradidit auctor
Vitæ, cum cedit, corpore vita ſuo:
Nos non iudicium, Stygiæ non vnda paludis,
Non pœnæ grauitas, non dolor vllus habet.
Eſt alius vitæ nunquam mutabilis vſus,
In puncto moriens quo pius orbe migrat.
Holſatiæ columen præſtans, Henrice Themisque,
Qui de Ranzoo ſanguine ducis auos:
Tranſitus ad vitam mors. Gaudes viuere? vitam
Per mortem in Chriſto pectore lætus adi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Sepulcrum cubile tutiſſimum. Eſa.4.

HENRICO RANZOVIO VIRO AMPLISSIMO PROduci Cimbrico.

Cubile tymbus credulis tutiſſimum.

VT placidum, Ranzo, conquiras abſq; tumultu,
Ex animi votis molle cubile tui,
Hoc diuinus ager dabit, in quo ſancta ſoporem
Compoſito ſuauem corpore turba capit.
Illic iucundum requieſcit corpus, & omne
Excutiunt illic membra ſopore malum.
Non conturbabunt te mors, non cura dolorque,
Donec ouans iudex Chriſtus ab axe ruat,
Imperium, mundus mortis cura atque doloris,
Chriſtiadum requies tymba domusq; gregis.

Mors finis & pœna peccati. Gen.5. Pſalm.90.

HENRICO RANZOVIO, PRODVCI CIMBRICO,

Mors pharmacum, mors criminis ſtipendium.

CHriſti vbi cognitio nulla eſt, mors pœna malorum. „
Mors ſcelerum finis Chriſti vbi cognitio. „
Non caro, non hominum purgabit crimine ſanguis, „
Destructo niſi mens corpore linquit humum.
Purus ab interno qui crimine viuere gaudet, „
Qui Chriſti ſano corde placere patri, „
Perferat in Chriſto credenti pectore mortem, „
Et pœna, & ſcelerum mors nigra finis humo. „

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Mors ſanctorum pretioſa. Pſal. 116.

AD EVNDEM DOMINVM GENEROSVM HENRICVM RANZOVIVM Producem Cimbricum.

Accepta mors DEO piorum, maximo,

EST oculis hominum defuncti flebile corpus,
A quo, donec humo detur, abhorret homo:
Eſt oculis gratum cœli terræque parenti,
Delicias blando qui vocat ore ſuas.
Ne metuas lethi plenum, Ranzoe, pauoris
Aſpectum, verbis mente quieſce Dei.
In Chriſti mortem quicunq; petiuit amore,
Amplectens verbi tradita iuſſa fide;
Ante oculos hominum quamuis deforme cadauer
Sit; tamen eſt oculis res pretioſa DEI.
Mors pretioſa DEO ſanctorum, grataq; cordi:
Humano fallax non ſua more videt.

Mors peregrinatio. Gen. 15.

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO.

Mors e ſolo diſceſſus eſt in patriam.

LOnginquis hoſpes qui multum vixit in oris,
Vt repetens patriam gaudia mente capit.
Filius vt læto caros petit ore parentes,
A quibus in multos abfuit ille dies:
Ad patrium læto contendit pectore cœlum
Sic pius, & mortis ſpernit agone minas.
Hoſpitio gaudet telluris abire, perennis
In patriæ ſedes, eſt vbi vera ſalus.

Nullus

Nullus ibi ſæuit Boreas, ibi nullus & imber,
Partæ vbi non furto diripiuntur opes:
Perpetuas celebrant ibi ſancti gaudia luces,
Angelicos inter turba beata greges.
Quis mortem metuat? mutet ve in vile beata
Regna ſolum? cœli patriam in hoſpitium?
Quis tam ſit vecors, vt amet pro ſole tenebras,
Pro cœlo terras, pro patria hoſpitium?
Non perit, hoc cedens animi de carcere. ſanctus
Migrat in æternæ gaudia ſedis homo.

Mors ſementis. 1.Corinth.15.

AD EVNDEM ILLVSTREM HEROA, &c.

Sementis eſt mors, vnde vita pullulat.

Semen ab agricola cultis non creditur aruis,
Vt nulla iactum fruge putreſcat agro.
Fœcundo verum multos vt fœnore fructus
Proferat, & lætum fronte reſurgat humo.
Tutius eſt terris, quam ſi granaria ſeruent,
Inq; ſuo teneant horrea plena ſinu.
Non homo lethali conſumtus corpora morbo
Occumbit, prorſus fiat vt ipſe nihil:
Splendidior verum maiori vt ſurgat honore,
Æternum cœli cum ruet axe iubar.
Tunc mens & corpus meliore ſorte, reſumta
Luce ferent fructus deliciasq; Deo.
Mors Ranzoe, pii corpus tellure ſepultum
Sementis vita ſplendidiore beat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Mors lucrum. Philip.1.

HENRICO RANZOVIO, PRO-DVCI CIMBRICO.

Credentibus Chriſto lucrum mors horrida.

INter honoratos ampliſſime fulgor Equeſtres,
Quos, Ranzoe, graui patria laude vehit.
Vt videatur atrox cunctis mors horrida vultu;
Eſt tamen ad vitæ ianua vera domum.
Hanc qui luminibus fidei videt, horrida vultu
Sit licet, in Chriſto ſuſtinet absque mora.
In peccata graues exercet corpore morſus,
A morſu, Chriſti mens nece, tuta, necis.
Eſt mera vita ſuo mitis cum funere Chriſtus,
Eſt animo lucrum non renuente mori.

Mors Euangelio vincitur.

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO.

QVi regis Arctoas inter lux ſplendida gentes
Imperium Regis nomine, magne ſenex,
Vt vincas læto venturam pectore mortem,
Quæ rumpit noſtras inſidioſa dies
Saluifico Chriſti cor muni corpore verbo,
Luceat hoc pedibus clara lucerna tuis.
Cor verbo Chriſti munitum perſtat agone,
Excutit æternum pectore mortis, onus.

Mors

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Mors abſconſio ad momentum. Eſa 26.

HENRICO RANZOVIO, GENEROSO ET VIRO NOBILI, &c.

Letho cadentes liberantur a malis.

CVm cadit infeſtus reſolutis nubibus imber,
Deſuper & ſaliens omnia grando ferit.
Quæ ſubeat velox quærit loca tuta viator,
Vim ſibi ne grando, ne ferat imber aquis.
Hoſtilis penetrat quoties exercitus agros,
Incola ſecreta dulcia condit humo.
Cum Deus & pœnis iratus ſæuit & ira
Ob ſcelus humani factaq; praua gregis:
Donec acerba Dei ferat indignatio finem,
Momentum ſanctus ſe breue condit humo.
Hoc ſit cum moriens ablutus ſanguine Chriſti
Intrat humum, vt vitam mox rediuiuus agat.
Vix dum reſpicimus, vix dum nos vertimus orbe,
Indomitæ vitam diripit hora necis.

Mortis hora commodiſſima.

Non vita, morte concidunt incommoda.

COntingit melior nunquam mortalibus hora,
Quam quæ decurſo tempore, morte venit.
Momento ceſſat cunctis afflictio curis.
Excrucians artus & ſine ſine dolor.
Tunc requies animo, requies tunc artubus apta,
Æternum turbant quam mala multa, viget.
In Chriſto metuit cur mortis Spiritus horam,
Languida quantumuis ſic caro preſſa fide?
Non homo, commoritur cunctis afflictio curis,
Poſt mortem poſito vera dolore quies.

Nulla in mundo tranquillitas.

Tranquillitati mundus infeſtiſſimus.

VT viuat diues tranquillus & abſq; tumultu,
Ædificat magno ſæpe cubile ſibi,
Hoc quamuis hominum conuentu ſeparet, illic
Ne ſtridor penetret, ne ſonus vllus eat.
Obtinet ille tamen nihil, in vanumq; laborat,
Contingit talis nullus in orbe locus.
Hoc dum mancipio non accipit, inde migrandum
Cum mors exturbat dira dolore, loco.
Nil quod in hoc conſtans homini ſe præbeat orbe,
Mors facit, & ſocio cura dolorq; grege.

Deus fidelis. 2.Corinth.10.

Supra DEVS vires moleſtat neminem.

LVdit vt interdum, breue ponens ſeria tempus,
Cum natis vero blandus amore pater.
Nunc aliquid mandat, licet impar viribus ætas,
Vt diſcat promtus iuſſa probare puer.
Cum videt in fragili conatum corpore, cumque
A ſtudio fidei cernit abeſſe pio.
Admouet ipſe manus ſolers, laudatq; laborem,
E que voluntatis gaudia mente capit:
Sic ærumnarum cum ſanctos opprimit imbre
In cœlis cogens nubila denſa Deus:
Ludit & abſtergit iucundo triſtia vultu,
Ferre mali durus ne ſit acerba dolor.
Non ſupra vires hominem Deus angit, amicus
Auxilio præſens in cruce Verus adeſt.

Vita

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Vita Mors.

AD CHRISTVM ORATIO.

A morte lenta deuoramur indies.

Vitali ſpatio terræ dum veſcimur aura,
Dum curſu dubio vita ſuperſtes agit;
Nos ſine, Chriſte, mori, vitæ lux atque ſalutis, Pſal. 39.
Ceſſemus lenta corpore morte mori. "
Quotidie morimur contractæ ob crimina labis, "
Quotidie carnem ſpicula mortis habent. "
Non vitæ nobis promittere poſſumus horam, "
Momentum nullum poſſumus imo breue. "
Nos premit aſſiduo morborum ſarcina luctu, "
Nos miſero ſtimuli corpore mortis agunt. "
Mundanis oculis cum rapti morte iacemus, "
In cœlis tandem vita beata patet. "
Tranquillam capimus pulſo diſcrimine vitam, "
Cum mors defuncto corpore muta necis.

Sepulcra domus viuentium.

Necis domus, vitæ ſepulcrum manſio.

STructa domus Pario quamuis de marmore præſtet
Magnificum ſumtu ſplendidiore decus:
Exornata ſimul Cypariſſi ſplendida ligno,
In ſe oculos hominum vertat & ora gregis.
Quotidianorum tamen eſt ſentina dolorum,
Luctus vbi ſedem curaq; dura tenet.
Hic animum triſtis, languens & membra precatur
Maturam vita proſperiore necem.
Sola ſepulcra domus viuentum, corpora turbæ
Quæ pia credentis pectore clauſa tenent.
Viuentis Chriſto vitam, domus omne ſepulcrum,
Ius vbi nec lethum, nec dolor vllus habet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Sepultura dormitorium.

Fidelium ſepulcra dormitorium.

A *Sſiduo curſus confectus membra labore,*
Abſoluit longum quiſque viator iter.
Vt lecto recreet ſuaui dulcedine corpus,
Vt reparet vires vi meliore ſuas:
Laſſa pigro cupidus componit membra ſopore;
Et ſua dat molli membra fouenda thoro.
In tympo ſuaui componit membra ſopore,
Tutus vbi prauis morte ſolutus agit,
Aptior ad vitæ cœleſtia gaudia ſanctus
Vt redeat litui voce vocatus humo.
Sunt defunctorum loca dormitoria iuſti
In quibus, vt lecto, ſuauiter oſſa cubant.

Cœmiterium Domini ager.

Ager Dei, piæ ſepulturæ locus.

F *Oecundum ſterili ſemen non traditur agro,*
In terra moriens vt ſine fruge cadat:
Vere ſed vt primo productum Sole reſurgat,
Et magna fructum fertilitate ferat.
Traduntur digno Sanctorum corpora luctu,
Cum cedunt animis morte ſoluta ſolo;
In vitam reditus non vt ſpes cuncta negetur,
Vt dura fiant perdita morte nihil:
Sole ſed vt Chriſto viui redeunte reſurgant,
Ad cœloſq; omnis clarificatus eat.
Cum iudex cœli deſcendet ab æthere Chriſtus,
Sanctorum Domini corpora reddet ager.

Piorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Piorum ſepulcra ſacrata.

Chriſti piis ſacrata tymba corpore.

CHriſtus ab æterno Deus a patre natus, & idem
E pura verus virgine factus homo,
Humani generis pro crimine lytron in ara
Dira exantlauit qui maledicta crucis.
Deficiens tumuli ſacrauit corpore foſſam,
Perpetuus premeret ne rigor oſſa necis.
Sanctificata Deo tumuli dum foſſa ſalute
Cœleſtiq; pio fota calore gregi;
Cur tumuli pauido metuit cor pectore foſſam,
Exhorret duram cur caro fracta necem?
Manſio ſancta piis tumulus, gratumque cubile
Addictis Chriſto liberiore fide.

Vita mortis ſtadium. 1. Cor. 9.

Mors proximus mortalium vitæ Comes.

ESt ſtadium mortis, quod in iſto viuitur orbe,
Seu citus abſoluas, ſeu pede tardus iter.
Mors comes eſt infans cum matris ab vbere pendes,
Mors comes eſt ludis cum geniale puer.
Mors comes eſt Veneris cum gaudia quæris Ephebus,
Mors comes eſt iuuenis cum ſedet ore vigor.
Mors comes eſt magnos vir cum venaris honores,
Mors comes eſt, quando conſulis arte ſenex.
Mors comes eſt ſenium te cum demittit ad vmbras,
Decrepitum pueris cum facit orbe iocum.
Mors comes in vitæ ſtadio quocunq; moueris,
Te ſequitur donec corpore vita manet.
Tunc mors eſſe comes ceſſat, cum ſanguine Chriſti
Confidens, vitæ regna beata ſubit.

Mors meditanda.

HENRICO RANZOVIO, PRODVCI CIMBRICO.

Præſtantior luctus pio, quam gaudia.

EST homini melius morientis adire penates,
Gaudia quam terris immoderata ſequi,
Jnde petit tandem pereat quo fine, ſolutus
Qui fatis nullo tempore viuit, homo.
Inde petit cauſſas felicia fata precandi,
Securus viuat ne memor orbe necis.
Dum præmiſiſti cognato ſanguine multos,
Henrice, e que tuis, qui ſubiere polos;
Illorum exemplis didiciſti viuere Chriſto,
Et Chriſto ſana relligione mori.
Hoc tua teſtantur de mortis carmina fine,
Quæ digno paſſim lector honore colit.
Eſt melior riſu luctus, mens conſcia luctu
Erigitur, quærens fracta pauore Deum.

Spes vitæ luctus Pharmacon.

HENRICO RANZOVIO, PRODVCI CIMBRICO,

Migratio quod eſt amici, mors piis.

NOn hominem prorſus mors, credit vt impius, aufert,
Parte ſui felix cum meliore viget.
Quod longinqua ſolo migratio ſuauis amici,
Hoc hominis vere mors gemebunda pii.
Aſpectu paruo nos priuat tempore vultus,
Dum peregre, linquens nos inopinus, abit;
Lætitiam reddit vultu præſente reuerſus,
Et vitæ referens, & mala paſſa viæ.

Pec-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Peccati mortem ſtipendia quiſquis amicus,
Ex Domini patitur lege vocatus humo:
Lætitia, ſplendens rediuiuo corpore, ſurget
Maiori, veniet quando ſuprema dies.
Tunc læti coram cæleſti Patre loquemur,
Turbabit nullus gaudia noſtra dolor.
Spes omnem vera lenit pietate laborem,
Quam facit in cœlo vita futura piis.

ELEGIA AD GENEROSVM ET NOBILEM VIRVM D. HENRICVM Ranzouium, Proregem in ducatibus Holſatiæ, &c. lugentem immaturum filii ſui Caii obitum, conſolationis ergo ſcripta

A

GEORGIO WIPPERMANNO, Paſtore Segebergenſi.

IMparibus numeris Hymenæum forte parabam
In laudem Caii, ſcribere Ranzouii:
Caii, quem genuit, quem ſummo fouit amore
Henricus, claræ nobilitatis Eques.
Tum mihi, neſcio quis, large flens nunciat ore:
Hei noſter Caius fata ſuprema tulit:
Ac vitam cum morte ſuam mutauit acerba,
Qui multos annos viuere dignus erat.
In luctu pater eſt, nec tædas ille iugales,
Sed nato triſtes hei parat exequias,
Proh dolor hic rerum ſtatus eſt. Epicedion ergo
Conueniens, Caio, non Hymenæus erit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Obſtupui primum, fateor, vox faucibus hæſit,
Oraq; ſunt lacrymis hei madefacta meis.
Cum mihi mens rediit, ſic dictis ora reſolui:
Heu mihi quas turbas inuida Parca facit.
Dum ſine reſpectu tollit iuuenesq; ſenesq;:
Nec, qui cuncta poteſt, impedit iſta Deus.
Sicne decet reprobis longam concedere vitam,
Ac immatura tollere morte bonos?
His ego dum mœſtus querulis indulgeo dictis,
Incuſans iuſti iudicis acta Dei:
Accedit pietas, dextram mihi vellicat aurem:
Os iubet in terram ponere, ſicque refert:
Carpere non fas eſt, quidquid diuina voluntas,
Rebus in humanis ordinat atque facit.
Ergo ſile, ſcriptumq; para, mœſtiſſimus eheu
Quo pater in luctu ſe recreare queat.
In duris mittit ſi quis ſolatia rebus,
Sinceræ præſtat religionis opus.
Hinc, Henrice, tibi, Prorex ac nobilis Heros,
Carminis elucet ſumma caputq; mei.
Hos elegos mitto, quo ſit medicina dolori,
Quem fecit nati mors inopina, tuo.
Ne tuus excedant metam luctusq; dolorq;:
Sed verbo ſummi ſint moderata Dei.
Non peccat, quisquis defunctum luget amicum:
Nam luctum ſuadet pagina ſacra pium:
Ac exempla refert moderati plurima luctus:
Tempore quæ triſti ſunt meditanda piis.
Stoica durities noſtris a mentibus abſit:
A verbo ſummi diſcrepat illa Dei.
Namq; Deus ſtorgas nobis inſeuit, amoris
Flagrandis nexum, pro bonitate ſua.
Hoc ex fonte fluunt lacrymæ, luctusq; dolorq;,
Cum mors ſub leges nos vocat atra ſuas.
Nec tua, dum mœres ob chari funera nati,
Culpari merito mens generoſa poteſt.

Attamen

Attamen hunc caſum moderate ferre memento,
Te ſcito patriæ totius eſſe patrem.
Hanc ſi propriam contemnis, parce ſaluti:
Cimbria nam ſine te ſalua manere nequit.
Et nunc per ſummi numen venerabile patris:
Per Chriſtum cuius turba redempta ſumus:
Perq; animam Caii, quæ nunc erepta periclis,
In Chriſti placido viuit ouatq; ſinu:
Obſecrat heu luctu te ſqualida Cimbria, mortem
Vt non acceleres ipſe dolore tibi.
Non igitur totum, Prorex, te trade dolori,
Sed patriæ ſerua te, precor, ipſe tuæ.
Tu patriæ currus, tu lux, auriga, ſalusq;:
Deq; tua pendet noſtra ſalute ſalus.
Ergo, res quantum patitur, moderare dolorem:
Morigeros etenim nos decet eſſe Deo.
Hic ſolus mundi determinat omnia rector:
Ipſius ex nutu naſcimur, & morimur.
Qui putat incerto volui mortalia caſu,
Fallitur & nil, ſe quo tueatur, habet.
Quam vilis pretii res eſt paſſerculus vnus:
Attamen in terram non cadit abſq; Deo.
Nos magis eſſe Deo curæ quisnam neget? ergo
Sunt animo placido cuncta ferenda tibi.
Cum bona ſit ſemper cunctis diuina voluntas
Anteferenda bonis, anteferenda malis.
Et quia tranſegit vitæ bene filius annos,
Haud poteris vitæ de breuitate queri.
Sat vixit, bene qui vixit, moriturq; beate
In Saluatoris cognitione ſui.
Vitaq; non hæc eſt merito longæua putanda,
Complures annos quæ numerare poteſt.
Sed quam commendat pietas, prudentia rerum,
Et virtus cunctis anteferenda bonis.
Talis vita tui, Prorex chariſſime nati,
Perbreuis illa quidem, ſed ſine labe, fuit.

Non

Non illi pietas, non defuit inclyta virtus,
Virtutisq; comes gloria, fama, decus.
Atq; fuit rerum prudentia maior in illo,
In reliquis ætas quam iuuenilis habet.
Quam fuerit conſtans, fidusq; in rebus agendis,
Danorum locuples regia teſtis erit:
Ac Brunopolitana domus: nam filius illic
Virtutis promſit plurima ſigna ſuæ.
Hinc eſt Gottorpa factus præfectus in arce,
Bremenſis læto Præſulis auſpicio:
Aſcriptusq; viris, quorum eſt ante omnia munus,
Conſiliis patriam rite iuuare ſuam.
Quam bene Danorum Friderici Regis in aula
Vixerit, id cunctis innotuiſſe reor.
Namq; a Rege pio peregrinas miſſus in oras,
Legati functus munere rite fuit:
Et merito, linguam quia calluit ipſe latinam,
Gallorum dextre nouit & ore loqui.
Si non præpropera ſublatus morte fuiſſet,
Eſſet adhuc ipſi cum iuuenile decus,
Præmia virtutis Caius maiora tuliſſet,
Sed non eſt ſummo res ita viſa Deo.
Hæc te fortaſſis, Prorex, meminiſſe iuuabit,
Defuncti nati quod pia vita fuit.
Præterea placidus vitæ fuit exitus illi:
Hic etiam, luctum quo modereris, habes.
Nam mortalis homo, quia non ſine crimine viuit,
Æternæ mortis cogitur eſſe reus:
Cogitur eſſe reus, nec ſpes eſt vlla ſalutis,
Ni Chriſtum capiat iuſtificante fide.
Solus enim Chriſtus ſpes eſt, ſolamen, aſylum,
Confuſæ mentis lux, medicina, ſalus.
Hunc tuus excepit fidei quoq; filius vlnis,
Cum ſenſit mortis tempus adeſſe ſuæ.
Ingenue faſſus tranſactæ crimina vitæ,
Des, inquit, veniam, Chriſte benigne, mihi.

Vt de promiſſa mea mens ſit certa ſalute,
Sanguine me recrea, corpore paſce tuo.
Annuit hic precibus Chriſti clementia Ieſu:
Spernere namq; pias non ſolet illa preces.
His ita tranſactis, Prorex clariſſime, Caii
Perſtitit in vera mens generoſa fide.
Et moriens animam migrantem tradidit illi,
Innocua cuius morte redemta fuit.
Nunc ea percipiens æternæ gaudia vitæ,
Conſpectu fruitur colloquioq; Dei.
Tempore poſtremo quoq; glorificata reſurget,
Quæ nunc ſit ſpurcis vermibus eſca, caro.
Hæc animo voluens, Prorex ac nobilis Heros,
Impoſitum a Domino fer patienter onus.
Subditus eſto Deo, finemq; impone dolori:
Hoc, quem tu luges, filius ipſe rogat.
Te, pie Chriſte, precor, mœſtos ſolare parentes:
Per verbum potes hoc nam pie Chriſte tuum:

PETRI LINDEBERGII
ELEGIA CONSOLATORIA,
de obitu filii Caii viriliter ferendo:
AD
HENRICVM RANZOVIVM,
V. R. patrem.

SI toties morimur, quoties nos pignore priuant
Fata, velut docto Publius ore refert:
Heu quoties vixiſſe, Heros, te, nobilis, aiunt,
Pignoribus toties qui viduare tuis.
Primus de natis Theodorus lumina claudit,
Qua ſtat Vandaliæ, pulcra Lubeca, caput,

Deinde Palatinas vbi Neccarus alluit arces.
  Ianum præpropere ſuſtulit atra dies.
Poſt naturam vna Arctoo Catharina ſub axe
  Ante diem celeri morte peremta cadit.
Mox annis animoq; vigens Fridericus ab ictu
  Conficitur ſclopi, Gallica caſtra ſequens.
Tandem etiam poſt tot natorum funera, Caium
  Hocce tuo in ſenio mors truculenta rapit.
Prætereo neptes, ſileo quoq; pignora fratris,
  Quorum non pauci ſuccubuere neci.
Prætereo agnatos, quorum virtutis amore
  Vita tibi dulcis, mors oneroſa fuit.
Haud igitur mirum, cœli quod limen anheles,
  Et rores fletu ſydera ſicca tuo.
E luctu in luctum cum coniecteris amarum,
  Semper & obducto vulnere vulnus alas.
Qui ſeſe in tali fortuna temperet? Ah quis
  Non tecum ſalſis ſe maceret lacrymis?
Verum cum fuerit fati hæc immota voluntas,
  Ipſiuſq; Dei velle; neceſſe feras.
Aduerſus ſtimulos durum eſt impingere calces:
  Durius, aduerſus fata mouere manum.
Fit facile & ſubito fieri quod fata requirunt.
  Fit facile & ſubito, quod cupit ipſe Deus.
Qui quod agit, bene agit, quod & ordinat, ordinat æque:
  Et iuſtus, iuſte, quod facit, omne facit.
Qui velut eſt viſum & placitum ſibi, cuncta gubernat:
  Siue ea grata tibi, ſiue moleſta tibi.
Non abſq; illius nutu paſſerculus vnus
  Decidit in duram corpore læſus humum.
Neve aliquis noſtri capitis de vertice cirrus
  Immo nec minimus, ni volet ille, pilus.
Quare age, Ranzoi, Domino te ſubiice Chriſto,
  Et placidus placide hoc pergraue perfer onus.
Hoc graue perfer onus; patientia nobilis herba eſt,
  Sed non hanc ipſam quilibet hortus habet.

Atq; vt ſæpe alias, ſic hunc quoq; pelli dolorem,
Qui leuior cunctis iure putandus erit.
Huic etenim nato, reliquis quod fata negarunt,
Soli conceſſum eſt in patria arce mori.
Huic ſoli præſens, reliquis quod fata negarunt,
Extremum dixit perpetuumq; vale.
Hunc ſolum ſolum reliquis quod fata negarunt,
Omnibus ex natis tumba paterna tegit.
Queis ſimul adiicio, quod Chriſto fidus adhærens,
Mortuus in vera & ſaluificante fide eſt.
Tuq; illum rurſus rediuiua carne videbis,
Vltima cum terris fulſerit illa dies.
Interea poſito fletu, poſitoq; dolore,
Et tu, qui ſimilis bulla, memento mori.
Mors certa eſt, fortuna leuis, breue viuere noſtrum:
Pulchrum mane rubens, veſpere triſte iacens.
Ibimus hinc omnes, omnes hinc ibitis, ibunt
Quæ ſupra, quæ infra ſuntq; ſolum atque polum.
Felix, qui tandem ſupremam funeris horam
Implet fine bono, claudit, amore Dei,
Hoc Iobi dicto, Dominus dedit, abſtulit idem:
Vt Domino placuit, cuncta ita facta cadunt.

ELEGIA

QVAM IN OBITVM SVI AVVNCVLI CAII RANZOVII, AD auum chariſſimum D. Henricum Ranzouium, Producem Cimbricum, Carolus ab Alefeldt, Nicolai Domini in Gelting filius, ætatis XV. anno ſcribebat.

Cvr gemitus crebros ex ſummo pectore ducis?
Cur imples lacrymis lumina ſæpe tua?

Ac tandem annoſos mœrore quid afficis artus,
Ex obitu nati, qui tibi charus erat?
Hunc Chriſtus dederat, cui charior atque parenti
Caius erat: Chriſtus iam reuocauit eum.
Ah aue propterea lacrymas abſtergito triſtes,
Exanguem ex animis euce triſtitiam.
Hæc immota Dei fuit atq; paterna voluntas.
Certa iſthæc Caio eſt atq; beata ſalus.
Nullus perpetuo vitali luce potitur,
Stemmata mors ſpernit, mors quoq; ſpernit opes.
Non honor aduerſus mortem, aut inſignia proſunt.
Omnia mortis enim tollit auara manus.
O ſe fata tibi, chariſſime auuncule Cai,
Nunc ſupereſſe tuis, atq; valere darent:
Alter vt alterius mellita haurirent ab ore
Verba, atque alternans blandula verba daret.
O quoties longos poſſemus fallere ſoles,
Colloquio & triſtes pellere fronte ſtrias.
At mihi præreptus, terræq; vocatus ab oris,
(Sic erat in fatis.) ſidera clara tenes.
Incertum eſt, quonam mihi tempore fata minentur
Funus: quave dies vltima me maneat.
Vt tamen interea noſtrum teſtemur amorem,
Atq; exſtent luctus triſtia ſigna mei.
Hæc habeas noſtri certiſſima ſigna doloris,
Hoc habeas noſtri pignus amoris epos.
Mutuus hic ardor quamuis ſibi plura requirat:
Sint ſatis hæc: cum non reddere plura queam.

CONSOLATIO FILIORVM.
AD HENRICVM RANZOVIVM REGIVM VICArium parentem.

PARCE *tuam genitor fletu cruciare ſenectam,*
AEqua mente decet triſtia fata pati.

Nil proſunt lacrymæ, nam ſeruant fata rigorem.
Facta infecta poteſt reddere nullus homo.
Et quam nos hodie calcauimus, ecce futuro
Tempore victuris iſta terenda via eſt.
Faxit, ne poſthac ſimilem experiare dolorem,
Tollere vel nutu qui mala cuncta poteſt.
Progeniemq; tuam, Solis quæ veſcitur aura,
Soſpitet immenſa pro bonitate Deus.
Et noſtræ rapuit quod mors inopina iuuentæ,
Hoc Deus vlterius proroget ipſe tibi.
Nos ſumus in requie, portumq; inuenimus ergo
Parce tibi genitor, quæſumus: atq; vale.

HENRICVS RANZOVIVS VICARIVS REGIVS, conſolatur ſemetipſum.

Ipſe ego ſic caſus terræ, triſtesq; ruinas
Conſolor, damnis contraria lucra rependens.
Terra eſt hoſpitii domus, eſt mihi patria cœlum.
Aduena ſum terris, hæres ac ciues Olympo.
Hic paruus dolor eſt, illic immenſa voluptas.
Fide igitur mea mens, & fer, quodcunq; ferendum eſt:
Mox tibi finis erit, requieſq; petita laborum.

Aliter.

Viuo: poſt moriar, ſic fert diuina voluntas.
Hæc quæ vult, eadem me quoq; velle decet.
Vita mihi melior continget temporis huius,
Vita, quam vixi, vita operoſa fuit.
Quam ſpero vitam, Chriſti mihi ſanguine parta eſt:
Hac dabitur læta pace, Deoq; frui.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

PRECES
HENRICI RANZOVII, PRO FELICI EX HAC vita exitu.

ALme pater, vitæ qui das primordia noſtræ,
Quique ſacro nobis numine ſemper ades.
Fac etiam vitæ felix ſit vt exitus huius,
Vltima nec mortis ſit grauis hora mihi.
Patria, fama, domus, ſpes, rex, fortuna valete
Sat mihi, ſat vixi, Cimbria clara, tibi.
Diſſolui cupio, vitæ pertæſus, & eſſe.
Cum Chriſto: Chriſto dulce vocante mori.

HENRICVS RANZOVIVS DE SEIPSO, ANNO DOMINI 1595. Ætatis 70.

ILle ego, Ranzouidum qui ſanguine natus equeſtri,
Non indigna mea nomina gente fero.
Non mihi deſidiæ molles & inertia cordi,
Dum vixi, curæ nec mihi luſus erat.
Nulla voluptati do tempora, pauca quieti,
Sic perpes vigilem tela laboris agit.
Nam patriæ Regis mihi nomine cura regundæ
Incumbit, capiti multum oneroſa meo.
Et reſpirandi ſi ſit quandoq; poteſtas,
A cura, officii quam graue gignit onus,
Sedulus euoluo veterum monumenta Sophorum,
Nec ſine fœcunda lectio fruge perit.
Quippe itidem ingenii aſſueſco componere fœtus,
Et ſcriptis animi prodere ſenſa mei.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Sic diſco, doceoq; : redit labore actus in orbem:
Sic nec mens, corpus dum vacat, ipſa vacat.
Me multa exercent perplexa negocia, multa
Incidit officio cauſſa gerenda meo.
Attamen optatum, fido duce numine, finem,
Res quæ principio dura videtur, habet.
Sic triſtes inter caſus, hoſteſq; furentes,
Præſentem video ſemper adeſſe Deum:
Iſte meos greſſus, vita qui rexit in omni,
Nunc quoque dum venit cana ſenecta, regat.
Iamq; fere emenſus curſum, quem fata dedere,
Emeriti geſto militis arma, rudem.
Perueni ad ſenium, ſpacium vitale peregi,
Et manibus teneo pro pugione librum.
Accelerat lethum, robur mihi frangitur, auras
Paulatim in tenues ſpiritus æger abit.
Nec me iam Martis, verum meditatio mortis
Sollicitat, qua nil certius eſſe poteſt.
Et quia plus vellis, quam mellis vita propinat,
Pertæſus, vitæ ſum ſatur ipſe meæ.
Sat mihi, ſat laudi, charis vixi ſat amicis,
Mors mihi ſperati muneris inſtar erit.
Ergo fama vale, ſpes & fortuna valete,
Tu quoq; Rex clemens, patria ſtemma, vale.
Chriſte tibi vixi, moriar tibi: norma fuiſti
Tu vitæ, mortis tu quoque norma meæ.
Lenis ades, ſcelerum veniam concede precanti,
Et clemens animæ vincula ſolue meæ.
Solue, precor, ſeruum, & læta tranſponito ſede,
Sede, datur merito quam tenuiſſe tuo.
Munde vale: e pleno ærumnis ingentibus orbe,
Lætus eo, ad cœli gaudia, munde vale.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

IN ARCEM RANZOVV HENRICI RANZOVII.

HÆc domus eſt domuũ forſan poſtrema mearum,
Inſtat enim vitæ iam prope meta meæ.
Hoc opus eſt operum poſtremum forte meorum
Sentio enim gelidam non procul eſſe necem.
Quare trado manum, qui vult nunc exſtruat ædes,
Mi domus in celſo eſt ædificanda polo.

Iob cap. 5.

ET venies grandæuus in ſepulchrum, ſicut manipulus colligitur ſuo tempore.

EADEM IOBIS SENTENTIA, diſticho comprehenſa.

GRandæuo aduenient tibi fata ſuprema, maniplus
Colligitur veluti tempore rite ſuo.

VOTVM EIVSDEM, AD IMITATIONEM Xenophontis.

DA, qui cuncta potes, Deus alme, mihiq; meiſq;
Sanas in ſano corpore mentis opes.
Da ſimul vt rebus cunctis induſtrius adſim,
Et propere faciam, quæ facienda mihi.
Da valeam lingua toto molimine vitæ,
Impoſitique feram grande laboris onus.
In duris animum fortem concede periclis,
Hoſteſque intrepide vincere Marte tuo.
In conſultando prudentiam ab æthere mitte.
Conſtantemq; Ducum gratiam, ad vſq; rogum.

Patria

Patria feuda, meaſq; domos, te dante, paratas,
Da proprio cenſu ſumtus honeſtus alat.
Et tandem me, poſt placidam iuſtamq; ſenectam,
Æterna in requie tumba paterna tegat.
Donec me ſuperas rurſum reuocabis in auras,
Et dabis in nitido regna beata polo.

EX PRIMO ET SECVNDO CAPITE IOBI.

SI bona de Domini manibus ſuſcepimus: æquum eſt
Forti animo immiſſum ſuſtinuiſſe malum.
Ingreſſus terram nudus de ventre parentis,
Nudus in effoſſum rurſus abibo ſolum.
Rurſum exſpectabunt Dominum poſita oſſa ſepulcro:
Idem ego, non alius, carne videbo Deum.
Sit nomen Domini benedictum: nam dat & aufert,
Reddit & occidit, viuificatq; Deus.

VERSVS EVRIPIDEI A CICERONE TRANSLATI.

MOrtalis nemo eſt, quem non attingat dolor
Morbusq;, multi ſunt humandi liberi
Rurſum creandi: morsq; eſt finis omnibus,
Quæ generi humano nec quicquam finem afferunt.
Reddenda eſt terra terræ, tum vita omnibus
Metenda vt fruges, ſic iubet neceſſitas.

QVERELA HENRICI RANZOVII, DE MORTE SVORVM,

Intertexta conſolatione, inde obortum dolorem moderante.

TRiſtis eram, memini, ferme victusq; dolore,
Nec potui lacrymas tunc cohibere meas;
Cum Pater a expirans, animam tibi, Chriſte Redemtor,
Traderet imbutam cognitione tui.
Triſtis eram, memini, cum fratri triſtia Paulo
Fata quieſcendi tempora longa darent.
Expertes ſenſus oculos non claudere fratri
Tum poteram ſiccis, victus amore, genis.
Triſtis eram, memini, cum mors ingrata SOROREM a
Cogeret extrema dicere voce, vale.
Hos præter THEODORVS b *erat mihi filius; eheu*
Immature illum ſuſtulit atra dies.
Tum quoque triſtis eram, quod me improuiſa volebant
Acceptum hoc munus reddere fata Deo.
Triſtis eram, memini, mea cum chariſſima MATER c
Sentiret mortis tempus adeſſe ſuæ,
Nam licet ipſa ſatis naturæ vixerat, & non
Vitæ huius poterat de breuitate queri:
Me tamen affecit ſummo defuncta dolore,
Nec mihi tum nato vixerat ipſa ſatis.
Me miſerum, quoniam poſt hæc tot funera luctu
Lurida mors non eſt exaciata meo;
Quin etiam CAIVM d *raperet, luctumque nouaret,*
CAIVM, *pars animæ qui mihi dulcis erat.*
Idq; nec immerito: nam quem debebat honorem,
Reddiderat matri, reddideratq; mihi.
Maiorum exemplo virtutis ſcandere collem
Anniſus ſumma ſedulitate fuit.
Et iam nactus erat Regisque Ducisq; fauorem
Virtute, obſequio, dexteritate, fide.
Præmia virtutum mors ipſi plura negauit;
Et iuuenem terris abſtulit ante diem.
Tum quoq; triſtis eram, fateor: fore namq; ſenectæ,
Credideram CAIVM *ſpem columenq; meæ.*
Sic mihi ſemper erat generis iactura dolori,
Inflixitq; animo vulnera ſæua meo.

a *Ioannes pater obiit Bredenbergæ. A.C. 1565. 12. Decemb. ætat. 73.*

b *Paulus frater ob. Reinebecæ Anno C. 1579. 9. Cal. April. ætat. 15.*

a *Magdalena ſoror obiit Aſchēbergæ A.C. 1559. 5 Aug. Ætatis 29.*

b *Theodorus fil. obiit Lubecæ An. C. 1572. 27. Iunii. Ætat. 11.* Θεοδῶρον.

c *Anna mater ob. Itzehoæ An. C. 1582. 29. Decemb. Ætat. 72.*

d *Caius filius obiit Bredenbergæ Anno C. 1591. 2. Apr. AEtat. 28.*

Nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Nec tamen inficior, quod & immatura meorum
Lætitiæ cauſam fata dedere mihi.
Scilicet eſt aliquid, quod vidi claudere vitam
In vera hos omnes agnitione Dei.
Quodq́; pias audire preces mihi contigit horum,
Se quibus æterno rite dedere Deo.
Ipſe meis etiam votis ſic triſtior adſtans
Æternum potui ſollicitare Deum;
Vt præſens mortis poſitos in agone iuuaret,
Et daret infracta vincere poſſe fide.
Non lucuit morienti eadem præſtare IOANNI; a
Nec FRIDERICE b *tibi; nec* CATHAR[I]NA c, *tibi.*
Nam rapuit patria procul inclementia mortis
Natos; in proprio limine nata cadit.
Hæc quoque dilexi tria pignorc viua paterne;
Mortua defleui, qua pietate decet.
Sed moderandus erat tandem dolor ille paternus;
Non finit fletum turba profana ſuum.
Illam quando Deus dederat ſobolem mihi ternam;
Hanc voluit reddi poſt aliquando ſibi.
Quonam ſub cœlo, quanam regione placeret
Hanc reuocare, Dei ſola ea cura fuit.
Fas nec erat, noſtro nimium concedere amori.
Diuino par eſt cedere conſilio.
Quod facit, omne facit Deus, vt nos noſtraq́; ſalua
Sint; nobis veniant nec nocitura mala.
Huc vobis, nati, natæ, materq́; paterq́;,
Et ſoror, & frater, non remaneare datur.
Nec remeare placet; placet atria ſplendida cœli,
Et faciem læta fronte videre Dei.
Illa etiam cupio ſuperum commercia; veſtros
Vt cernam vultus, & fruar vſque Deo.
Quo vos ergo loco nunc viuitis, hic adeundus
Eſt mihi, non vobis inde redire libet.
Eſt tamen exſpectanda dies ſuprema quietis,
Hæc mihi dum veniet ſic ego fundo preces:

a *Ioannes filius obiit Heidelbergæ An. C. 1582. 17. Oct. ætat. 16. an. 7. menſ.*
b *Fridericus filius obiit in Galliis prope arcẽ Chãperaulx, A. C. 1587. 29. Nouemb.*
c *Catharina filia obiit Arthouiæ A. C. 1587. 26. Maii. ætat. 23. anno 5. Menſ. 13. diebus exactis.*

Da, Deus, vt ſit mens mihi ſana in corpore ſano,
Atque tibi faciam grata viriſq; bonis.
Da, Deus, vt viuam mandato munere fungens,
Et bene propoſitum, te duce, cedat opus.
Suſcipe me tandem, mortis cum venerit hora,
Placatus nati funere, ſumme Deus.
Summe Deus, miſerere mei; mihi morte perenni,
Contingat melior munere vita tuo:
Vita ea, quæ requies eſt, ac æterna voluptas,
Exultans plena cognitione Dei.

DE VITA ÆTERNA MANTVANI EPIgramma.


EST requies illic, illic æterna voluptas,
Perpetuus ſplendor, gaudia, riſus, amor.
Quotquot erunt, ſanctos, & quot nos ante fuere,
Accipient læto magna Theatra ſinu,
Fas erit hic noſtræ vultus agnoſcere gentis,
Atq; dare alternis mutua verba ſonis.
Hic cum patre ſoror, nati cum patribus ibunt:
Veſpera nec feſtos finiet vlla dies.

AD LECTOREM.

Exuuias Ranzouiorum prætereuntem.

RAnzouium exuuias hic cernis amice viator,
Res geſtas quorum Cimbrica terra tulit.
Quorum Germani norunt, gens Danica nouit:
Virtutem & famam, lector amice, cole.

Daniel Tuitemeier.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

EPITAPHIVM.

Henrici Ranzouii Producis Cimbrici.

HEnrici heu tumulum cernis cognomine Ranzou,
Cætera facta viri terra fretumq; ſciunt.

Michael Clenouius Paſtor
Schenefeldenſis.

ALIVD.

RAnzouii Henrici mors ſuſtulit inuida vitam,
Mens eſt angelicis ſancta recepta choris.
Fama poteſt totis claudi vix partibus orbis,
Oſſa hoc exiguo marmore tecta iacent.

Otto Qualius.

ALIVD.

HEnrici tumulus Ranzoi heic: cætera norunt
Europæ gentes: Orbis & occiduus,

M. Eilhardus Lubbinus
Oldeburgicus.

AD HENRICVM RANZOVIVM, QVOD VIVVS INſcriptionem tumuli parat.

CVR te ſollicitet viuentem inſcriptio buſti,
Mirari nequeo, vir generoſe, ſatis.
Immortalis enim cum ſis, labor irritus iſte eſt:
Hoc tua ſcripta docent, hoc tua facta probant.

Caſpar Fabricius.

ÆTATIS HVMANÆ CVRRICVLVM, ALLVDENS AD Emblema Henrici Ranzouii.

ASCENDO,vt rurſus deſcendam: adoleſco,ſeneſcam.
Floreo,vt areſcam : viuo,breui vt moriar.
Sed rurſum vt viuam,morior : mirabilis ordo;
Vita mihi mors eſt: mors mihi vita noua eſt.
Salomon Frencelius.

DECLINATIO mortis.

OMnia mors ſoluit,ſunt terreaq; omnia mortis,
Mortalis viuo viuere diſce Deo.
Omnia debentur morti,mortemq; ſubibunt,
Mortalis verum diſce timere Deum.
Omnia mors tua ſunt,morientur & omnia morte.
Diſcito mortalis viuere,itemq; mori
Dum tibi,dumq; aliis,patet alti ianua cœli,
Non cras,cras ſerum eſt diſcere,diſce hodie.

HENRICVS RANZOVIVS DE SEIPSO.

EXtitit haud teneris vacuum mihi tempus ab annis,
Nam didici & ſcripſi multa ego,plura legens.
Sæpe Magiſtratus claro ſum functus honore,
Vitaque perpetuo plena labore fuit.
Ardua tractaui perſæpe negotia,ſed tunc
Haud Deus auxilio defuit ipſe ſuo.
Me eripuit variis fortunæ caſibus idem,
Exſtitit & fidus Duxq; comesq; mihi.
Iam precor ad finem vitæ ne deſerat huius,
Qui curſum rexit tempus in omne meum.
Perueni ad ſenium,ſpacium vitale peregi,
Et manibus teneo pro pugione librum.
Nunc iuuat ad ſuperos vitæ compago ſolutum
Vadere,monſtrabit cum mihi Numen iter.

Singula non ægra tolerabo incommoda mente,
Haudq; ſequar tarde, quo pater ipſe vocat,
Clementer ſaltem precor vt delicta remittat,
Ad ſe me tandem ſuſcipiatq; Deus.

IN ARCEM RANZOVV HENRICI RANZOVII.

HÆc domus eſt domuum forſan poſtrema mearum,
Inſtat enim vitæ iam prope meta meæ.
Hoc opus eſt operum poſtremum forte meorum,
Sentio enim gelidam non procul eſſe necem.
Quare trado manum, qui vult nunc extruat ædes,
Mi domus in celſo eſt ædificanda polo.

PATIENTIA.

Argumentum.

Silentium & ſpes arma ſunt Patientiæ; his
Iniurias vlciſcitur, victrixq; abit.

QVa ratione meos vlciſcar, quæritis, hoſtes?
Expediam; vlciſci ſic quoq; diſce tuos.
Inceſſunt, taceo: culpant, fero: crimina ſpargunt,
Diſſimulo: mordent, abſque dolore meo:
Obtrectant, ſileo: ringuntur, rideo: vulgo
Traducunt, patior: dant mihi damna, ſino:
Aſpiciunt toruis oculis, ego comiter illos
Accipio: turbant cuncta, quiete fruor:
Latrant, non moueor: frendent, non curo: minantur,
Nil metuo: torquent labra, laboro nihil:
Exagitant, non exagitor: vexant, neq; vexor:
Lædunt, non lædor: probra refutat honor:
Inſidias ponunt, euado: petunt caput, oro:
Peſſima molitis optima quæque precor.

IN SENTENTIAM MEMORABILEM HENRICI RANZOuii, Producis Cimbrici.

AVres arrigite, o quotquot pia ſtirpis origo,
Et doctrinarum nobilitauit amor:
Quos tamen ob Muſas Centaurorum effera proles
Proſequiturque odiis proſequiturq; dolis:
Nobilitatis honos & Gemma Henricus auitæ
Ranzouius, per quem fama perennis ouat,
Audierat quoſdam ex Equitum Grege prorſus iniquo
Ferre animo, Aonias quod cumularet opes:
Nempe quod in ſcriptis condendis poneret æuum,
Ederet & variis tot monumenta libris.
Subriſit cano ſapiens Ranzouius ore,
Et memorabilibus vocibus riſus ait:
O miros homines, mihi qui non illa relinquant,
Quæ non ſunt ipſis noxia, grata mihi!
O heroica vox, & diuo Neſtore digna:
Audite hanc thalamo nobiliore ſati.
Doctrina in quouis pulcra eſt, ſe pulcrior ipſa
In vobis: armat Martis vt Artis honos.

Salomon Frencelius.

VOTVM EIVSDEM PRO LONGA ET INCOLVMI VITA Dn. Henrici Ranzouii, Producis Cimbrici.

HEnricus viuat Ranzouius: exigat æuum
Neſtoris: vt viuat, viuat amore Dei.

THRE-

HAE EPISTOLAE

NIMIS TARDE TYPOgrapho miſſæ inſerantur libro epiſtolarum Henrici Ranzouij Producis Cimbrici, pro placito lectoris.

IOANNES GEORGIVS
Dei Gratia,

MARCHIO ET ELECTOR BRANDEburgenſis, Dux Boruſſiæ, Stetini & Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum & Sileſiæ Princeps, Burggrauius Noribergenſis, &c. ſalutem & ſingularem beneuolentiam mittit.

HENRICO RANZOVIO PROduci Cimbrico.

Ex Germanico converſa.

NObilis, & ſincere nobis dilecte Cõpater, Literas tuas ter. Cal. Feb. Segebergæ datas accepimus, earundemq; tenorem cognouimus. Ac in primis ſingularem nobis attulit delectatiõem voluntatis tuæ erga nos obſequioſæ ſignificatio, animiq; tui felicem rerum omniũ ſucceſſum nobis precantis indicium. Gratias igitur tibi habemus clementer, viciſſimq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

pollicemur, ſi quippiã a nobis præſtari poterit, quod ad tuam tuorumq; ſalutem & emolumentum redundet, nos in eo ſpei atque de beneuolentia noſtra conceptæ abunde reſponſuros. Ex literis tuis præterea perlibenter intelleximus, Deum immortalem ferme integras & firmas tibi adhuc corporis vires in hac tam graui tua ætate concedere, quod diuina Majeſtas procul dubio inclyti regni Daniæ, ac tuorum bono & commodo facit, quod ijsdem optimis tuis conſiliis prodeſſe, regieque adminiſtrationis incolumitatem in iis oris promouere queas. Quocirca etiam ex animo precamur, vt te in hoc proſpero ac commodo rerum ſtatu diu ſoſpitem conſervet. Quantum ad nos noſtrosque attinet, pro mediocri valetudine ac tolerabili rerum ſtatu merito gratias agimus Deo, qui diuino numine nobis omnibus id quod ad beatam proſperitatem cedere poterit, clementer elargiri dignetur.

In ſeminibus mittendis, quæ ex abiete, pinu picea, & taxo arboribus expetis, gratificabimur tibi haud inuiti. Ideoque noſtris Præfectis ſylvarum mandavimus, vt cum maturuerint, ea colligant, ac ad loca nominata tranſmittant. Si in rebus etiam magis arduis beneuolentiam erga te noſtram declarare poterimus, experieris nos

quo-

quocunque tempore ad id propenſos atq; paratos. Datæ Coloniæ ad Suevum, Idibus Februarijs. Anno a partu ſemper virginis D. ac V. & X Co ſupra Mm.

HENRICO RANZOVIO Produci Cimbrico S. D.

PETRVS LINDEBERGIVS.

SVnt, generoſe Heros, qui poeſin, non ſecus ac lenones ingenuas turpiſſime proſtituunt puellas, quocunq; auro venalem exponunt: Et ſunt, qui ſingulari quodam in bibliopoliis proſtandi & vanæ gloriolæ aucupandæ cacoethe carmen contexunt, quorum illos abominor, hos vitupero. Illos abominor: quod omni poſthabito pudore, decore, honore quemcunq; Plutum amuſum & indignum, ſacra nuptialia, natalitia, vel parentalia ſolemniter celebrantem, & quemcunq; hoſpitẽ nummoſum, etiam ſibi nec de facie notũ, verſibus ſuis, leui flatu, & citra laborem effuſis, excipiunt, vt ſtipem inde emendicent, & lucellũ aliquod lucrentur. Hos vitupero: quod veſana ambitione obſeſſi, nil ſpectent aliud, quam admirari & legi ab omnibus; nil cupiant aliud, quam orbis & vrbis decus, & laureati vates haberi. Etſi autem hi potius, ob ſtolidam ſuam ambitionem, orbis & vrbis pecus & laruati fatui habendi forent,

tamen non poſſum non confiteri, propius hos ad honeſtatis metam collimare, quam illos. Verum neutrius nos ſubſcribimus opinioni, ſed vtriusq; tanquam putidam & pernicioſam prorſus abijcimus, ſive ex Poeſi honores, ſiue opes ſibi ſomnient. Hac enim gratia nequaquam ars Poetica inuenta eſt, vt cauponatrix ars ſit, nec coli eam ob cauſam debet, ſed vt cœli & terræ opificis ſummi laudes, heroum virtutes, claraq; facta Ducum, culto, arguto, & caſto carmine decantentur, mortaliumq; animi, curis laboriferis & cordipremis ærumnis ſaburrati, ſubleuentur & reficiantur. Qui hanc metam ſpectat, nec expers erit magnarum opum, nec honorum, quin fieri poteſt vtrumque, vt alicunde fortunæ bonis (vt Euripides ab Archelao, P. Statius ab Imperat: Domitiano) ornetur: Et ad honores, (vt Virgilius, cui populus Roman. in theatro recitanti, perinde ac Auguſto aſſurrexit. Et Silius Italicus, qui Proconſul Aſiæ factus, & ad tertium Conſulatum eſt perductus) rapiatur. Atqui prædicta omnia non eo ſpectant, ac ſi Poetis omnino honorib. & opibus neceſſario ſemper nuncius ſit remittendus: Abſit illud, non ea mens mea eſt. Nemini enim non notum eſt illud: Dignus eſt operarius mercede ſua, quodq; iidem Poetæ non fere, ſed

vere

vere literatorum omnium ſint miſerrimi & egeni, ſed auaritiam nonnullorum verſificatorum, aucupium ex Poeſi facientium, nilq; præter opes & honores inde quærentium, taxo & tango. Nec ipſimet hoc in loco, Henrice Ranzoui, ſummam, quam nobis oſtendiſti affatim humanitatem & vberem, quam nobis exhibuiſti munifice, liberalitatem, negare poſſumus, cum tanta ſit, vt abſq; ſcelere nec ſilentio ſepelire velimus, nec queamus. Dij boni! quam multa nobis præſtitiſti officia & beneficia! quam ſæpe nos juviſti conſilio & auxilio tuo; quã ſæpe benigne nobis feciſti, & munere ſatis magno nos affeciſti. Nec hodie mihi dees, ſed opera & ope tua, vt opus meum Poeticum publicum indipiſceretur emporium, adjuviſti, vtq; tibimet ipſi conſecrarẽ, auctor mihi exſtitiſti. Accipe igitur, heros illuſtris, quos ſub ampliſſimæ auctoritatis tuæ præſidio lucẽ aſpicere volui, hoſce primos juventutis meæ fœtus, meq;, qui ob inſignium virtutum concurſum te colit & ſuſpicit ſummopere, inter clientes tuos habe. Vale. Roſtochij, Anno CIƆ. IƆ. XCV. Sexto Calen. Martij.

ILLVSTRI ET PRÆSTANTIS. viro Henrico Ranzouio Regis Daniæ vicario,

Muſarum Mæcenati.

S. D.

PAVLVS MELISSVS.

Mirifice me exhilararunt literæ tuæ, Ranzoui vir illuſtris, teſtes incolumitatis, nam rumor percrebuerat, ac quidem diu conſtans te fuiſſe. Sæpius ingemui, ac manibus tuis pientiſſimis jam inferias meditabar, cum ex improuiſo manum ſuperſtitem ima in papyro perſpexi. Salus te nobis ſoſpitet diutius precor. Quod de Petro Lindebergio, viro ornatiſſimo, tam accurate ſcripſiſti, argumento eſt amor ille ſingularis, quo hominem complecteris. Itaq; oden hanc cum laude tua coniunctam ad illũ exaraui, ſimulq; Lauream contuli tuo potiſſimum hortatu, viro ea digniſſimo: quam Lauream ille tibi acceptam ferat, æquum erit.

Scripſeram die 13. Feb. Francofurtum, vt ode ipſa libello adiiceretur, cujus mentionem feceras: ſed Palthenius nihil reſpondit. Conſultum igitur duxi, vt tibi exemplum carminis transmitterem: & quo perſpiceres, & voluntati me tuæ paruiſſe, & genio Lindenbergij obſecundauiſſe. Si

quid

quid præterea erit, in quo vobis ſtudium probare meum poſſum, jubeas & imperes velim. Bene vale Muſarum patrone optime maxime. Dat: Heidelbergæ die IX April: anno Chriſti. 1595.

HENRICVS RANZOVIVS
S. D.
PAVLO MELISSO.

NOn ſine delectatione, Vir Illuſtris. ex literis tuis cognoui, te de incolumitate mea adeo fuiſſe ſolicitum. Orietur hæc ſolicitudo tua proculdubio ex amore, quo me complecteris, quem vt erga me diu conſerues, rogo.

Gratias etiam tibi habeo permagnas, quod Oden, cum laude mea coniunctam, ad Petrum Lindebergium exaraſti, ſimulq; lauream contuliſti. Donabo te effigie mea ex auro conflata, dummodo certior a te fiam, ad quem Lubecæ vel Hamburgi illam deſtinari voles. Si quid præterea tibi præſtari a me poterit, quod gratum ſit, experiere me beneuolum ac promtum. Interim te Deo opt: Max: commendo. Dabantur Segebergæ 17. Maij Anno 1595.

HENRICVS RANZOVIVS P. C.
S. D.
GEORGIO ROLLENHAGEN.

LIteras tuas, vir doctiſſime, cumlibris quatuor ſerico indutis, nonnullisq; exemplaribus aliis a miniſtro tuo accepi. Pro quibus gratias tibi habeo & ago maximas.

Miniſtro tuo viciſſim quatuor, tibiq; ſexaginta taleros, per ipſum tradendos, donaui, quos vt vna, cum effigie mea aurea antehac transmiſſa grato animo accipias, ſummopere rogo.

Libros transmiſſos magna cum voluptate perlegi, ac cum filijs & filiabus, earumq; maritis, ac aliis amicis communicaui: Inſignes enim doctrinas, in vita humana vtiliſſimas, ſententiarum gravitatem, ac ſtyli germanici elegantiam in illis deprehendi.

Literæ etiam tuæ mihi fuere gratiſſimæ, quod cōtinerent exactum judicium tuum, de anno meo Climacterico Moſaico ſeptuagenario, quo Arabes ſuos Planetarum diviſores tam diurnos quam nocturnos abſoluunt. Minime fatalem illum mihi fore judicas, quod & egomet, ipſe vna tecum certo ſtatuo. Ex aſtris enim, illorumq; directionibus, tum etiam ex parentum ac maiorum meorum obitu, qui pleriq; annum ſeptuageſimum exceſſerunt, id ipſum colligo. Somnium præterea binis vicibus habui, me annum ſeptuageſimum ſeptimum ſuperaturum, id quod etiam, cum

multa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

multa mihi per ſomnia ante eventum ſint reuelata, ſpero, Deumq; opt. max. oro, vt me ad hos annos in vera fide ac certa reſurrectionis ſpe, integrisq; animi ſenſibus clementer pervenire dignetur. Verum

Seu mihi vita manet, ſeu mors, hoc gratulor vnum:
Sub Domini arbitrio vitaq́; morsq́; mea;

Cui te & me ex animo commendo. Dabantur raptim Segebergæ 28. April. An. 95.

BONAVENTVRA BODECKHER
Legatus Cæſareus.

S. D.

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO.

DVplici munere, Illuſtris Produx, defungor hac epiſtola, & gratitudinis, & ſeruatæ fidei. Primum enim gratias Magnif. T. ago maximas pro præſtitis mihi domi tuæ omnibus humanitatis & beneuolentiæ officijs, quorum recordatio nullo vnquam tempore apud me conſeneſcet. Deinde fidem exſoluo, quam diſcedens Segeberga poſcenti tibi dederam, me, ſi quid afferretur noui, id velle quam primum tecum commune facere. Habes igitur quod & priuatim læteris, me tui perpetuo obſeruantem fore, & publice de tam præclare partis victorijs, ſubactis Turcarum aliquot

propugnaculis, & prædis Sophia vsq; fortiter abactis exſultes. Faxit præpotens Deus, vt tam auſpicatis hujus anni belli initijs ſucceſſus proſperiores & deniq; euentus feliciſſimi reſpondeant : ac, quod vnice votis omnibus exopto, vt quemadmodum vrbium regina Conſtantinopolis a Mahomete ſecundo Chriſtianis ademta eſt, ſic denuo a Rudolpho noſtro ſecundo eadem Turcis auſpicatiſſimo eripiatur. Qua de re auxilium Numinis aſſiduis precibus implorandum; & annuet haud dubie, ſi ipſi quoq; noſtro fungamur officio & partes diligentiæ, conſtantiæ & fortitudinis, in hunc potiſſimum vſum a Deo nobis exſequamur. Quapropter& Mag. T. iterum atq; iterum maximopere rogo, vt pro ſua auctoritate piam hanc cauſſam, qua communis omnium ſalus continetur, pro viribus ſedulo juvare, & in hoc ipſum, de quo coram egi, enixiſſime incumbere dignetur. Bene vale, vir nobiliſſime & me, quod ſcio facis, ſingulari benevolentia tua complectere. Dominus Ieſus tibi tuisq; æternum benedicat. Hamburgi 8. Maij Anno 1595.

Illu-

HENRICO RANZOVIO PRODV-CI CIMBRICO.

S. D.

IACOBVS TYPOTIVS.

ILluſtris Domine Produx, Domine Obſeruandiſſime. Publicaui hyeme proxi-xima Francofurti quatuor opuſcula, orationes tres.

Exemplaria puero ad I. D. V. dedi. Leges ſi per occupationes licebit. Noui humanitatem tuam ex præclaris ingenij tui victuriſq; omni æternitate monumẽtis. Ac vt legas, te etiam atq; etiam vehementer rogo. Nam tibi vni propter eruditionem ſingularem & rerum omnium magnarum, ſcientiarumq; cognitionem vniuerſam probari malim, quam clariſſimo orbis terrarum amphiteatro.

Ego hercle tuas lucubrationes cupide legi & relegi; quoq; ſæpius legi, eo vehementius, vt in amore fit, amore & admiratione virtutis tuæ incendor. Quamobrem non tam peto, quam repeto officium. Audacter loquor: quia animum ſubit, quam tu me fortuna & dignitate ſuperes.

Hoc potius conſidero, vt tibi cedam ſcientia grauiorum diſplinarum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Ac ne rem modo meam agere videar effigies generoſi vultus tui, tuorumq;, & quædam tabellæ æneæ erant ſub prælo. Liber vero ipſis nundinis impreſſus a M. Palthenio iuſſu Fiſcheri. Ego propero, ad Principem Archiepiſcopum, rediturus ad I. D. V. ſi admiſeris. Hoc ex puero cognoſcam: quem mihi quæ tua comitas eſt, confeſtim remitte. Vale. Ieuenſtedæ Anno Chriſti 1595. Maij 23.

HENRICVS RANZOVIVS PRODVX CIMBRICVS.

S. D.

IACOBO TYPOTIO.

NObilis & Clariſſime Vir, Amice colende: Et literas, & literaria monumenta tua recte a puero tuo accepi, cum ex arce regia Segeberga ad meam hanc modo rediiſſem. Illis vt magnopere gauiſus ſum: ita tibi gratias ago quam maximas, relaturus pares, omniq; te complexurus benevolentia, vbi præſentem te videro. Quod vt quam primum fiat, maiorem in modum te oro, vt a Reuerendiſſimo Dn. Archiepiſc. Bremenſi rediturus, ex itinere Itzehoam deflectas. In ea vrbe, huic arci meæ vicina, futura ſunt his & ſequentibus aliquot diebus iudicia prouincialia, ad quæ perendie hinc mihi excurrendum erit, &

nomine Potentiſſimi Regis mei Iudicis officio cum nonnullis alijs perfungendum. Iſthic vbi me conveneris, & gratiſſimum te hoſpitē habuero, & in amicitiam meam, cuius fores vt bono & literato cuiq; ſemper patent, ita tibi optimo & literatiſſimo iam iam ſunt apertæ, lubenter recepero. Interea vt habeas, quo viæ tædium depellas, e lucubrationibus partim meis, partim meo ære publicatis, mitto, Calendarium Rom. Aſtronom. & Oeconomicum: Tractatum Aſtrologicum: vtraq; noſtra: Hypotypoſin arcium mearum Lindebergianam: Epiſtolas conſolatorias: Et: Elverfeldij de Holſatia librum.

Hæc vt boni conſulas & legas, vtq; mei iucundam memoriam ſerues, rogo.

Transmiſſos tuos eruditos labores cum tempore excluſus euoluere nō poſſem, ſubito, & quaſi ἐν παρόδῳ inſpexi, qui prima frōte magnopere mihi probātur, & inter hos præcipue orationes illæ, quæ de bello in Tyrannum Turcicum omni niſu, omni ope vrgendo erant ſcriptæ. Legam autem deinceps ſedulo relegamq; & lectos intra Bibliothecam meam, quam hic habeo, aſſeruari curabo, perpetuos initæ inter nos amicitiæ teſtes. Hæc ſubito tuis reſpondi, feſtinante puero tuo, quem literis ad præfectos, qua tranſiturus eſt, adiuui vt curru

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

te celeriter inſequi poſſet. Cætera coram. Vale, vir Clariſſime. Ex arce mea Bredenberga IX. Kal. Vtil. A. C. M. D. V C.

DOMINVS PETRVS HENRICVS A Gutzman Comes in Fuentes, Regis Hiſpaniarum Vicegubernator in Belgio,

Amicam mittit ſalutem & propenſam beneuolentiam,

HENRICO RANZOVIO PRODVCI CIMBRICO.

NObilis & ſtrenue, ſingulariter nobis dilecte: cum nuper Illuſtriſſimus Dominus, ſingularis noſter amicus, Dominus Carolus Comes Egmondanus, Dominus Gauriæ &c. ac ſtrenui, magnifici & doctiſſimi Viri Ferdinandus Lopez de villanoua, Gubernator & præfectus Cerpēſis & Lumperſumenſis: ac Ioannes Neukirch, vtriusq; Iuris Licentiatus ex itinere ſuo, quo in Daniam legati fuerant, huc rediiſſent, & Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino Erneſto Auſtriæ Archiduci, Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wurtembergi &c. Duci, Habspurgi & Tirolis Comiti &c. Domino noſtro Clementiſſimo,

piiſſimæ memoriæ, vniuerſa, quæ in itinere experti erant, vbere narratione expoſuiſſent, & inter alia inſignem quoq; humanitatem & beneuolentiam, quam tu ipſis abunde declaraueras, debitis encomiis prædicaſſent: Sereniſſima ipſius Celeſitudo piiſſimæ mem. iſta omnia vehementer probauit, gratoq; animo agnouit. Quam mentem ſuam ipſo opere, ac inprimis ingenti illa debiti ſumma, qua Antuerpienſis Reſpublica tibi tuisq; eſt obſtricta, ab eadem obtinenda, vt & alijs modis quam plurimis declaratura fuiſſet, niſi graui morbo, & hunc ad x. Kalendarum Martij inſecuta nimis præmatura morte ea præuenta ac impedita fuiſſet. Cuius Sereniſſimæ Celſitudinis anima, vt placide quieſcat in cœtu beatorum & ad communem omnium piorum reſurrectionem cum corpore reſuſcitato coniuncta, æternis gaudijs fruatur, precamur atq; exoptamus.

Quia vero a placido ac pio ſereniſſimi Archiducis deceſſu nobis gubernacula harum prouinciarum reſcripto regio commiſſa ſunt; proinde nos ex officio Potentiſſimo Daniæ Regi literis his adiunctis partim ſubmiſſe gratias agimus,

quod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

quod Reg. Maieſtas ipſius Dominos legatos tam promte admiſerit, magnifice acceperit, clementer audierit, benigne ijs reſponderit, liberaliter eos habuerit: partim etiam reuerenter exponimus, nos acta legationis illius primo quoq; tempore ad Potentiſſimum Hiſpaniarũ Regem, Dominum noſtrum clementiſſimum transmiſſuros, ac præterea nos omnem lapidem pro virili moturos, vt Reg. Maieſtatis Danicæ vaſallorum ac ſubditorum negotia, quæ hic habent, expediantur, ac præcipue vt tuis tuorumq; querelis ob ingentia illa Antuerpienſium debita ſatis fiat, Illuſtriſſi. Marchioni ab Haure nos iſtius cauſſæ tractationem decreturos. Cæterũ tibi quoq; pro multis ac præclaris illis in Dominos legatos promotionis, humanitatistatis ac ſingularis amicitiæ officiis gratias agim[us] quam maximas, literis ea coram potent[iſſi]ſimo Hiſpaniarum Rege Domino noſt[ro] Clementiſſimo celebraturi, & ſedula[m] inſuper operã pro viribus daturi, vt in ca[u]ſa illa tua debiti Antuerpienſis promoue[n]da, ac alijs officiorum generibus illi tuæ beneuolẽtiæ a nobis hisin oris reſpondeatur.

Hoc de nobis certo tibi perſuaſum eſſe volumus, qui in te optime ac amiciſſime ſumus affecti. Datæ Bruxellis, 8. id. April. Anno Chriſti M. D. VC.

Finis.

HENRICO RANZOVIO P. C. S. D.

CONRADVS DECIVS.

TAnta eſt paſsim nominis tui celebritas, tantaq; virtutum tuarum exiſtimatio, Ampliſsime Domine Ranzovi, ut nulla unquã apud nos Danicarum rerum abſq; grata & honorifica nominis tui recordatione fiat mentio. Idq; non injuria, quippe nihil magni nihilq; egregii ſine conſilio & authoritate tua iis in partibus fieri poſſe videntes; ac ſanguinis generoſitate, cui ſummam eruditionem, & plurimarum rerum uſum & experientiam conjunxiſti, meritis deniq; in patriam ampliſsimis hoc ſuo quodammodo jure poſtulantibus. Et quamvis ætate provectiori, maximiſq; regni Danici curis implicitus ſis: tamen in Aönidum caſtris militare, & de re literaria magis magiſq; benè mereri non ceſsas, quin imò conſecutã jam dudum ex Helicone palmã indies altius efferre laboras. Quo nomine omnibus es admirationi, neminemq; non in tui amorem rapis. Siquidem & ego tuarum laudum præconiis accenſus, de dicandis nomini tuo meis qualibuscunq; ſervitiis jam dudum cogitavi; ſed locorum intercapedine, & nunciorum hinc ad vos commigrantium paucitate fruſtratus, facere id hactenus non potui.

Jam verò hac ſe occaſione offerente, ut homo non ex Holſatia, ſed è domo propria & familiaribus Ampliſs. D. tuæ ad nos veniret, continere me non potui, quin haſce, meæ in jnclytum D. Ran-

zovium, literatorum hoc tempore Mecœnatem unicum, obſervantiæ argumentum, ſcriberem, Annaliumq; Auſtriacorum à quodam Gerardo de Roo collectorum & me non ita pridem in lucem editorum exemplar tranſmitterem, mihi planè perſuaſum habens, hanc mei erga te ſtudii declarationem ab Amplitudine tua bono acceptum iri animo. Quod ſi intellexero, ſuis ſervitiis me magis ac magis deditum experietur.

Porrò cū Rex veſter in ea ſit ætate, ut propediē ad majora rerum momenta ſit proditurus, & nullum hoc tempore ſtudii genus magis quàm hiſtoriæ conveniat, non abs re me facturum putavi, alterum exemplar pro ſua Regia Majeſtate adjungere. Si igitur Ampl: tuæ videbitur, ut ſuæ Maj. offeratur, fiat: ſin minus, & ſi forſan munus hoc tanto Rege indignum judicaveris, alicui amicorum pro libitu id dare poteris, in eo enim me arbitrio Ampl: t. ſubjicio, enixè rogans, ut me in eorum numero habere velit, qui Ranzoviano nomini & laudibus ſunt addictiſsimi. Vale viveq; diu quàm feliciſsimè veræ nobilitatis decus unicum. Oeniponto. 12. Calend. Aug. 93.

HENRICO RANZOVIO PRODUCI Cimbrico S. D.

IANVS GRVTERVS.

VIrorum Nobiliſsime Dn. Ranzovi, etſi nec tempus mihi erat, nec valetudo, quæ ſcribendo ſufficerent; tamen cūm convenirer obiter ab doctiſsimo Lindebergio, qui ſe tuæ diceret clientelæ, non potui, nec adeò debui, quin tribus ſaltem verbis te compellarem Heroëm mihi

mihi ante aliquot annos amicum, neq; nunc, ut auguror, alienum, etſi pluribus annis mutuæ nullæ inter nos fuerunt epiſtolæ. Et ſic eſt, ampliſſime vir, ex quo à vobis abii, variè cum novercante fortuna conflictatus ſum; & tandem deſerta VViteberga, quòd recuſarem libri Concordiæ ſubſcriptionem, Heidelbergam adveni, ubi jam nunc ago peculiaris ipſius Electoris Profeſſor hiſtoriarum atq; antiquitatis. Interim etjam hîc Fatum in me ſævit, erepta uxore quam hîc primum annum ante duxeram, modeſtia, forma, ingenio præſtantiſſimam, ex qua cum ſuperſtes ſit filia, & ea requirat matrem nutricem, eò iterum deductus ſum, ut heri ſponſalia celebrarim ſecunda, cum lectiſsima virgine filia Doct. Kimedoncii Theologi, quæ ſcilicet hîc unica erat meæ linguæ, et meorũ morum. At jam ante horam, ut publicè profiteor, ecce invadit me quoddam quaſi animi deliquium, quo ipſo factum, ut nondum hora conſumpta cathedram relinquere coactus, domum redierim; ubi offenſo commodè D. Lindebergio iſtud ſtatim, ſed ægrè manu ducente, exaraverim, teſtem et indicem conſervati tui amoris, tuæ obſervantiæ, hoc eſt, habere te in me, nobilitatis, virtutis atq; eruditionis tuæ cultorem ſingularem; quem ut ideò amore ſolito tuo complectaris, unicè rogo votisq; proſequaris apud Deum opt. max. quo conjugium iſtud mihi verè ſit ſecundum. Vale vir ſumme, et ignoſce ſtyli impolitiæ. Heidelbergæ die 26 Junii Anno 1595.

HENRICUS RANZOVIUS
Produx Cimbricus S. P. D.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

IANO DOVZAE, PATRI, NORDOVICI Domino ſupremi ſenatus Ordinum Hollandiæ Aſſeſſori.

VEnit ad me cum literis tuis, Nobilis & Magnifice Douza, Amice colende, ſub initium hujus anni Franciſcus hic Tengnaglius Nobilis Geldrus, cujus ego & probitatem, & in humanioribus ſtudiis tum profectum mirificum, tùm in eadem amorem ardentiſsimum penitus perſpexi. Etſi autem conatus ipſius laudatiſsimos opera mea promotum lubentiſsimè jviſſem: facere tamen his in oris nihil potui, quod è re ipſius viſum fuiſſet. Itaq; cùm ad vos redire ſtatuiſſet, benignè dimiſi. Quod ſi apud vos erit, quo ipſi auctoritate tua prodeſſe poteris, id pro veteri amicitia noſtra ut facias, amanter oro. Dignum certè eum judico, in cujus ſtudia beneficii quid conferatur. Nec dubito, quin is animum gratum ac meritorum memorem ſit præſtiturus. Hìc, DEI benignitate, pleraq; adhuc mediocriter ſunt tranquilla. Quid in Batavia veſtra rerum geratur, ſcire pervelim. Vale, Magnifice vir, & me amare ne deſine. Segebergæ Non. V. til. A. C. M. D. VC.

HENRICUS RANZOVIUS PRODUX Cimbricus S. P. D.

IANO DOVZAE, FILIO.

Equi-

EQuidem doleo, Nobiliſsime Douza, Amice ſingularis, in juvando hoc Adoleſcente, quem mihi commendaveras, Franciſco Tengnaglio Nobili Geldro illud me facere non potuiſſe, quod & tu literis diligenter de eodem ſcriptis petieras, & ego ipſe optaram. Nam & ob vitæ honeſtæ puritatem & ingenii eruditi induſtriam admirabilem eum mihi ſeſe probavit, qui magno aliquo beneficio ſit dignus.

Quod cùm ego his in oris, licet ſolicitè circumſpiciens, ipſi præſtare non potuerim: diſceſſum petentem potius dimittendum cenſui quàm diutius in cœpto ſtudiorum curriculo impediendum. Sed nec prolixiori excuſatione utendum eſſe duco, cum ipſe Adoleſcens jam ſciat, quis ſit harum regionum ſtatus, & quam omninò nihil occurrat, aut etiam occurrere poſsit quod ipſi proſit. Quē autem hìc quæſivit, exiſtimo apud vos commodius ipſum nanciſci poſſe locum, quo curſum, quē tenet, ex voto perſequatur.

Hoc ut ipſi ex animo favens voveo: ita te amanter oro, ſi poſsis, ut conſulas, promoveas, juves. Erit hoc mihi admodum gratum, qui tibi amicus & vivam & moriar. Vale, Segebergæ, Non. V. til. A. C. M.D. VC.

HENRICUS RANZOVIUS PRODUX Cimbricus S.P.D.

TYCHONI BRAHE, ARCIS VRANIburgi in Inſulâ Huænâ Helleſponti Danici præfecto.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

ADoleſcens, qui has tibi reddit, Nobiliſsime & Magnifice Dn. Tycho, Affinis cariſsime, Nobili genere natus eſt in Geldria, è familia Tengnagliorum, modeſtis moribus præditus, nec vulgari eruditione. Is ineunte hoc anno è Lugdunenſi Batavorum Academia ad me venit à Douza utroq; patre & filio mihi commendatus.

Quem ego ob utrumq; & morum & doctrinæ donum opera mea lubenter aliò promoviſſem, ſi cõmoda, ipſiq; fructuoſa ac grata occaſio ſe obtuliſſet. Iam verò ad Batavos reditum meditatur, maritimo per Helleſpontum veſtrum Danicum itinere, teq; in tranſitu ob inſignem celeberrimi nominis tui famam videre decrevit. Eum tibi majorem in modum commendo, & amicè oro, ut benignè accipias, biduum triduumve tecum habeas, ac inſpiciendi Theſauri tui precioſiſsimi (Organa cœleſtibus motibus accommoda intelligo) copiam facias. Erit hoc tibi honorificum, quòd is cùm apud Batavos ſuos, tùm alios, quocunq; terrarum venerit, illum tuum ſplendorem pariter, & in hoſpites, litteratos inprimis, favorem prædicare poterit; mihi verò pergratum, qui tùm hoc merito tuo tùm affinitatis ac neceſsitudinis noſtrę nomine, tui cauſſa viciſsim omnia, quę facere potero, quam lubentiſsimè effectum dabo.

Mitto hic, quæ ſumptibus meis nuperrimè prodierunt, de morte meditationes ab H. Hammelmanno collectas, mihiq; inſcriptas, quas boni conſules, meq; amare perges. Vale quam optimè Affinis colende. Segebergæ, Non. Vtil. A. C. M. D. VC.

HEN-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

HENRICO RANZOVIO PRODVCI Cimbrico S.P.D.

RVMOLDVS MERCATOR, GERARDI Mercatoris Filius.

QUANQUAM Nobiliſsime Ranzovi nulla mihi tecum intercedat amicitia, ut ea fretus te in tanto rerum faſtigio ſedentem, familiariter meis literis interpellare debeam: tamen facit hoc humanitas tua ſingularis à multis doctis celebrata, ut te non ægrè laturum, ſi ut hæres paternorum bonorum, ita etjam paternæ amicitiæ quaſi ſucceſſor familiarius quædam agere tecum conarer. Itaque cum Gerardi Mercatoris patris mei chariſsimi, jam in Chriſto defuncti, labores Geographicos excuterem, eoſq; prælo cõmittere, ut eorum aliquem fructum caperemus, decreviſſem, incidi in literas à te ad patrem humaniſsimè ſcriptas, ſimulq; inveni quoſdam de Regni Danici & vicinarum regionum Politico ſtatu tractatus, à te ad patrem tranſmiſſos. Eos perlegi, & ad uſum meum reciſos & aliquantulum interpolitos, ut cum patris inſtituto convenirent orbis arctoi tabulis, quas nunc cũ reliquis Septentrionalibus tabulis in lucem emitto, adjunxi, atq; in hoc paternæ amicitiæ hæreditatẽ cernere volui. Cum autem hiſtoria omnibus hominibus ſit vtilis, & præcipuè viris in republica verſantibus neceſſaria: ea autem ſine locorũ & temporum certa demonſtratione, planè ſit cœca & tenebris dimicet: rectè faciunt qui Chronologiam & Geographiam velut duas faces, ad Hiſtoriarum lectionem diligenter adjungunt. Vtrumque pater meus editis diverſis

operi-

operibus ſedulò, dum vixit, ſectatus eſt; an verò utrumq́; ſit aſſecutus, poſteritas ab invidia, ira, et odio libera, facile judicabit: certè utrumq́; aſſequi pro virili conatus eſt. Igitur cum Chronologiam certis demonſtrationibus temporum confirmatam tradidiſſet, eamq́; ad incudem revocaſſet: Cumq́; Ptolomæi tabulas ſuo priſtino nitori emendatas reſtituiſſet: ſtatim ſe ad novam Geographiam exornandam & divulgandam contulit, & ut reipublicæ literariæ in hoc conſuleret, primum Galliæ, Germaniæ, Italiæ, cæterasq́; tabulas edidit, quę propter quotidianas rerũ converſiones quàm maximè hoc tempore deſiderarentur, ea ratione etjam ſumptibus levandis viam conſternens. Quia autem ſemper erga eos à quibus eſſet adjutus, pater fuit gratiſsimus, nec quenquam ſua laude privari voluit: æquum eſt, ut et ego ejus veſtigia conſequar, utq́; eas tabulas tabularumq́; inſcriptiones, quas à te accepit, tibi viciſsim in monumentum grati animi inſcribam.

Accipe igitur Nobiliſsime Ranzovi, patris mei poſtrema ſenectute confectos labores, tuamq́; Daniam, Norvegiam, Sueciam et cœteras orbis arctoi vicinas regiones in iis comtemplare, ſubeatq́; animum veteris amici recordatio, qui quod ipſe debuit et voluit, nunc per filium ſuum hæredem tibi offert et dedicat. Quod ut benevolo animo à me factum: ita et eodem à te animo accipiatur, te benignè rogo. Vale.

Duysburgi Clivorum,
Anno 1595.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

THRENVS ET EPITAPHIA
in luctuoſum obitum,

NOBILISSI-MÆ AC CASTISSIMAE MATRONAE, SOPHIAE RO-ſencranziæ, Coniugis lectiſsimæ

NOBILISSIMI AC MAGNI-FICI VIRI, DN. BREIDONIS RAN-zouii, Dn. in Ranzouiſ-holm, &c.

SERENISSIMI REGIS Daniæ Conſiliarij, & prouinciæ Lan-gelandiæ Præſidis: filij

NOBILISSIMI AC MAGNI-fici Dn. Henrici Ranzouii Producis Cimbrici, &c.

Auctore
M. GEORGIO LVDOVICO FROBE-nio, Erici Ranzouii, defunctæ matronæ ex ſo-rore nepotis præceptore.

Quibus adiecta ſunt nonnulla Petri Lindenbergii.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

THRENVS.

HActenus, Aonia redimitus tempora lauro,
Aut aliquem noſtro Regi meditabar honorem,
Lætior, aut thalami fœdus gratabar amicis:
At nunc, lugubri vultum velatus amictu,
Triſte queror Fatum, Fatum quod florida quæq;
Semina prima metit, triſteſq; relinquit auenas.
Tollite Pierides, laurum: non iſte dolorem
Fert color; haud grauibus lamentis commoda laurus:
Ferali vatem potius velate cupreſſu,
Et triſti gemitus lacrymaſq; inſcribite Ramo.
Me miſerum, ingentem quo pandam carmine luctū!
Quid primum extremumue querar? quo nomine dicā
Defunctum caput? heu, dirum ſub pectore vulnus
Fando recrudeſcit, Veniam date, prodiga luctus
Quæ cum Ranzouia ſe gens Roſencranzia iunxit,
Dicendum eſt: Miſeri Sophiam, Sophiam lugemus
Breidonis dominam, Ranzoo produce Cimbrum
Qui ſatus Henrico, Langlandis præſidet oris.
Phœbe pater, luge; luget Ranzoius heros,
Qui tibi Phœbe, ſacer: cuius nec lædere canos
Parca timet, plures quin iam tumulaſſe per annos
Cognatos adigat manes, & funere crebro
Commoueat lacrymas. Nec dum exſaturata quieſcit,
Quin caram rapuiſſe nurum, & cæleſtibus auſit
Tranſpoſuiſſe choris, & luctibus addere luctum.
Pierides lugete genus, quod veſtra frequenti
Sacra colit fœtu, fœtumq; alit vbere ſumtu.
Heu quanto luctu, heu quanto turbata dolore eſt,
Ranzouiana ſimul domus & Roſecrantia: amaris
Cuncta fluunt lacrymis, triſti nec lumina fletu
Sufficiunt: lugetæ piæ lugete, Camœnæ.

Pierides

Pierides lugete: decus, quod coniuge dignum eſt.
Virtutum, ſacro ſcribit quas carmine vates
Tharſiacus, luget, gemituq; ad buſta dolorem
Teſtatur: lugete, piæ lugete Camænæ.
Pierides lugete: precum vigilantia, templi
Fidus amor, veri mens conſcia Numinis, aræ
Sanctus honos, ſuperum & ſacri reuerentia verbi,
Triſte gemunt: lugete, piæ lugete Camænæ.
Pierides lugete: tori illibata iugalis
Copula, coniugiiq; fides, & fida mariti
Spes, ærumnarum ſolamen dulce queruntur
Defunctam: lugete, piæ lugete Camænæ.
Pierides lugete: perit (proh) pulcra regundæ
Norma domus, & fulcra cadunt, opibuſq; parandis
Mens ſcita, ac ternæ prolis cura optima, prolis
Ah teneræ: lugete, piæ lugete Camenæ.
Pierides lugete: tenax æquiq; boniq;
Propoſitum; & probitatis honos; & copia ſani
Conſilii; & ſenſu iunctus cum ſimplice candor
Fata dolent: lugete, piæ lugete Camænæ.
Pierides lugete: piæ miſeratio mentis,
Affectuſq; dolens miſero, & ſuccurrere egenis
Promta manus, diues meritis ac munere plangunt
Abreptam: lugete, piæ lugete Camænæ.
Pierides lugete: iacet flos integer æui,
Flos formæ, muliebris honos & prima Coronæ
Gloria; delicium domini; lepor oris; honeſtæ
Blanditiæ: lugete, piæ lugete Camænæ.
Pierides lugete: domus ROSECRANZIA *plangit*
Ereptumq; decus, ramumq; a ſtirpe reciſum:
Heu, magni illius ſoboles Illuſtris ERICI
Occidit: heu, lugete, piæ lugete Camænæ.
Pierides lugete: cadit, cum matre, tenella
Progenies, Vtrumq; olim præſtantibus auſis
Quæ retuliſſet auum, in nomenq; fuiſſet itura,
Si vixet: lugete, piæ lugete Camænæ.

At nunc, Pierides, luctu deſiſtite: Olympo
Reddita mens viuit, Cœleſtibus Heroinis
Adſcripta æternum cara cum prole quieſcit;
Corpus humo tegitur: luctu deſiſtite Muſæ.
Pierides luctu deſiſtite: Phœbus anhelo
Mox lucem adducet curru, qua dia ſonabit
Buccina per mundum, gelidiſq; excita ſepulcris
Oſſa animam repetent: luctu deſiſtite Muſæ.
Pierides luctu deſiſtite: perpete plauſu
Tunc ſuperos atq; ante DEVM, *cœtuſq; beatos*
Continget ſobolemq; ſimul caramq; parentem
Tangere dulce melos, luctu deſiſtite Muſæ.
At vos, Sanctæ animæ, æternum ſaluete, receptæ
Sedibus æthereis, atq; hunc mœrentis honorem
Exiguum, non exiguum mœrentis honorem,
Accipite: atq; iterum ſaluete, iterumq; Valete.

EPITAPHIVM

NOBILISSIMAE ET LECTISSIMÆ MATRONÆ, SOPHIÆ Roſencranziæ: Coniugis dulciſſimæ

NOBILISSIMI ET MAGNIFICI VIRI, Dn. BREIDONIS RANZOUII Domini in Ranzouiſholm &c.

Regis Daniæ Conſiliarii, Langlandiæq; Præſidis &c.

QVAE IN VERA AGNITIONE ET FIde indubitata Chriſti Mediatoris, puerpera placide obiit Anno Chriſti 1593. exeunte, Decembris Die 29. Hora matutina 4. cum vixiſſet annos 33. Dies 7.

Hic

HIc SOPHIÆ *tegit oſſa lapis, Roſecrantia gentem*
Cui dedit; at thalamum Ranzouiana domus.
Succubuit letho, grauiter dum enixa puellum,
Infauſto poſuit ſidere ventris onus.
At nil fata nocent, nihilo infelicior illa,
Quod peperit: longe ſanctior illa perit.
Si qua fidem ſeruat mulier caſtumq́; cubile,
Dum pariendo perit, non pereundo parit.

ALIVD.

EPITAPHIVM SOPHIAE ROSENCRANZIAE &c.

H*Ac quiſquis tranſis, paullum ſubſiſte, viator,*
Et mecum ſolita pro pietate dole.
Memoriæ ſacrum hoc,
Ego BREIDO RANZOVIVS
Henrici Vicarii filius,
Animæ meæ dimidio, cordis delicio,
Vitæ ſolatio, pectoris deſiderio,
SOPHIÆ ROSENCRANZIÆ,
Matronæ nobiliſſimæ, coniugi cariſſimæ,
Cum immaturo partu ad portum,
Infauſto abortu ad ortum
Vitæ rediuiuæ perueniſſet,
ET
Animam Deo, prolem naturæ,
Exſuuias terræ, dolorem amicis,
Mihi vero luctum ſempiternum
Pie & Placide
Anno 1593. *Decemb.* 29.
diſcedens reliquiſſet,
Non honoris ergo, quo abundabat viua,
Floreſcet mortua,
Sed amoris cauſa, fieri feci.

Vt quam viuam ſeruare non potui,
Æterna memoria proſequerer,
Et fragilitatis humanæ memor, ipſe mortales
Miſerias mihi ob oculos ponerem.
Vixit annos 33. dies 6. in caduco hoc ſolo.
Victura perpetuum in æterno polo.
Hæc volui, vt ſcires, nunc, quolibet, ito viator.

EPITAPHIVM

ERICI RANZOVII IN PRIMO VITÆ LIMINE MORTVI:

NOBILISSIMI ET MAGNIFICI VIRI DN. BREIDONIS RANZOVII SENATOtoris Danici &c. filioli: qui obiit A. C. 1593. Decemb. Die 14. Hora 7. Scr. 30. ante meridiem, cum vixiſſet horas duas.

HIc Breidone ſatus Ranzoo dormit Ericus.
Cui matrem Sophiam dat Roſencranza domus.
Heu puer infelix, qui raptus ab vbere matris,
Heu tener, exiguo tempore vixit humi.
At minime infelix, cui cum cruce vita receſſit
Ante diem, miſerum quem vetat eſſe DEVS.
Eſſe ſalutari lotum Baptiſmatis vnda
Sufficit, in terris ſi ſupereſſe nequit.
Eſt aliquid caruiſſe dolo, & natalia præter
Crimina nec mundum, nec temeraſſe polum.
Eſt aliquid caruiſſe malis ſenſuque dolorum,
Atque DEI *intuitu colloquioque frui.*

ALIVD

EPITAPHIVM ERICI RANZOVII.

D. O. M. S.

QVis lateat quæris, vicino marmore tectus
Hominum? viator optime:

Non

Non ſexagenarius, aut vigenarius:
Non decennis, aut ſeptennis
Non quimus aut trimus:
Non bimeſtris aut biduanus:
Sed duarum horarum homullulus
ERICVS RANZOVIVS,
Breidonis, Langælandiæ præſidis filiolus,
HENRICI, *Producis Cimbrici, nepos.*
Qui, eodem quo natus die,
Cum mundi immundi miſerias quaſi per
Tranſennam tantum animaduertiſſet,
Et ſacri baptiſmatis vnda dominicæ
Familiæ inauguratus eſſet,
Feliciter infelix,
Naturæ iterum conceſſit.
Tu manibus eius, & accubantis matris,
Quæ & ipſa quoq; Lucinam infauſtam experta,
Decimo quarto a partu die,
Carnis ſarcinam depoſuit,
Bene precare &
Mortis ac ſalutis tuæ memor pius viue.
Atat, ne diem & annum obitus ignorares,
Fuit hic ab incarnatione Domini poſt ſeſquimilleſimum nonageſimus tertius; ille vero Decimus quartus Decembris His aue & vale.

Lindebergius faciebat.

QVERELA
HENRICI RANZOVII PRODVCIS CIMBRICI IN OBITVM

NOBILISSIMI ET MAGNIFICI VIRI, HACCONIS HVLGERI, DN. IN EICKENberg, Mariſchalci Regni Daniæ, Affinis ſui Chariſſimi, qui obiit, Anno Chriſti 1594. Menſe Nouembri.

SIccine Parca, meo nondum ſatiata dolore,
Cauſſa redit luctus materieſque noui?
Dum mihi narratur ſinceri funus amici,
Inſtar germani qui mihi fratris erat.
Quis fuit ille, rogas? Hac co pietate, fideq;,
Et generis clarus Nobilitate ſui:
Qui fuit Hulgerus celebri cognomine dictus,
Supremum perhibent hunc obiiſſe diem.
Hinc iterum triſtem concepit Dania luctum,
Hinc nouus excruciat meque meoſque dolor.
Vix in corde vetus dolor ille reſederat ægro,
Quem fecit rabie Mors truculenta ſua:
Cum mihi tres natos anno iugulaſſet in vno,
Quæ mihi grandæuo ſors minus æqua fuit.
Triſtia quid memorem Friderici funera Regis,
Sub quo Danorum floruit aula potens?
Hæc quoq; ſat magnum nobis peperere dolorem:
Fidus erat patriæ nam pater ipſe ſuæ.
Nunc quia ſæua duos mihi Parca peremit amicos,
Tertia legitimi cauſſa doloris adeſt:
Hulgerum, Caaſumque puto, quorum inclyta virtus,
Sæpe fuit, conſtans ſæpe probata fides.
Tot ſenſi caſus, tot me preſſere dolores;
Hinc factus vitæ ſum ſatur ipſe meæ.
O Mors ſolue, precor, tali me carcere vitæ,
Vita mihi dolor eſt; Mors erit alma quies.
Quod ſupereſt, o vos Manes ſaluete, valete
In Chriſto, donec ſubſequar ipſe, pii.

ALIA.

SIc ærumnarum variis ſubiecta procellis
Vita hominum, vt nil ſit, ni dolor atque labor.
Hoc queror expertus, caſus nam paſſus acerbos
Multoties, fuit & ſors minus æqua mihi.
Fata mihi multum caros rapuere Parentes, a
Fata mihi fratrem ſurripuere meum. b

a Patrem Ioan: Eq: Aurat. An: 65. 12. Decemb. Cũ vixiſſet

Nec

Nec minus interiit mihi quæ ſoror vnica vixit.
Magdalis & Chriſti clauſit amore diem.
Affectu patrem Fridericum Parca ſecundum
Danorum Regem, ſuſtulit atque mihi. c
Pignore ſum ſpatio priuatus & vnius anni
Terno, grandæuo ſors onerosa nimis. d
Quatuor amiſi diuerſo tempore gnatos,
Filia ſic obiit vel Catharina diem. e
Exceſſere ſolo Neptes & ſæpe Nepotes:
Eripuitque Nurum ſors inimica mihi, f
Prætereo fidos, queis ſum ſpoliatus, amicos.
Frugifera & quorum candida vita fuit.
Nunc vbi vix Caaſus clauſit ſua lumina ſemper
Qui mihi percarus, fratris & inſtar erat. g
En mihi qui ſimili fuerat dilectus amore,
Haccius Hulgerus fata ſeuera ſubit: h
Dania quem mecum fatis ſibi luget ademtum:
Hoc ingens etenim perdidit illa bonum.
Scilicet hæc patior dum multa incommoda vitæ,
Quis non iure velit condoluiſſe mihi?
Sed quamuis frangant me commoda multa dolorum:
Non tamen his vnquam ſuccubuiſſe queo;
Aſt mihi in aduerſis ſemper ſolatia præſtat,
Ac præſens tantis ſit Cataplaſma malis:
Nempe quod hos olim ſupera viſurus in aula
Sim vere, ex merito, non aliunde, DEI.
Namque meæ vitæ ferme data meta peracta eſt: i
Et ſic nil cupio, quam bene poſſe mori.
Morte dabis placida ſuperas euadere ad auras,
Adſpectuque frui, me, pie CHRISTE, *tuo*

annos 73. & Menſem vnum. Itẽ Matrẽ Annam Vualſtorpiam, An: 82. 29. Decem. Cũ vixiſſet, An: 72.
b *Paulum, An: 79. 9. Cal: Apr.*
* *Anno 57.*
c *An. C. 88. 4. Aprilis Ætat. 54.*
d *Friderico filio: Catharina filia: Et ex Olgarda filia, Catharina Nepte obiit, An: 88. 20. Ian: Theodorũ, An: 82. Fridericũ, An: 87. & Caium, An: 91.*
e *Anno 87. 26. Maii.*
f *Sophiam Roſencranziam, filii mei Breidonis coniugẽ, Anno 93. 29. Decem:*
g *Obiit*

DE VITA HOMINVM.

PRincipium lacrymæ, lacrymæ ſunt terminus æui;
Pars media at qualis? quantula? tota dolor.

Anno 94. 29. die Iunii. h *Anno hoc Chriſti labente, 1594. Menſ. Nouembr.* i *Qui annum iam ago fere ſeptuageſimum.*

LVGVBRES NARRATIONES DVAE.

de obitu

ILLVSTRIS AC GENEROSI VIRI Dn. NICOLAI CAAS, DOMINI IN TARVP,

magni Daniæ Cancellarii, & Equitis ordinis Danici, qui 29. Die Iunii, ſub quartam pomeridianam hoc anno Chriſti 1594. labente, Hafniæ, magno Sereniſſimi Regis, Illuſtrium Senatorum, & omnium bonorum cum luctu, in vera agnitione & inuocatione Chriſti Mediatoris, vitam cum morte commutauit.

SVBIVNCTÆ SVNT NONNVLLAE ELEGIAE funebres Nobiliſſimi ac Magnifici Viri: Domini HENRICI RANZOVII. *producis Cimbrici, deceſſum eiuſdem fidiſsimi amici ſui acerbe ac pie deplorantis.*

Anno Chriſti 1595. a prima Creatione 5557. a prima Oldenburgicorum Comitum in Reges Daniæ electione 147. ab vltima Dithmarſiæ ſubactione 36.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

BEATIS MANIBVS ILLVSTRIS DOMINI NICOLAI CAAS,

Quietem P.

Accipite, Herois CAASI *pars altera, Manes,*
Hoc, veſtri Muſæ quicquid amore dolent.
Fundimus has lacrymas, iuſti monumenta
(doloris.
Et meritas vobis ſoluimus exequias.
O vtinam pectus mærori, verba quærelæ
Sufficiant, oculis plurima gutta ſuis:
Vt quanta inſurgant veſtro ſuſpiria raptu,
Quilibet expreſſo nouerit indicio.
Nunc ſaltem exiguo teſtamur carmine luctum,
At reliqua internus plangor & angor habet.
Saluete æternum, cælo ſaluete recepti.
Manes & faciles accipite has lacrymas.

Miti Gaudentem Lumine Fata iuuant.

***

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

NARRATIO PRIOR.

COmmuni quodam omnium Politiarum fato accidere videmus, Lectores humaniſſimi, vt quotieſcunq; ex iis viri præſtantes ac bene meriti auferantur, non tam conſtans earum ſalus ac felicitas ſit ſperanda, quam ſingularis aliqua calamitas vehementer metuenda. Cõfirmant idem præter ſacras literas, & eorum, qui annales ſcripſerunt, monumenta, doctiſſimi quiq; Philoſophi, & inter hos ſapientiſſimus Plato, dum inquit: ὅταν βούληται Θεὸς εὖ πράξαι πόλιν, ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐποίησεν, ὅταν δὲ μέλλῃ κακῶς πράξαι πόλιν, ἐξεῖλε τοὺς ἄνδρας τοὺς ἀγαθοὺς τῆς πόλεως ὁ Θεός: hoc eſt, quando vult Deus benefacere ciuitati, viros præſtantes mittit: quando vero vult punire ciuitatem, auocat ex ea viros bonos Deus. Quemadmodum enim τὸ βουλεύεσθαι, ſecundum Ariſtotelem, τὸ περὶ τῶν ἀνθρώπων θειότατόν ἐστι, hoc eſt, Conſiliarius eorum, quæ inter homines, diuiniſſimum eſt; & ſalutarium gubernatorum copia Reipublicæ ſaluti ac quieti plurimum prodeſt: ita Rempublicam, quæ eorum penuria laborat, miſere affici ac moueri haud raro comperimus. Vere Plinius: Nullum maius boni imperii inſtrumentum eſt, quam boni amici. Nec minus vere Saluſtius: Neque exercitus, neq; theſauri præſidia regni ſunt, verum amici. Quos autem alios Regum amicos vere exiſtimabimus, quam illos ipſos, qui conſiliis, qui opera, qui conſuetudine ſua iis præſto ſunt, omnemq; rerum ſummam & pacem & bellum intra prudentiam ſuam quaſi coercent atque concludunt? quos non minus quam ipſos Reges, ſi qua in publicum prodeant, veluti benefica & ſalutaria quædam numina ſubditi aſpiciũt, ac inter amorem timoremque medii, alternis iudiciis ambigunt, Dominos ſalutent, an Patres. Huiuſmodi excellentes Viri cum ſecundum Menandrum, ſint κοινὸν ἀγαθόν: communis quoque luctus eos ſequitur, quoties ex hac vita, Deo euocante, exeunt.

Ex horum numero fuit Illuſtris ac Generoſus Dominus, Dominus Nicolaus Kaas, Dn. in Tarup, Magnus Regni Daniæ Cancellarius, Ordinis Danici Eques, natus ex nobili ac peruetuſta familia Kaas in Cherſoneſo Cimbrica ſiue Iutlandia, quem vt pietate, doctrina, rerum vſu ac cæteris omnibus virtutibus gubernatori bono neceſſariis miſericors Deus abunde ornauit, & ſingulari quodam beneficio iſti regno donavit: ita rebus humanis non adeo pridem, noſtris peccatis iratus rurſum exemit, nobiſq; dolorem, deſiderium, & calamitatis cuiuſdam publicæ metum reliquit. Etſi autem arcanum DEI conſilium, quid tanto viro obrepto ſtatuere de his terris velit, adhuc ignoremus, & coniicere potius nobis liceat quam ſcire, nihilominus florentiſſimi iſtius regni felicitatem & ſperemus, & merito ipſi gratulemur ac a DEO optemus: fatendum tamen eſt, eo ipſo haud leuem illud accepiſſe cladem, quod tanti viri prudentia ac præſidio orbatum eſt. Cæterum vt præclariſſimis defuncti virtutibus aliquis habeatur honos, & meritorum in Rempublicam ingentium memoria digna conſeruetur, pro pio ac bono facturus videor, ſi quaſi ἐν παρόδῳ ſeu obiter recitem, quo fine ex his terris diſceſſerit. Nam & debita in ſanctos manes pietas ac obſeruantia hoc qualecunque iuſtorum officium exigunt: & Lectoribus (ſpero) rem faciemus non iniucundam. Itaq; ſe res in hunc modum habet.

Cum ſeptimanis aliquot ante piiſſimum obitum Illuſtris Heros incerta ac tenui eſſet valetudine, factum eſt, vt ad lentam illam ægritudinem dyſenteria tandem acceſſerit, qua cum aliquot dierum ſpatio vehementer conflictaretur, nec remediis vllis fluxus ſiſti poſſet, ſed incrementum ſubinde ſumeret, omnes corporis vires penitus adeo proſtratæ ſunt, vt de vita, diutius ipſi proroganda, ab omnibus dubitaretur. Illum vitæ ſuæ finem cum piiſſimus Heros

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

diebus aliquod præſentiſceret: omnia illa fieri curauit, quæ ad placidum abitum facerent, ne quid illum remorari poſſet. Itaque primum vt animæ ſuæ conſuleret, accerſito Eccleſiæ paſtore, peccata ſua confeſſus, poſt auditam ab eo Euangelii vocem de gratuita peccatorum remiſſione, fido ſe viatico, Sacroſancto corpore & Sacroſancto ſanguine Domini noſtri IESV Chriſti, ad iter accinxit, ac conſolationibus, quibus ex Sacrarum literarum penu tam probe fuit inſtructus, vt dicta illa, quibus Eccleſiæ Paſtor ipſi præibat, non ſolum fideliter meminerit, verum etiam accurate & expreſſe ad finem vſque ſingula recitarit, paucis exceptis, in quibus ſub finem lingua ipſum per vim morbi nonnunquam deficiebat, fidē ſuam & confirmauit, & publice teſtatus eſt. Poſt primam hanc animæ ſuæ curam, alteram ſuſcepit de Regno ac Rege, quæ cum per totum vitæ curſum admodum ipſum habuerit anxium atq; ſollicitum, neq; in exitu ipſum deſtituit. Propridie enim quam moreretur, ſereniſſimum Regem electum Chriſtianum IV. cum Regia ipſius Maieſt. ægroti inuiſendi gratia clementer acceſſiſſet, ſalutari doctrina inſtruxit, quomodo commiſſos ſibi populos, quibus partim Rex, partim Dux præeſſet, pie, iuſte, placide regere debeat, ac porro ad omnes virtutes, pio, bono, felici Rege dignas ſummo ſtudio adhortatus eſt. Inprimis autem vt nauium curam nunquam deponeret, ſed in illis poſt DEVM ac Pietatem, firmitatem regni poſitam ſibi perſuaderet. Ideoque & munitionibus ac commeatu inſtructas plurimas ſemper haberet, quod terrarum quoque dominio facile potiatur is, qui maris ſit Dominus, fideliter conſuluit. Suam porro in Regiam Maieſtatem & fidem & obſeruantiam pluribus verbis teſtatus eſt, ac inter alia hæc quoque memoratu digna adiecit: Memorem ſe adhuc eſſe eorum, quæ Regiæ Maieſtatis ipſius Domino pa-

no Parenti, Sereniſſimo Regi Friderico II. moritu-ro promiſerit, ſe nimirum omni conſilio, opera, fide laboraturum, vt Sereniſſimo filio ſucceſſori ſua manu Diadema regium imponat. Huic promiſſo vt ex debito ſtaret, omni quidem conatu ſe huc vſq; laboraſſe, ſed Regiam Maieſtatem videre ipſam, quo in articulo temporis per DEI voluntatem iam ſit conſtitutus: ac vereri ſe, ne morte præuentus & promiſſioni factæ, & expectationi regiæ, ſuo quoque ipſius deſiderio ſatisfacere queat. Vt tamen, quantum eius omnino facere poſſit, fidem ſuam exoluat, tradere ſe Maieſtati ipſius clauem receptaculi illius, intra quod diadema, gladius, ſigillum, & cætera ornamenta regia ſecreto aſſeruentur: Simulac eundem porrexit, adiiciens quibus virtutibus, quibus meritis Senatorum ac procerum animos ſibi deuincire debeat, vt ab iis illud, quod iam decreto diuino ipſe facere prohibeatur, conſequi & coronari poſſit. Tandem multis vltro citroque per duas horas de rebus grauiſſimis ad regnum pertinentibus, habitis ſermonibus gratiiſque vltimum Regiæ Maieſtati actis, ſubmiſſe valedixit.

Poſtremum tam Senatores regni & amicos, quos in vita caros habuit, quotquot præſentes tum eſſe poterant, quam miniſtros ſuos ad ſe admiſſos ac conuocatos benigne compellauit, vtriſque pro amicitiæ ac cultus præſtitis officiis gratias egit, abſentibus agi iuſſit. Miniſtros autem peculiariter, liberali quodam ſingulis conſtituto legato, remuneratus eſt. Quæ porro ad funus ac religioſam & honeſtam eius deductionem ac ſepulturam ſpectarent, & illa haud neglegit, ſed quid de iis poſt fatum agi vellet, præcipue vero vt hæredes exuuias defuncti ſui in Iutiam intra paternum monumentum transferrent, & terræ cito commendarent, prudenter & animoſe ordinauit. Hæc omnia cæteraq; ad morituros pertinentia cum

per

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

per tempus morbi, & præcipue illud, quod obitum proxime anteceſſit, cum ſingulari quadam prudentia ac conſtantia, abſque omni mortis metu Illuſtris Heros rite ac pie egiſſet, & conſtituiſſet, ſeque ſummo diſſoluendi ſui cum deſiderio voluntati diuinæ patiẽter ſubieciſſet: die Veneris, quæ erat Vigilia DD. Petri ac Pauli ſub veſperam, veſperaſcente quoque iam ipſius vita, in placidum quendam ſomnum ſeſe compoſuit, qui cõtinuatus in poſterum diem, ipſum nimirum Diuorum illorum feſtum Iunii Diem 29. ſub quartam pomeridianam in piam illam quietem, qua nunc in conſpectu Sacroſanctæ Trinitatis, angelorum beatorum hominum pius Heros fruitur, ſine vllo ſancti viri, qui deprehendi potuiſſet, dolore ac cruciatu mutatus eſt. Ita quam vixit vitam, eam quoq; clauſit, piam, honeſtam, tranquillam, Hafniæ in Palatio ſuo, & ſingulare quoddam, vt honeſte ac bene viuendi, ita pie beateq; moriendi, nobis ac poſteritati reliquit exemplum. Idcirco de eo vere nunc illud Apocalypſis cap. 14. pronunciare poſſumus: *Beati mortui, in Domino moriuntur: Immo iam nunc dicit Spiritus, quod requieſcant a laboribus ſuis. Opera enim illorum ſequuntur illos.*

Suſtinuit Illuſtris Heros dum viueret, & alias ſæpe, & in ſublimi ac difficili iſto Cancellarii munere, quo circiter 22, annos laudabiliter functus eſt, labores per quam graues, ſuadendo, hortando, monendo, agendo, multaque ardua obiit negotia, feliciterque confecit magno Regnorum ac Prouinciarum bono. Nam Friderico II. piiſſimæ memoriæ Rege, durante ſeptennali bello Suecico, pacis tractationi Sundii ac Stetini adhibitus fuit, nec minimam operam vt pax inter Reges Daniæ, Sueciæ, Poloniæ, & ciuitatem Lubecẽſem componeretur, impendit. Deinde huius filii Chriſtiani IV. moderni Regis Daniæ tempore plurima tranſegit periculis, difficultatibus ac inuidia

inuidiâ plena, quibus induſtrie ac feliciter confectis, magnum publicæ ſaluti momentum attulit. Ac vt rem paucis concludam, tota mente omnique impetu in Rempub. incubuit, adeo, vt, cum Marco Tull. Cicerone, nihil ſibi maiori fructui, gloriæque eſſe duxerit, nec quicquam ex omnibus rebus humanis ſtatuerit eſſe præclarius aut præſtantius, quam de Republica bene mereri. Vnde etiam ob laborum tolerantiam, conſilii dexteritatem, induſtriam, diligentiam, fortitudinem, conſtantiam, fidem, vtrisque Regibus, horumq; Senatoribus, Conſiliariis ac Adminiſtris, immo omnibus bonis, tam in regnis, quam in provinciis (vt de exteris nihil dicam) carus admodum fuit, & cultum pariter, atque nominis immortalem memoriam, rebus præclare geſtis ſibi, mœrorem autem ac lacrymas, hoc luctuoſo abitu ſuo nobis, peperit. Nec quemquam eſſe exiſtimo, qui (ſi Deo ita viſum fuiſſet) vitæ terminum ipſi prorogari non optarit. Quod ſupereſt, Lectores Optimi, non fieri quidem aliter poteſt, quin optimum quemq; luctuoſum hoc fatum dolenter afficiat; æquum tamen ac pium eſt, nos immutabilem Dei voluntatem agnoſcere, eique patienter acquieſcere, nec immoderato luctu quietem piiſſimo Heroi inuidere, ſed potius hunc a nobis ad ſupera illa regna abitum, quo e vaſtiſſimo hoc ærumnarum Oceano ad lætiſſimum æternæ beatitatis portum peruenit, ipſi pie gratulari, lætamque reſurrectionem precari: Regi autem iuueni, & regnis ac prouinciis, quibus hoc alieniſſimo tempore tam fidus Achates, tam validus Atlas ereptus eſt, μετὰ συμπαθείας condolere: tum deniq; ardentiſſimis votis Deum omnis politici ordinis auctorem orare, vt iram ſuam, & ſi quid infauſti hoc publico luctu his terris minatur, clementer auertat, fraudes ac molitiones male feriatorũ hominum, qui publicam pacem turbare conſtituunt, potenter reprimat ac confundat, in

pie demortui Cancellarii locũ aliud idoneum Reip. ὄργανον ſubſtituat; Sereniſſimum Daniæ Regem, ac cæteros Illuſtriſſimos Holſatiæ Duces, horumq; Senatores ac proceres tum in regnis, tum in prouinciis, qui adhuc ſuperſtites ſunt, longum conſeruet, eosq; ſpiritu ſapientiæ, Iuſtitiæ, Fortitudinis, Pacis ex alto inſtruat, vt horum opera ipſi multa grata fiant, & ſub pia ac pacata gubernatione diuini nominis honor, Eccleſiæ incrementum & publica ſalus, quærantur, promoveantur, ſtabiliantur.

ALTERA NARRATIO.

IVSTVS perit, inquit Propheta, & nemo eſt, qui cõſideret, &c. Hæc verba diuini vatis ſi quis attentiori animo conſiderauerit, ſine lacrymis fata bonorum aſpicere vix poterit. Hæc enim verba nobis ſingularem quandam malorum comminationem, e bonorum piorumq; hominum diſceſſu, præſertim intempeſtiuo, ex hac calamitoſa vita, ob oculos ponunt, quam tamen Mundus ſecuriſſimus, aut peruicacia aut ſomnolentia ſua, vt plurimum negligere ſolet: Id quod e textu penitius introſpecto manifeſtius erit. Vocabulum Iuſtus in lingua ſancta, ſanctum, pium, mitem, miſericordem, atque adeo humanum ſonat. Quare a nonnullis hic legitur: viri miſericordiarum auferuntur, &c. Tales viri erant in regno & populo Iſraelitico pii Reges, Senatores, & conſiliarii, qui illa, quæ ad veri Dei Iehouæ cultum & honorem, ac publicam vtilitatem ſpectabant, vero Dei timore ducti, omni ſtudio quærebant. Quam pauci hi, eo tempore numero fuerint, Sacræ hiſtoriæ ſeries, ſtudioſe inquirenti, indicio eſſe poterit, quæ e Regibus: Dauidem Ioſaphatum, Ezechiam, Oſiam: E ſenatoribus regiis, Chuſaim, Ebedmelech, Obadiam, Baruch, Nehemiam, &c. & paucos alios iuſticiæ & pietatis nomine commendat. His ſingulari Dei prouidentia

&c im-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

& immobili voluntate e medio ſublatis, aut, ſi qui talium in vita ſuperſtites remanſerunt, ipſorum conſiliis ſpretis, quantæ mutationes, quantæ calamitates, quantæ clades publicæ ſæpenumero euenerint, vel vnum illud Sacræ hiſtoriæ exemplum (vt cætera taceam) de Salomonis, nonnullorumq; piorũ Senatorum ipſius obitu, deq; ſeniorum poſt Salomonem in vita ſuperſtitũ conſiliis ſpretis, teſtis eſſe poteſt. Quæ omnia vt plebs ſocordior & ſecurior, in tempore nõ animaduertit: Ita ſero nimis de bonorum interitu conqueri, pœnis inde ſecutis coacta fuit.

Etſi autem de optime conſtituto regno Danico, de piiſſima Regia Maieſt. Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis Chriſtiani IV. Regis ac Domini noſtri clementiſſimi, &c. talia nec ſperemus, nec vereamur, multo minus futura prædicamus: Tamen hæc, tanquam piam ac neceſſariam meditationem admonitionemq; in obitu huius optimi viri proponendum cenſuimus. Quicquid enim in iuſto, h. e. ſancto, pio, miti, miſericorde, humanoq; viro conſiderandum venit, in hoc certe conſiderari debebit, quamuis coram iuſtiſſimo Deo, coram quo nemo ſuis virtutibus iuſtus eſt, peccator extiterit. A qua ſuorum peccatorũ labe, Chriſto Mediatore & ſanguine eius interueniente, ſine omni dubio liberatus & iuſtus eſt, quem ipſe tum in tota vita ſemper, tum in agone mortis, ſumma cordis fiducia amplexus & confeſſus fuit. Cæterum quas ille virtutes politicas non habuit? quibus Nobilitatis & Equeſtris dignitatis honoribus deſtitutus fuit? quę dexteritas, æquitas, & felicitas in conſiliis ipſi defuit? quam ille humanitatem, miſericordiam, opem, vel infimo cuique ex ſubiecta plebecula non exhibuit? quam tandem fidem ille Regibus ſuis non præſtitit? Ita, vt merito præcipuum quoddam e Fidei ferculis Sanctiſſimi Regis Friderici, & præcipuum quoddam incitamentũ ad Pietatem Sereniſsimo Regi Chriſtia-

no IV. cenſendus fuerit. Quare nos certe talis ac tanti viri intempeſtiuum, hoc tempore, obitum, optimo cuiq; omnibus pietatis lacrymis deplorandum exiſtimamus, diuturniorem ipſi vitam, ſi Deo iuſtiſsimo æque ac clementiſſimo ita viſum fuiſſet, toto pectore exoptantes. Sed quia fata Dei Opt. Max. ſolius omnipotentis omniſcientisq;, noſtra, vllaue alia humana voluntate anteuertere non liceat, idem quoque Propheta, eodem in loco dicat: *Iuſtus autem quando moritur, in requie eſt, &c.* Chriſtanum & pium eſſe iudicamus, piis, & in Chriſto Ieſu pie defuncti manibus, de accepta in Chriſto Ieſu ſalute, & per tranſitũ corporeæ mortis vita requieq; æterna gratemur, quę in die Reſurrectionis iuſtorum, in ipſo & piis omnibus manifeſtabitur: nobis vero ipſis beatam ex hac lacrymarum valle diſcedendi horam, intimis gemitibus a Deo clementiſſimo, in nomine Ieſu Chriſti, poſtulemus. Et, quod porro reſtat, merito nos decebit, obnixis ac intimis cordis gemitibus a Deo Opt. Max. omnium Regnorum fundatore; petere, vt tales tantosq; viros, qualis Dominus Nicolaus Caaſus fuit, plurimos excitet, excitatos longa vita coronet, qui ſint miſericordiæ ſuæ vaſa & organa, quæ in Regnis & Ducatibus Potentiſſimi ac Sereniſſimi noſtri Regis, Chriſtiani IV. Regis ac Domini noſtri Clementiſſimi, Eccleſiam Ieſu Chriſti, auſpicia & Maieſtatem ſceptri, publicamq; adeo vtilitatem fauſtis & fidelibus conſiliis iuuent ac promoueant: vt ita fundatore & conſeruatore Deo, perpetuum & immobile conſiſtat. Quod ſapienter a Sapientiſſimo Rege Salomone dictum eſt: Pietate & Iuſtitia ſtabiliri Thronum. Faxit hoc Deus Opt. Max. propter Ieſum Chriſtum, vnicum Saluatorem, Regem, & Mediatorem noſtrum. Amen.

SEQVVN-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

SEQVVNTVR IN OBITVM

ILLVSTRIS AC GENEROSI VIRI, DOMINI NICOLAI CAAS,

Domini in Tarup. &c. qui pie deceſſit XXIX. Die Iunii, ſub quartam pomeridianam, hoc anno Chriſti 1594.

ELEGIAE FVNEBRES

HENRICI RANZOVII PRODVCIS CIMBRICI, FIDISSIMI

amici ſui fatum, acerbis, at piis lacrymis deplorantis.

IN Marcum quanto Pomponius arſit amore,
Ceu docet alterna litera ſcripta manu:
Tanto ego te colui, CAASE *o cariſſime, tanto*
Vel ſi quid dici maius amore poteſt.
Illos par animus, ſtudium par, parq; voluntas,
Et par æterno fœdere iunxit amor:
Nos eadem firmo iunxerunt vincula nodo,
Et par in Regem cura, fides, & honor.
At nunc triſte queror, quod ineuitabile fatum
Te rapit, & noſtro cogit abeſſe choro.
Omnia, te viuente, mihi toleranda fuerunt:
At mihi nunc vita eſt triſtis amaror amor.
Nimirum morbi conſumtus tabe, ſupernas
Ad ſedes, hoc e carcere liber, abes.
Non equidem inuideo, quod abes, nouus incola cœli,
Et nobis fletus linquis amariciem:
Publica res, & Regis honos, ac commoda regni
Me cruciant, abitu quæ male quaſſa tuo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Zopyrus & Regi, & regnis fidiſſimus Atlas,
Et tuta acciſis ancora rebus eras:
Nunc eadem (Proh.) triſte gemunt, tuaq; ora requirunt,
Quæ redimant ſumtu (ſi licet) ora graui.
Ipſe ego (Proh) animæ, quæ per te emoritua partem
Quæ fuerat multo nomine cara, fleo.
Heu, caro ereptum eſt iucundum lumen amico:
Lætitia (heu tecum tota ſepulta mea eſt.
At quia ſic viſum eſt Fato, nos cedere iuſtum eſt,
Quid iuuat in magnum bella mouere Deum?
Læta dies celſo mox illuceſcet ab axe,
Cum rediuiua ſuas oſſa petent animas:
Tunc mihi te reddet Deus, o fidiſſime amice,
Suauiter alloquio tum fruar vſq; tuo.
Interea precor, vt tua molliter oſſa quieſcant,
Et cineri tellus ſit bene fida tuo,
In fumum hæc moles flammis dum victa recedat,
Et pulſa angelica Claſſica voce ſonent.
Salue Anima, o ſuperis Anima addita, mæſtaq; amici
Hæc, teſtem fidei, verba dolentis habe.

ALIA.

HEi, nobis iterum miſeranda iuſta querelæ,
Dignaq; lugubri carmine cauſſa, datur.
Occubuit Caaſius generoſi pectoris Heros,
Qui Danos inter lucida ſtella fuit.
Cuius conſilio per multos floruit annos
Dania, iam luctu ſqualida tota graui.
Nam quod Abiludes tibi, Rex ſanctiſſime Dauid,
In regno, meritis officioq; fuit:
Id quoq; Danorum Regi, iuueniq; pioq;
Heros iſte, prius quam moreretur, erat.
Quanta fuit pietas probitas, prudentia, candor,
Nobilitas, virtus, eloquiumq; viri?

Nunc,

Nunc, hei, communi teſtatur Dania luctu,
Hunc quia mors tantum ſuſtulit atra virum.
Qui Pylii ſenis, & facundi Neſtoris annos
Ob varias dotes viuere dignus erat.
Decidit hæc Regis claro Diademate gemma,
Gemma colore nitens, & pretioſa ſatis.
Danicus occubuit Neſtor, qui non minor illo,
Quo ſe iactabat Græcia docta, fuit.
Hei, vitam cum morte meus mutauit Achates,
Et fidus veræ cultor amicitiæ.
Sic Domino viſum, totus quem Mundus adorat,
Quiq; regit nutu cuncta creata ſuo.
In læto portu Caaſius iam nauigat Heros,
Conſpectu ſummi perfruiturq; Dei.
Aſt patriam repetens triſti nos orbe reliquit,
Qui ſcatet innumeris hic & vbiq; malis.
Nec tamen inuideo, tantum doleoq; queror q;,
Quod tantum amiſit Dania mœſta virum.

ALIA.

SI fas eſt, decoret lacrymis vt amicus amici
Funera, cur merito non tua fata gemo?
O Caaſe: haud credo ſine luctu noſtra tuliſſes
Fata, tibi vita ſi ſuperare datum.
Nempe id amicitiæ ſanctiſſima vincla requirunt,
Queis olim fuimus pectora iuncta duo
Vnitis animis Regem obſeruauimus vnum,
Nota fuitq; omni tempore noſtra fides.
Arrogo nil: fidos Sanctus FRIDERICVS *Achates*
Nos habuit, donec Regia ſceptra tulit.
Inter nos fuimus non ficti mentis amici,
Abnero qualis Verpa Ioabus erat:
Scipio ſed quales & Lælius: arctius olim
Quos animi iunxit non ſimulatus amor.

Nunc vt vtrumq; premit noſtrum grandæua ſenectus,
Corpora quæ dura mole grauare ſolet:
Fatis, ecce, vocatus abis: maturior æuo
Quamuis, noſtra tamen mens tua buſta gemit.
Fataq; ſi ſinerent, te longo tempore viuum,
Te ſaluum exoptent Regia vota diu.
Lauta etenim Regum cenſentur fercula in aulis,
Fida ſuis Dominis pectora, priſca fides.
Sed quid multa queror? rapit inclementia mortis
Omnia, nec Reges, Regia neue ſinit.
Compleſti curſum, Frater, quo meta, quieſce,
Felix, cui placide contigit hora mori.

PLANCTVS
IVSTITIÆ POLITICÆ
ad
NICOLAVM CAASVM PIE defunctum:

DIALOGVS
Iuſtitiæ & Caaſi.

Iuſt. *OCcidis, heu, quoq; tu, terræq; hæc climata linquis,*
O Caaſe, Aſtrææ firma columna mihi?
Rex ceſſit fatis Sanctus FRIDERICVS *ad aſtra,*
Tu cadis: heu lacrymas: ſola relinquor ego.
Caas. *Sancta Themis, gemitu qui ſic tua pectora ſcindis?*
Quid vadis lacrymis ſquallida, ſancta Themis?
Nec Rex defunctus, nec ego, nulluſq; piorum,
Occidimus: cœli nos loca læta tenent.
Iuſt. *Attamen in terris per vos mea ſceptra vigebant,*
Iuſta Themis per vos tuta frequenſq; fuit.

Iuſtior

Iuſtior at multo eſt, qui nos Deus euocat auo, Caas.
Et qui nos Regno proſperiore locat.
Idem Iuſtitia regnum & Pietate beabit:
Sufficit: alma Themis, deſine flere, Vale,

PROGRAMMA PVBLICVM, a RECTORE ET SENATV ACADEMIAE REGIAE HAFNIENſis, in celebratione exequiarum Illuſtris ac Generoſi Herois, Dn. Nicolai Caas, Domini in Tarup, Magni Regis Daniæ Cancellarii, &c.

PROPOSITVM.

DEvs Opt. Max. tum in ipſo vniuerſo, tum vel inprimis in ſocietate humana, in Eccleſiæ, Regnorum, rerum publicarum conſeruatione, ſuam nobis commendat bonitatem ſummam, ſuam ponit ante oculos infinitam ſapientiam ac potentiam. Quod enim delectaretur genere humano, inde a primis ſtatim temporibus, ne tam pulcerrima creatura vagaretur ſine ordine & certo modo, fecit vt alii cum aliis voluntariam ſocietatem coirent, eamque compoſuit ſapientiſſime: devinxit tum artibus, tum opera, tum facultatibus hominum inter ipſos, in eiuſmodi humana ac ciuili viuendi ratione. Eam autem hominum inter homines coniunctionem, eam tacitam quodammodo conſpirationem in vita honeſte inſtituenda, eam iucundiſſimam vitæ & officiorum, ac vtilitatum omniũ communicationem, ipſe qui optime decreuit, & inſtituit ſapientiſſime, in continua ſerie, & ſucceſſione mor-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

talium etiam ad hæc vſque tempora, ad hanc canam mundi ſenectam conſeruauit benigne. Præterquam enim, quod natura ſingulis ingenerarit eiuſmodi ſocietatem, quod neceſſitas quotidiana mutuam communicationem requiſierit: certis legibus eam quoq; deuincere voluit, cuſtos & conſeruator vniuerſi: vt vel ſpe præmii, & honoris, vel metu pœnarum, ignominiæ, infamiæ homines continerentur in officio, per Magiſtratum: qui anima legis, & viua lex, in vita ciuili non immerito dici poteſt. Quum autem id non ſatis eſſet, quod homines cum hominibus in ſocietatem abirent & reciderent: niſi etiam copularetur ſocietas cum Deo: non ſolum per viſibilium, & naturæ contemplationem, ſed etiam legis repetitionem & arcanæ voluntatis ſuæ reuelationem, mortales reuocare voluit benignus pater, ad primam, quæ fuit in natura, concordiam, ad vinculũ illud arctiſſimũ, quo homo creatori ſuo, cuius imaginem referebat initio, erat adſtrictus & deuinctus penitiſſime. Hinc etiam nobilior exſtitit in genere humano ſocietas, quæ vocata eſt Eccleſia, cuius cura cum Doctoribus ſynceris, tum etiam Magisſtratui politico, a Deo ipſo, commiſſa & demandata eſt. Atque ex iis, quæ dignitas ſit, quæ neceſſitas, quod etiam officium Magiſtratus, ſatis cuiq; perſpicuum eſſe poteſt. Ortum enim & autoritatem habet a Deo, & ſub huius Iehouæ clypeo & tutela ſecurus eſt: cui quæ aſſiſtit Dea Maieſtas, non abs re de Cœlo deſcendiſſe dicitur: neceſſarium eſt in ſocietate hominum inter homines, vt ſit honori probis, terrori improbis: opus eſt inprimis vt curam diligentem gerat, tum politiæ ciuilis, tum vel inprimis Eccleſiæ. Quoties igitur ſubit animum noſtrum cogitatio de rerumpub. & vitæ ciuilis conſeruatione continua, quoties in mentem venit ſtatus patriæ noſtræ, quæ iam annos complures ſingulari Dei beneficio, & cura fideli pientiſſimi Magiſtrat⁹, floruit pul-

cerrime, & floret etiamnum diuina gratia: toties nos æquiſſimum eſt admirari diuinam bonitatem & ſapientiam, toties nos ipſi ingentes agere gratias toto pectore, pro eiuſmodi Magiſtratu, per quem tumultuantibus vndiq; bellorum ciuilium fluctibus, ſæuientibus in circuitu Eccleſiarum inteſtinis incendiis, tamen nobis hæc ocia fecit pater ille benigniſſimus: toties nos grata oportet memoria cogitare, inter reliquos ſummos viros, quorum quidam hinc conceſſerunt ad vitam cœleſtem, quidam Magiſtratum gerunt etiamnum cum ſumma laude, de Heroe Magnifico Dn. NICOLAO KAAS: cui quanta fuerit autoritas in patria ſua, quam fuerit neceſſarius Reipub. & Eccleſiæ in hoc tempore, quam fecerit fideliſſime officium, dum apud nos Magiſtratum geſſit, omnibus eſt notiſſimum. Vir princeps fuit ille certe quidē in patria ſua, & reuera Θεόσδοτος, a Deo datus (quemadmodum quendam ex Galliæ Regibus non temere cognominatum legimus) qui ſapientia ac prudentia ſingulari, virtute heroica, & pietate eximia, ſummo emolumento & ornamento eſſet Eccleſiæ Chriſti, ſtatui politico, bonis omnibus. Fuit ille Kaaſius reapſe pater Portunus valde opportunus, optimus Palæmō, qui aſſidens aſſiduo ad clauum reipub. nōſtræ, ita recto curſu direxit omnia in Politia ſimul & Eccleſia: vt ad portum verum & ſcopum conuenientiſſimum in conſiliis, & actibus omnibus ſummæa, cum prudentia, ſumma cum pietate perpetuo reſpiceret. Recte dixit Demoſthenes: μία αὕτη σωτηρία καὶ πόλεως καὶ ἔθνους ἐπιτροπευτῶν ἀνδρῶν ἀγαθῶν, καὶ συμβούλων σπουδαίων τυχεῖν: rectiſſime nos quoq; dixerimus hanc vnam fuiſſe, vnam eſſe ſalutem patriæ noſtræ, ſecundum Deum, quod Eccleſia & Politia noſtra vna cum aliis viris principibus optimis & fideliſſimis, hoc vno etiam optimo viro & fideliſſimo conſiliario, iam multos annos vſa ſit cum fructu maximo: vt ad hoc datus a Deo, ad hoc natus

videretur, qui aliis inſeruiendo ſeipſum conſumeret: quem Deus Opt. Max. ſub clypeo & tutela ſua, ab ipſa infantia, ad extremum vitæ terminum conſeruauit & protexit propterea benigniſſime.

Natus eſt anno I. Chriſti M. D. XXXIV. patre viro Generoſiſſimo Nicolao Kaas, Domino de Starupgaard, qui iam VII. menſibus, priuſquam hic ſuus filiolus lucem hanc aſpiceret, ad lucem & vitam cœleſtem tranſierat: matre vero D. Anna, Generoſiſſimi Biornonis Andreæ filia nobiliſſima: ac inde factum eſt, quod hic poſthumus, vt in paternas opes, ita & nomen ſucceſſerit. Orphanum deinde quum mater nobiliſſima reliquiſſet iam V. tantum annos natum, recepit ad ſe Mag. Magnus Kaas, Dominus de Thorupgaardt, ac puerulum ſcitum inprimis ita curabat, educari, edoceri, vt in ſchola Viburgenſi, eruditionis elementa prima fideliter perceperit, ſub diſciplina viri docti & induſtrii Dn. Olai Skyt IX. annos, ac deinde vixerit apud clariſſimum virum D. Doct. Nicolaum Hemmingium, in hac regia Academia IV. annos: per quem quantum profecerit, & ipſe memoria gratiſſima ſæpiſſime teſtatus eſt, & norunt plurimi, qui eodem tempore verſabantur in hac ſchola, quique quotidie deinceps eius conuerſationi, & colloquiis familiaribus, omni doctrinæ genere refertiſſimis, interfuerunt. Nos certe ſæpe audiuimus, quod doctiſſimus Hemmingius, iuuentutis inſtituendæ præceptor ſolertiſſimus, prædixerit olim hunc ſuum diſcipulum magnum futurum: id quod res ipſa deinceps comprobauit veriſſimum. Profecturus deinde ad Germaniæ Academias, quanquam naufragus ad Fimmeriam inſulam vix enatauerit, iter tamen inceptum animo forti continuauit, ac Vitebergam aduenit feliciter: vbi vſus eſt aliquandiu, ſummo cum fructu, familiaritate optimi & doctiſſimi viri, Dn. Philippi Melanchthonis, quem ſuum optimum Præceptorem

rem quanti fecerit,in tota vita, declarauit ſatis abunde.Diuertit etiam ad Academiam Francofortenſem ad Oderam,ac inde ſe ad Louanienſes contulit, quorum ſchola,eo tempore,per totam Europam erat celeberrima.Hoc igitur modo, complurium annorum ſpatio,in patria,& exteris Academiis imbuit generoſum pectus illuſtris iuuenis, omni doctrinarum genere,ſacro ſimul & Philoſophico: ac iis ita coniunxit ſtudium Hiſtoriarum & politices, vt maximum ſibi theſaurum veræ ſapientiæ, & prudentiæ conquiſierit,cum elegantia inſigni ac copioſa latini ſermonis: quæ res fecit, vt toto vitæ tempore apud bonos & doctos omnes,fuerit in magna admiratione. Caſtra erant eodem tempore ad Samarobrinam S. Quintini,bellum gerentibus potentiſſimis Regibus,Philippo Hiſpaniarum,& Galliarum Henrico:ea quoq; voluit inuiſere iuuenis Heroicus, vt Palladem armatam iſta occaſione etiam aliquo modo cognoſceret. Rediit inde in patriā incolumis,anno ætatis ſuæ XXVI. quem omnes,propter ſummam eruditionem,mores placidiſſimos, vitam integerrimam,libenter amplexi ſunt, & habuerunt cariſſimum:ac cum primis etiam ipſe Rex Sereniſſimus Fridericus II. beatæ memoriæ, qui iuuenem doctiſſimum & modeſtiſſimum ſtatim adhibuit ad publica negotia,quæ tractantur in Cācellaria regia, in qua cùm ſumma laude induſtriæ, annis XI.verſatus eſt.Delectus eſt etiam interea temporis qui eſſet archigrammateus, & primus in iſto officio,quem vulgo vocamus a Secretis: in quo ſe ita geſſit domi, tempore belli Suecici, apud delectum ſenatum,qui erat Hafniæ: vt propter fidem & induſtriam,anno M.D. LXIX. interfuerit colloquio cum Suecis ad Vlsbek in finibus vtriusque regni,cum Magnifico viro Iohanne Friis Cancellario, & aliis Senatoribus:& reconciliationi iſti, quæ tandem facta eſt Stetini anno 1570.præſentibus legatis Imperatoris,

Regnum Galliæ & Poloniæ, ac præcipuorum Electorum & Principum totius Germaniæ: vna cum viris generoſiſſimis Petro Bilde, Henrico Ranzouio, & Georgio Roſenkranzio: cuius transactionis & pacificationis articulos ipſe paulo poſt vna cum generoſiſſimo Petro Bilde nomine publico accepit & reddidit ad Knerdt in vtriuſq; regni confinibus.

Sed cum quiddam etiam interueniſſet, quod vtrumque Regem concerneret anno Chriſti. M. D. LXXII. cum generoſiſſimis & prudentiſſimis dominis, Petro Bilde, & Georgio Roſenkranzio, miſſus eſt ad Brenzebro, de quodam negotio, quod poſt paulo Roſtochii transactum eſt. Verum obierat interea Anno D. M. LXX. Magnus Regis Cancellarius Ioannes Friſius, Heros magnificus, & memoria perpetua digniſſimus, deliberatum etiam diligenter iam fere triennio, de idoneo ſucceſſore, donec tandem Anno M. D. LXXIII. die XVII. menſis Maii, onus illud grauiſſimum, humeris noſtri Kaaſii in comitiis Randruſienſibus imponeretur. Heic qualem ſe præſtiterit virum, Heros Kaaſius, quanta cum prudentia, fide, æquitate & facilitate, munus illud obierit ampliſſimum, annis continuis XXII. breuibus dici non poteſt. Quid dicam de ſumma ipſius induſtria, quam adhibuit Calingæ Anno M. D. LXXV. dum inter regnũ hoc & Ducatum vicinum XI. ſeptimanis grauiter diſceptatum eſt. VI. paribus ſenatorum vtrinque delectis arbitris & iudicibus. Quid de ſumma eius fide præſtita Orthoniæ, Anno M D. LXXIX. die XXV. Martii, cum Regi noſtro homagium præſtaretur a principibus Holſatiæ, pro Feudo Sleſuicenſi? Quid commemorem prudentiam in ipſo ſingularẽ, quam declarauit abunde, tum alias ſæpiſſime tum eodem anno menſe iunio, apud Flensburgenſes: quando inter Hamburgenſes & Regem noſtrum reconciliatio facta eſt, quod negotium V. die menſis Iulii tandem pera-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

peractum eſt: & Stetini etiam eodem anno cum negotium erat noſtris cum Rege Poloniæ. Quid dicam, quomodo ſe geſſerit Anno M. D. XXC. in colloquio cum Suecis, quod erat inſtitutum in confinibus menſe Decemb. quo modo Haderslebii anno 81. menſe Februario in cauſſa ſucceſſionis poſt Illuſtriſſimum ducem Iohannem, & Flensburgi menſe Iunio in eodem caſu: quo ibidem anno 82. in diſtributione, cum Illuſtriſſimo duce Iohanne fratre Regis, poſt mortem ducis eiuſdem quo anno 87. Haderslebii in transactione cum Anglis de nauigatione in mari NorWegico: quo rurſus Flensburgi anno 90. quum homagium acciperetur nomine Illuſtriſſimi Principis electi Regis noſtri pro vtroque ducatu: quo 91. cum Suecis in confinibus de rebus grauiſſimis, vbi etiam adfuerunt, generoſiſſimi, grauiſſimi, prudentiſſimi viri, Georgius Roſenkranz & Mandrupius Pasbergk. Sed de eiuſmodi rebus ampliſſimis ſatius eſt nihil dicere quam pauca dicere. Id vero præterire non poſſumus, qualem ſe probauerit anno iam ſeptimo inter delectos IV. viros a morte sereniſſimi Regis Friderici II. quam curam habuerit pro Illuſtriſſimo principe, electo Rege: quam ſolicitudinem pro pace publica: quod ſtudium conſeruandæ concordiæ in omnibus horum regnorum ſtatibus ac ordinibus: quanto flagrarit amore ſyncero Veræ doctrinæ & religionis incorruptæ, propagandæ & conſeruandæ, ſine rabioſa contentione & diſcordia. Quid multis opus eſt, vno verbo dicam omnia πατὴρ δ' ὣς ἤπιος ἦεν mirum igitur eſſe non poteſt quod omnes incolæ horum Regnorum, ſuum Cancellarium, tanquam patrem defunctum doleant ex animo, & mortem eius tam ferant familiariter: cui quidem ipſi mali nihil contigit, vt lugeamus propterea, ſed nobis vniuerſis non parum: qui eiuſmodi viro principe, eiuſmodi bono patre orbati ſu-

mus. Ipſe quidem ad cœleſtia lætus tranſiit, humana deſpiciens omnia: noſtrum eſt deſpicere, quonam pacto ita heic viuamus, vt, cum ipſo æternum viuere valeamus. Obiit enim placidiſſime & pientiſſime die XXIX. menſis Iunii, paulo ante IV. veſpertinam, ſeptimo die, ab eo, quo tantam vim morbi cœpit præſentiſcere: & eo tempore ita ſe compoſuit ad mortem, vt præſentibus ſatis probarit, ſe facile omnia contemnere, cui tam erat facile mori: quique quum corpore ſolueretur, non ſecus ac Theodoſius, quemadmodum inquit Ambroſius, in ipſius funere, magis ſollicitus fuit de ſalute Eccleſiarum & patriæ ſuæ, quam propria valetudine. Tanti viri exequiæ celebrabuntur hodierno die: & eas proſequi æquiſſimum eſt omnes, qui ſumus in hac Academia. Cui⁹ ille ſummus fuit conſeruator & patronus, præſidium & dulce decus noſtrum: ac ita lugeamus, in hoc tempore vt dolorem leniat meditatio eius gaudii, quo & ipſe nunc fruitur, & nos aliquando in cæleſtibus, cum ipſo & piis omnibus, in æternum exultabimus, P. P.

Hafniæ die XXIIX. menſis Iulii Anno
I. Chriſti M. D. VIC.

PIIS

PIIS MANIBVS

STRENVI ET NOBILISSIMI Herois Dom. NICOlai Caſæ.

Regni Daniæ Cancellarii & Quadrumuiri,
Ad literarum & literatorum, bonorumq́, omnium incrementum nati,
Ad eorundemq; intertrimentum denati:

Mæcenatis & Domini,
Fautoris & Amici,
ſui deſideratiſſimi,

Hæc
Pro multis paucula,
Pro magnis paruula,
Pro aureis ænea,
Memoriæ & gratitudinis ergo

PETRVS LINDEBERGIVS R.
dicat.
conſecrat.
refert,

HOſpes quid ſim vides: quis fuerim, ſi neſcis, noſces,
Sed futurus ipſe quid ſis, interim cogita.
Ego fui, non ſum, tu es, non diu eris,
Nemo enim immortalis.
Vt moriens viuerem, vixi vt moriturus.

EPITAPHIVM NOBILISSIMI ET MAGNIFICI VIRI Dn. NIcolai Caſæ, Regni Daniæ Quadrumuiri & Cancellarii fideliſsimi.

QVicunq; huc tenditis, paullulum ſubſiſtite,
Et quis ſim, viui a mortuo cognoſcite,

Viatores optumi.

NICOLAVS CASA ego ſum

Friderici II. & Chriſtiani IV. Danorum
Regum Conſiliarius & Cancellarius,
Et interregni tempore Quadrumuirorum primarius.
Eccleſiæ & Scholarum nutritor,
Litterarum & litteratorum amator,
Iniuſtitiæ oſor, virtutis tutor,
Et, quid nocet ſi referam ipſe, patriæ pater meæ:
Cui non ſolum aliquandiu præfui, ſed profui:
Non ſolum rexi, ſed texi:
Non ſolum ſeruaui, ſed beaui multum.
Nunc vacationem nactus, annos Sexaginta natus hic quieſco,
Extremumq; illum diem, malis horribilem, bonis optabilem, cupide præſtolor.

Sic eunt ordine Fata.

Atat, ne abiturientes demorer diutius,
His lectis, viſis, abitote,
Voſq; ad mortem comparatote:

Et

Et quæcunq; vobis fieri cupitis, eadem optatote mihi.
Nam quod vos eſtis, ego olim fui,
Et quod ego nunc ſum, vos breui fietis.
Saluete.

Aliud Epitaphium.

Hoſpite & Genio colloquentibus.

QVis locus hic? Sacer eſt? Quid proxima marmora? Buſtum,
Id ſcio. Sed quæro hac quis requieſcat humo?
Dextra manus Danaûm Regis, gemma optuma Regni,
Aulæ firma baſis, plebis amata ſalus.
Ecquod tanto homini nomen? Qua ſtirpe creatus?
NICOLEOS dictus nomine, ſtirpe, CASA.
Patria quæ? Præſtans cunctarum Dania rerum
Ipſius eſt vitæ ianua, itemq; necis.
Quid iuuenis coluit? Muſas. Quid adultior? Arma.
Quid Senior? Purâ relligione Deum.
Natos quot genuit, ſenii fulcimina? Nullos.
Quî factum? Cælebs, dum fuit, ipſe fuit.
Qualiter occubuit? capitis cordiſq; dolore.
Quo pacto? ſumma ſpe, pietate, fide.
Cur ſic? æternam ob vitam. Qui funera deflent?
Rex, proceres, ciues, patria, templa, ſcholæ.
Ergo iam vixit? vixit. Tumulo ne manebit?
Non; ſurget rurſum. Quando? vocante Deo.

Aliud eiuſdem.

IVſtitia alter Ariſtides, virtute Metellus,
Eloquio Neſtor, Relligione Numa:
Regis dextra manus, primaria gemma Coronæ,
Præſidium Phœbi, conſilium populi,
NICOLEOS CASA vicinæ concredidit vrnæ
Corporis exſuuias, ſpiritus aſtra ſubit.

Materiâ victus non dicam cætera: ſat ſunt
Illius acta polo cognita, facta ſolo.

ELEGIA

EIVSDEM PETRI LINDEBERGII ROST. AD HENRIcum Ranzouium, amicum ſuum Nicolaum Caſam, ex fidis fidiſſimum, ex charis chariſſimum, ex cunctis optimum, lugentem.

QVam breue, quam fragile eſt hoc præſens viuere noſtrum,
Quod velut vmbra fugit, quod velut olla perit.
Quam leue, quam volucre eſt hoc præſens viuere noſtrũ,
Quod fœni inſtar obit, quod maris inſtar abit.
Vmbra cito in nihilum recidit, cito frangitur olla,
Flacceſcit ſubito gramen, & vnda fluit.
Sed citius vaneſcit homo, quam labilis vmbra,
Olla leuis, gramen deciduum, vnda fugax.
Nil adeo in terris firmum, ſed lubrica cuncta,
Cras, qui nunc pulcrum floret, homo aret humo.
Nil adeo in terris lætum, ſed triſtia cuncta,
Cras, qui nunc ridet, funera mœſtus habet.
Hæc eſt humana communis portio ſortis,
Quam velut immotum vertere nemo poteſt.
Hic ſtatus, hæc lex eſt huius miſerabilis æui,
Quam ſummus fecit conſtituitq; Deus.
Quo ſine ne cœlo paſſer dilabitur vllus,
Et minimus noſtro vertice crinis humi.
Nec quoq; Nicoleos vitalia lumina liquit,
Ille tuus, Ranzo, frater, amicus, honor.
Qui tibi Pyrithoo Theſeus, Patroclus Achilli,
Polluci Caſtor, Niſus & Euryalo.

Immo & viſceribus propriis, cunctisq; propinquis
Charior, atq; tui gloria cordis erat.
Sed nihil ad mortem fidiſſima pectora proſunt,
Nil fraternus amor, nil ſociata fides.
Quare age, diuino cum fiant ſingula nutu,
Ipſeq; ſis paſſus non leuiora prius.
Hunc quoq; præſentem patienter concoque luctum,
Impoſitumq; alto pectore perfer onus.
Exhaurire tuum eſt Medicus quæcunq; propinat
Si medicamentum reſpuis, æger eris.
Reſtat nunc animum fortunam ad vtramq; paremus,
Siue ſecunda venit, ſiue nouerca venit.
Sanctaq; ſupplicibus laſſemus numina votis.
Vt ſemper placide, ſemper itemq; pie,
Viuamus Domino, dum vitam viuimus orbe,
Et moriamur ei, cum venit hora mori.

Obiit Anno 1594.
Iunii 29. circa
horam veſpertinam.

MEMORIA

quam

HENRICVS RANZOVIVS PRODVX Cimbricus, Amico ſuo dulciſſimo, ERICO VOLCMARO A BERLEPSCH, Equiti Turingo primario, pie defuncto exſtare voluit.

D. O. M. S.

Ades, Lector, &, quid hoc ſaxum te doceat, lege.

Ego

HENRICVS RANZOVIVS

Eques Holſatus

ERICO VOLCMARO A BERLEPSCH Equiti Turingo:

AEtate mihi, dum vixit, pari,
Dignitate haud multum diſpari.

Vt pote

is

Trium Illuſtriſſ: Saxoniæ Electorum
Mauricii, Auguſti, Chriſtiani,
Conſiliarius fuit primarius:

Ego

Trium Sereniſſ: Daniæ Regum
Chriſtiani III, Friderici II, & Chriſtiani IV.
Conſiliarius & Produx Cimbricus:

Qui-cum

Negotia plurima tranſegi
concorditer, ſuauiter, feliciter;

trime-

trimeſtri inprimis tractationi pacis inter Daniæ, Poloniæ, Sueciæ Reges, & Ciuitatem Lubecenſem, cui & S. Cæſ: M:tis ſimul, & Galliarum Regis omniumque fere Germaniæ principum Legati interfuere, A. C. cIↄ. Iↄ. LXX. Stetini cum cæteris Senatoribus Danicis.

Et poſt A. C. cIↄ. Iↄ. LXXXI. Flensburgi difficili actioni hæreditatis, a Duce Hols. Iohanne Seniore relictæ, inter Regem Daniæ Frid. II, & Ducem Hols. Adolphum diuidundæ adhibitus:

Quem

Viuum vehementer amaui, colui,
Defunctum acerbe deploro, lugeo:
Amico DESIDERATISS: mo
qui naturæ debitum pie perſoluit A. C. cIↄ. Iↄ. LXXXIX. Auguſti Die XXVI. ætat. ſuæ anno LXIV. menſe VIII.

Hanc

Noſtræ in reſurrectione piorum iterandæ coniunctionis ſpem certam.
Dulcis amicitiæ memoriam ſempiternam,
Mortem eius nunc demum
quinquennio poſt cum
dolore reſciſcens;
Ipſum non longo interuallo ſecuturus
POSVI
Septuagenarius fere
A. C. cIↄ. Iↄ. XCIV.

Manes beatiſſimi ſaluete.

QVERELA
Henrici Ranzouii, Producis Cimbrici, de obitu Dominorum, conſanguineorum, & amicorum ſuorum.

NOn eadem facies maris eſt, non aeris idem
Aſpectus ſemper: diſce quid iſta velint.
Vt mare tranquillum nunc eſt ſulcantibus illud,
Ventorum vi nunc æſtuat atq; furit:
Vtq; nitens claro nunc Iupiter æthere ſurgit,
Nunc pluit & denſæ præcipitantur aquæ,
Et varius vicibus mutantur vt omnia paſſim:
Vita capit varias ſic quoq; noſtra vices.
Nunc faciem nobis præbet fortuna ſerenam:
Nunc vultum ſumit, gignit & omne malum.
Vita quid eſt hominum? labor eſt, pelagusq; malorum,
Triſtis ad extremum ſollicitudo diem.
Talia nam nobis peccatum præmia ſoluit,
Quo ſumus hei Sathanæ fraude doliſq; rei.
Hinc labor, hinc dolor, hinc morbi præludia mortis
Hinc luctus, lacrymæ, & mors ſimul ipſa fluunt.
Hoc queror expertus: ſæua truculentia mortis,
Cauſa grauis luctus nam mihi ſæpe fuit.
Me quater in luctum coniecit maſcula proles,
Quæ mihi ſæuitia mortis ademta fuit.
Fecit idem frater, cari fecere parentes,
Et ſoror & dulcis filia fecit idem.
Funera quid referam carorum mœſta nepotum?
Haud etenim leuis eſt, qui venit inde, dolor.
Quid te commemorem, Friderice piiſſime Regum,
O mihi dilecti Patris amate loco?
Imperio, fateor, mihi Rex Dominusq; fuiſti,
Affectu tamen & cordis amore pater.


Quid referam caros, quos mors iugulauit, amicos?
Quorum non paucos dinumerare queam.
Qui me multoties, cum res incerta popoſcit,
Iuuerunt opera, conſilioq; graui.
Talibus orbari res eſt triſtiſſima, ſecum
Inſignem luctum quæ trahit, & lacrymas.
Nam gemmis etiam ſincerus præſtat amicus,
Si quis rem recta vult reputare via.
Talis erat Præſul tuus, o præclara Lubeca,
Qui fuit Holleæ gemma decusq; domus.
Talis erat, quem nunc defunctum Dania luget,
Antiquæ Caaſius cultor amicitiæ.
Qui me Theſea coluit virtute, fideq;,
Qui mihi, ceu frater, rurſus amatus erat.
Ericus quoq; talis erat Volcmarus, amauit
Qui me non ficto viuus amore, fide.
A mortis vero non vlla tyrannide virtus
Tuta manet, pietas nulla, nec vllus honor.
Hæc pariter Reges, fidos Regumq; miniſtros,
E ſummo tollit, præcipitatq; gradu.
His me tam variis in caſibus, atq; dolendis,
Spes bona ſuſtentat, nec periiſſe ſinit.
Reſtat enim, reſtat credentibus altera vita,
Quæ merito dici vita beata poteſt.
Hic ego, poſt huius vitæ lamenta, viciſſim
Conſpectu illorum colloquioq; fruar,
Idq; breui, ſpero: quia ferme luſtra peregi,
Hoc in curriculo, quattuor atq; decem.
Eſt breue, quod reſtat, ſpatium, nec ſpicula mortis
Horreſco, vitæ ſpem melioris habens.
O nimium felix o terq; quaterq; beatus,
Migrantem cœli quem capit aula nitens.

In pium Henrici Ranzouii, Producis Cimbrici, colligendi monumenta ſtudium, Epigramma M. Friderici Dedekindi, Rectoris Scholæ, ad S. Michaelem, Luneburgi.

QVod bene de viuis mereatur, deq; ſepultis,
Gratia Ranzouium quæ manet inde pium?
Gratia magna manet: Quia virtus præmia laudis
Sentit, & illius fata ſequetur honos.
Namq; quot hic vnus condit monumenta virorum,
Tot vates huius mitia fata canent.

PYramis Nordoenſis, non procul a ciuitate Itzehoenſi, forma quadrata & in apice concuminata, ex albo, Buceburgenſi lapide ſupra montem conſpicuum conſtructa, in quo Nymphas habitaſſe vetuſtas credidit, & conſtans rumor eſt. Cuius Typus

Sequitur in ſequenti pagella. ***


RAN HAL
D · T · ET · V · S ·
SALVO RE
GEDANIÆ
FELICES
RANZOVII
HRVR
Pyramis Nor: docnsis

HAnc pyramidem,&c.addere volui, tum quod ſæpe horum in epiſtolis fit mentio, tum quod ab harum argumentis non multum differant. Quum erecti ſint ad æternam memoriam regis Friderici II. Henrici Ranzouii & eius familiæ ac liberorum ac cognatorum ſuorum.

Huc referatur pyramis ænea.

AD

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]



AD VIATOREM
Non hæc vel ùiuo ùel cocto fabrica conſtat
Saxo nec ligno Facta ſit ùnde rogo?
Hoc monumentùm conſtat pyramide et Sacello ita
ùt ſùb illa in forma arcus triùmphalis ſit ſitùm
sacellùm, in perpetùam memoriam honoris ac virtutis
D. Friderici II Danorum regis etc. ab Henrico Ranzouio eiùſdem vicario, Domino in Bredenberch propriis
impenſis in via regia prope Segebergam exſtructùm: anno Dni. 1588 qùo annùm ætatis agebat 63.
DEO TRINO ET VNI SACRVM
Friderico II. Chriſtiani. etc.
M.D.LXXXVIII
Sophia von Gottes
ander etc.
Si pia maiorùm violas monùmenta viator
Vltrices fùrias experiêre breùi.

OBELI SCVS.

Hoc diadema ſonum ut *ventis ſpirantibus edit,*
Sic tua laus nuſ- *quam Rex Friderice ſilet.*

Hunc obeliſcum ſtatui *curauit Henricus Ranzouius.*

Ab orbis principio 5552.
A Chriſto nato 1590.
Ætatis anno 65.



Quem regi & vobis obeliſcum dedico, nati,
Ad virtutis iter nobile calcar erit.
Dum ſtabit nullis obeliſcus dirutus Euris,
Stabit Ranzouii gloria, ſtabit honos.

INDEX EPISTOLARVM CONSOLATORIARVM AD HENricum Ranzouium Producem Cimbricum ſcriptarum.

PRæfatio Ioachimi Abbatis Reinfeldenſis ad Lectorẽ. 1.
Epiſtola M. Martini Coronæi, quondam filiorum Henrici Ranzouii Præceptoris, ad Ioachimum Abbatem Reinfeldenſem. 3.
Effigies Ioannis Ranzouii. 6.
Elogium Ioannis RanZouii, equitis aurati primum, 7.
Elogium eiuſdem alterum. 11.
Epitaphium Ioannis Ranzouii. 24.
Effigies Pauli Ranzouii. 25.
Henrici & Pauli Ranzouiorum fratrum epiſtola ad ſereniſſimum regem Daniæ Fridericum II. & Duces Holſatiæ, qua patris ſui obitum denuntiant. 25.
Adolphi Holſatiæ Ducis reſponſio. 28.
Adami Trazigeri ad Henricum RanZouium de morte patris. 30.
Ioannis ſenioris Holſatiæ Ducis reſponſio. 33.
Regis Daniæ Friderici II. reſponſio. 35.
Ioachimi Hinckii Decani Bremenſis epiſtola conſolatoria ad Henricum Ranzouium, de obitu parentis. 36.
Effigies Danielis Ranzouii. 47.
Ioannis de Ligne Comitis Arnsburgenſis conſolatoria ad Henricum Ranzouium de obitu parentis, 38.
De exeſequiis funebribus Ioannis RanZouii equitis aurati, narratio. 39.
Danielis Ranzouii primarii regis Daniæ copiarum Ductoris epiſtola ad Carolum Mornæum Suecum captum. 48.
Caroli Mornæi ad eandem reſponſio. 49.
Epiſtola metrica Danielis Ranzouii ad Henricum Ranzouim V. R. 50.

Ioan-

INDEX.

Ioannis Senioris Holſatiæ Ducis epiſtola ad Henricum Ranzouium de obitu Danielis Ranzouii. 51.

Pauli Ranzouii conſiliarii Ducis Holſatiæ Adolphi epiſtola ad Henricum fratrem de obitu Danielis Ranzouii. 52.

Henrici Ranzouii epiſtola ad Ioachimum Hinckium decanum Bremenſem, de obitu Danielis Ranzouii. 56.

Epitaphium Danielis Ranzouii. 19.

Ioachimi Hinckii Decani Bremenſis reſponſio ad Henricum Ranzouium de obitu Danielis Ranzouii. 60.

Michaelis Rederi conſolatoria de obitu Danielis Ranzouii. 62.

Ferdinandi Archiducis Auſtriæ epiſtola ad Henricum Ranzouium. 64.

Henrici Ranzouii ad eundem reſponſio de armis Ioannis & Danielis Ranzouii. 65.

Elogium Ioannis Ranzouii. 67.

Elogium Danielis Ranzouii. 68.

Friderici II. Danorum regis epiſtola ad H. Ranzouium Producem C. 69.

Eiusdem ad eundem altera. 70.

Ferdinandi Aluares Toletani, Ducis Albani, &c. epiſtola ad Henricum Ranzouium. 72.

Ferdinandi Archiducis Auſtriæ epiſtola altera ad Henricum, de armis Ioannis & Danielis Ranzouii, 73.

Iacobi Schrenckii a Notzinck, Ferdinandi Archiducis Auſtriæ conſiliarii epiſtola ad Henricum Ranzouium de armis Ioannis & Danielis Ranzouiorum. 74.

Henrici Ranzouii Reſponſio. 77.

Elogium Henrici Ranzouii Prod. Cimb. 80.

Henrici Ranzouii epiſtola ad Ferdinandum Archiducem Auſtriæ. 81.

Stephani regis Poloniæ epiſtola ad Henricum Ranzouium. 84.

Henrici Ranzouii epiſtola ad Dn. Antonium Perenottum Cardinalem Granuelanum. 85

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Epiſtola Henrici Ranzouii ad Iacobum VI. Scotorum regem. 78.
VVolfgangi Dornii epiſtola de monumento Ioanni Ranzouio Henrici filio, erecto. 88.
Epitaphium Ioannis Ranzouii, Henrici filii. 91.
Eiusdem epiſtola ad parentem quatriduo ante obitum perſcripta. 92.
Teſtimonium Academiæ Heidelbergenſis de fideli cura Anthonii Caucy, quam adhibuit aduerſa valetudine laboranti Ioanni Ranzouio. 93.
Dauidis Chytræi conſolatoria ad Henricum Ranzouium de filii Ioannis obitu. 96.
Guilielmi Landgrauii Haſſiæ epiſtola ad Henricũ Ranzouium. 97.
Alexandri Parmæ Placentiæq; Principis epiſtola ad Henricum RanZouium. 99.
Caroli principis Arensburgenſis epiſtola ad Henricum Ranzouium. 100
Guilielmi Landgrauii Haſſiæ epiſtola altera ad H.R. P.C. 103.
Ioannis Georgii, Marchionis Brandenburgenſis epiſtola ad Henricum Ranzouium. 104.
Petri Lindenbergii conſolatoria ad Henricum Ranzouium de obitu filiæ Catharinæ. 105.
Henrici Ranzouii ad eandem reſponſio. 107.
Georgii Brunonis Agrippinatis epiſtola ad Henricum RanZouium. 108.
Henrici Ranzouii ad eundem reſponſio. 109.
Alberti Leonini epiſtola ad Henricum Ranzouiũ. 110.
Hermanni Adolphi Comitis Solmenſis epiſtola ad Henricum Ranzouium. 114.
Epiſtolæ de obitu & funere Friderici Ranzouii in Gallia interfecti. 115.
Effigies eiusdem. ibid.
Epiſtola Domini Gamaſche ad Dominum de Schonberg, comitem de Nanthueil de obitu Frid. RanZouii. 116.

Epiſtola Domini Choulon ad eundem dominum de Schonberg. 117.
Epiſtola conſolatoria Petri Lindebergii ad Henricum Ranzouium de obitu Friderici filii. 119.
Henrici Ranzouii reſponſio ad Lindebergii conſolatoriam. 123.
Literæ profectionis quibus Henricus Ranzouius miniſtrum ſuum in Galliam, vt de cæde filii Friderici inquirat, inſtruxit. 124.
Literæ Henrici Ranzouii ad Baronem de Bedſtein alias Baſſompierre, Regis Galliarum exercitus ducem ſupremum. 125.
Epitaphium Friderici Ranzouii. 127.
Literæ publicæ fidei ab Henrico 3. rege Galliæ datæ Henrici Ranzouii miniſtris. 128.
Conſolatoria Dn. Ionathæ Gutslobii Cancellarii Sleſuigæ & Holſatiæ Ducis ad Henricum Ranzouium. 130.
Alia eiusdem D. Gutslobii ad Henricum Ranzouium epiſtola. 132.
Epiſtola conſolatoria Friderici 2. Danorũ regis ad Henricum Ranzouium de obitu Friderici filii. 135.
Epiſtola Marci de Gauier equitis ad dominum de Schonberg. 138.
Teſtimonium chirurgi Couleuurenſis de vulneribus Friderico Ranzouio inflictis. 136.
Obligatio lapicidæ qui Friderici Ranzouii monumentum elaborandum ſuſcepit. 137
Ionathæ Gutslobii prouincialis Cancellarii Sleſuigæ & Holſatiæ de obitu Friderici 2. regis Daniæ & Friderici filii conſolatoria ad Henricum Ranzouium. 138.
Henrici Ranzouii epiſtola ad Dominum Caſparum de Schonberg de monumento Friderico Ranzouio erigendo. 140.
Epitaphium Friderici Ranzouii per Sorboniſtas Lutetiæ Pariſiorum factum Couleuure poſitum. 142.
Caſpari de Schonberg comitis reſponſio. ad Henr. Ranz. 143.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

INDEX.

Andreæ Pleſſii nobilis Holſati epiſtola ad Henr. Ranzouium de nece ac ſepultura filii ſui Friderici. 144.
Chriſtophori Baronis de Baſſompierre reſponſio ad Henricum Ranzouium. 151.
Henrici Ranzouii ad Andream Pleſſium nobilem Holſatum epiſtola. 152.
Altera Henrici Ranzouii reſponſio ad Dominum Chriſtophorum Baronem de Baſſompierre, regis Galliæ exercitus ducem. 154.
Literarum inſtructionis D. Iulii ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis particula. 156.
Henrici 4. Franciæ & Nauarræ regis epiſtola ad Henricum Ranzouium. 157.
Chriſtiani 4. Daniæ, Noruvegiæ, VVandalorum ac Gothorum regis epiſtola ad Henr. Ranzouium. 157.
Henrici Ranzouii epiſtola ad Dominum Caſparum de Schonberg Comitem. 158.
Eiusdem ad Chriſtianum Principem Anhaldinum epiſtola de perſequendis interfectoribus filii Frid. 159.
Eiusdem ad Caſparum Penſium nobilem in eandem ſententiam. 161.
Eiusdem Henr. Ranz. epiſtola ad sereniſſimi regis Galliarum & Nauarræ legatũ D. Philippũ de Fraxinis. 162
Henrici *RanZouii epiſtola ad Dn. Iacobum Bongarſium legatum Gallicum.* 164.
Reſponſio Dn. Philippi de Freſnes legati Gallici ad Hen*rici Ranzouii epiſtolam.* 165.
Henr. Ranz. reſponſio ad proxime præcedentem. 167.
Epiſtola de captiuitate & obitu Caii Ranzouii a diuerſis ſcripta. 170
Effigies Caii Ranzouii. 171.
Regis Daniæ Friderici 2. ad ſtatus Hollandiæ confœderatos epiſtola de relaxando Caio Ranz. capto. 171.
Regis Daniæ Friderici 2. ſaluus conductus, quo Caium Ranzouium in Belgium ablegatum inſtruxit. 172.
Henrici Sudermanni Anſeaticarum ciuitatum ſyndici

epiſto-

epiſtolæ tres ad Henricum Ranzouium de Caio filio capto. 173.174.175.
Epiſtol. Iuſti Lipſii ad Henr. RanZ. 182.
Conſolatoria Caſparis Hoieri conſiliarii ducis Holſatiæ Ioannis Adolphi & ſilii Caii ad Henricũ RanZouium de obitu. 183.
Henr. Ranz. reſponſio ad Henr. Sudermanni literas. 177.
Friderici 2. regis Daniæ literæ ad ſtatus Hollandiæ de relaxando Caio Ranzouio capto. 179.
Eiusdem Friderici 2. regis Daniæ ad illuſtrem Baronem de VVilligbui Reginæ Angliæ Gubernatorem Belgii ad Somam ſuper dimiſſione Caii Ranz. capti. 180.
Dn. Ioan. Adolphi Archiepiſcopi Bremenſis ac epiſcopi Lubecenſis ad Henric. Ranz. de obitu filii Caii ducis Holſatiæ conſolatoria. 186.
Conſolatoria Dauidis Chytræi ad Henr. Ranz. 187.
Reſponſio Henr. Ranz. ad epiſtolam conſolatoriam Dauidis Chytræi. 191.
Typus monumenti Ranzouiani in ſacello Itzehoenſi: & [illegible]ammata quædam in idem. 207.
[illegible] Henrici RanZouii. 208.
[illegible]io ſacelli Itzehoenſis nuper ab Henrico Ranzo[illegible]conſtructi. 209.
I[illegible]tio ſarcophagi Ranzouiani. 210.
Inſcripiio ſarcophagi altera ad imitationem Pontani facta. 211.
Epitaphia Henrici Ranzouii. 212.
Henricus Ranzouius alloquitur ſuos eodem in loco ſepultos. 213.
Inſcriptio altaris Itzehoenſis. 213.
Epitaphia Caii Ranzouii infra crucem in altari & plura. 214.215.
Inſcriptio monumenti marmorei ad altare Trinitatis ItZehoæ poſiti. 216.
Chytræi iudicium de Reſponſione Henrici Ranzouii ac eius conſolatoria. 218.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Conſolatoria Bartholomæi Rhodomanni de monteregio Boruſſi ad Henr. Ranz. de obitu filii Caii. 219.
Carmen ſcriptum memoriæ Caii Ranzouii ab eodem Rhodomanno. 219.
Conſolatoria epiſtola Iuſti Lipſii ad Henricũ Ranzouiũ de obitu filii Caii. 220.
Epiſtola Abrahami Bochii conſiliarii intimi Electoris Saxoniæ Chriſtiani conſolatoria ad Henricum Ranz. de obitu filii Caii. 221.
Epiſtola Ioachimi Friderici poſtulati adminiſtratoris archiepiſ. Magdeburgenſis Marchionis Brandeburgenſis conſolatoria ad Henr. Ranz. de obitu filii Caii. 223.
Reſponſio Henrici Ranzouii ad præcedentem. 224.
Lindebergii conſolatoria ad Henr. Ranz. ſuper obitu filii Caii. 225
Henrici Ranzouii reſponſio ad conſolatoriam illam Lindebergii. 228.
Epiſtola cõſolatoria illuſtriſſimi principis ac domini Dn. Vdalrici Heredis Noruvegiæ ad Henricum Ranz. de obitu filii Caii. 229.
Reſponſio Henr. Ranz. ad epiſtol. illã præcedentem. 231.
Epiſtola conſolatoria Georgii Rollenhagen Rectoris ſcholæ Magdeburgenſis ad Henr. Ranz. 232.
Epiſtola Ioannis Vorſtii præpoſiti Itzehoenſis ad Henricum Ranzouium. 233.
Conſolatoria Nicolai Petræi Huſani ad Henr. Ranz. de obitu filii Caii. 238.
Conſolatoria D. Othonis ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis ad Henricum Ranzouium. 251.
Epiſtola D. Caroli principis Arenburgenſis conſolatoria ad Henricum Ranzouium. 252.
Reſponſio Henr. Ranz. ad eam epiſtolam. 253.
Conſolatoria Georgii Brunonis decani Colonienſis ad Henr. Ranz. de obitu filii Caii. 253.
Conſolatoria Melchioris Neofanii paſtoris Brunſuicenſis

ſis ad Henr. Ranz. 255.
Epiſtola M. Nicolai Cornopæi Scholæ Chilonienſis Rectoris ad Henricum Ranzouium. 257.
Conſolatoria Caroli Alefeldii nepotis ad Henr. Ran. 258
Epiſtola Henrici Ranzouii ad principem Ferdinandum de Medices, magnum ducem Hetruriæ. 260.
Conſolatoria Epiſtola Erneſti Comitis in Mansfeld ad Henricum Ranzouium. 263.
Reſponſio principis Ferdinandi de Medices, ducis Tuſciæ, magni Hetruriæ ducis ad Henr. Ranz. 265.
Epiſtola eiusdem principis ad Brunonem Decanum Colonienſem. 267.
Epiſtola Henrici Ranzouii ad principem Ferdinandum de Medices. 268.
Reſponſio principis Ferdinandi de Medices. 270.
Reſponſio Henrici Ranz. ad eius principis literas. 271.
Epiſtola Ferdinandi Medices ad Henr. Ranz. 273.
Alia eiusdem principis epiſtola ad Henr. Ranz. 274.
Reſponſio Henrici Ranzouii. 275.
Reſp. Ferdinandi Medices ad Henr. Ranz. literas. 277.
Epiſtola Henrici Ranzouii ad principem aliquem magni nominis in Italia. 278.
Epiſtola Nicolai Chiberti Lotharingi Medicinæ doctoris ad Henr. RanZ. 281.
Epiſtola Scipionis Admirati trium magnorum Hetruriæ ducum ab hiſtoria ad Henr. Ranz. 285.
Epiſtola Philippi a Fraxinis ad Henr. Ranz. 287.
Epiſtola Henrici Ranzouii ad Georgium Brunonem decanum Colonienſem. 288.
Reſponſum Georgii Brunonis. 289.
Epiſtola Martini Marſtalleri Pomeraniæ ducis conſ. 291.
Reſponſum Henrici Ranz. ad epiſtolã Marſtalleri. 293
Epiſtola Philippi ducis Pomeraniæ ad Henr. Ranz. 294.
Alia eiusdem ducis epiſtola ad Henr. Ranz. 295.
Reſponſum Henrici Ranzouii ad epiſtolã Philippi Pomeraniæ ducis. 296.

INDEX.

Alia Henrici Ranzouii epiſtola ad Philippum Pomeraniæ ducem. 300.
Epiſtola Henrici Ranzouii ad Ferdinandum Ximenium. 301.
Epiſtola Margaretæ Principiſſæ Arenbergenſis ad Henricum Ranzouium. 302.
Epiſtola Ioannis Politi ad Henr. Ranz. 304.
Epiſtola Ioanis Niebur conſulis Hamburgenſis ad Henr. Ranz. 305.
Epiſtola Matthæi ab Otthen, Proregi Portugalliæ a ſecretis ad Henricum Ranzouium. 307.
Epiſtola Ioannis Lauterbachii Rectoris ſcholæ Heilbrunnenſis ad Henricum Ranzouium. 310.
Epiſtola Henrici Ranzouii ad Benedictum ab Alefeld generum ſuum. 312.
Epitaphia Theodorici Ranzouii Henrici filii Canonici Lubecenſis. 315.
Epiſtola Philippi Pomeraniæ ducis ad Henr. Ranz. 318.
Epiſtola Martini Marſtalleri ad Henr. Ranz. 320.
Alia eiusdem Marſtalleri ad Henr. Ranz. 322.
Epiſtola Philippi ducis Pomeranorum ad H. R. 323.
Epiſtola Genetheliaca Martini Marſtalleri ad H. R. 324
Epiſtola Henr. Ranz. ad Philippum Pomeraniæ ducem. 330.
Epiſtola Henr. Ranz. ad Martinum Marſtallerũ. 333.
Epiſtola Henr. Ranz. ad confœderatorum ſtatuum Belgii ad ſereniſſimum regem Daniæ legatos. 335.
Epiſtola legatorum ſtatuum Belgii ad Henr. Ranz. 337.
Epiſtola Iuſti Lipſii ad Henr. Ranz. 338.
Epiſtola Antonii Comitis Oldenburgi ad H. R. 339.
Epiſtola Rudolphi 2. Imper. legati Ehrenfridi a Mingvvitz ad Henricum Ranzouium. 340.
Epiſtola Ioannis Adolphi Archiepiſcopi Bremenſis & epiſcopi Lubecenſis ad Henr. Ranz. 341.
Epiſtola Othonis Guilielmi a Berlepſch ad H. R. 342.
Epiſtola Rudolphi 2. Romanorum Imperatoris ad Henricum

ricum Ranzouium. 344.
Epiſtola Caroli Comitis ab Egmont, Ferdinandi Lopes & Ioannis Nickerke ad Henr. Ranz. 345.
Epiſtola Henr. Ranz. ad Iuſtum Lipſium. 346.
Reſponſio Henr. Ranz. ad epiſtolam Rudolphi 2. Imper. 347.
Epiſtola Henr. Ranz. ad Cancellarios ſenioresq; conſules ſupremi ſenatus ducatus Brabantiæ, &c. 348.
Epiſtola Henr. Ranz. ad Ioannem VVolgangum Freimonium ab Oberhauſen. 350.
Epiſtola Marci Velſeri conſulis Auguſtani ad Henricum Ranzouium. 352.
Epiſtola Henrici Ranzouii ad principem ac dom. Erneſtum archiducem Auſtriæ. 353.
Epiſtola Hermanni VVarnebuch conſulis Lubecenſis ad Henr. Ranz. 354.
Epiſtola Ioachimi Friderici archiepiſcopi Magdeburgenſis ad Henr. Ranz. 355.
Epiſtola Henr. Ranz. ad Ioannem VVolfgangum Freimonium ab Oberhauſen. 357.
Epiſtola Franciſci ducis Saxoniæ, Angariæ & VVeſtphaliæ ad Henr. Ranz. 358.
Epiſtola legatorum Hiſpaniæ regis & Archiducis Auſtriæ ad Henr. Ranz. 359.
Epiſtola Nicolai Bielke ſenatoris regni Suecici ad Henr. Ranz. 361.
Henr. Ranz. reſponſio ad præcedentem. 363.
Epiſtola D. Rudolphi 2. Imperatoris ad fratrem Erneſtum Archiducem Auſtriæ, &c. ex germanico in latinum conuerſa, Segebergæ exhibita. 365.
Epiſtola Friderici 2. Daniæ, Noruvegiæ Vandalorum, Gothorumq; regis ad Franciſcum de Verdugo. 366.
Epiſtola Ioachimi Friderici poſtulati adminiſtratoris Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, Marchionis Brādeburgenſis ad Henricum Ranzouium. 367.
Epitaphia liberorum Henrici Ranzouii cum aliis non-

nullis Epigrammatibus a Lauterbachio conſcripta 368.369.& ſequentibus incluſiue vſq; ad foliū. 391.
Georgii VVippermanni elegia funebris ad Henricum Ranzouium de obitu filii Caii. 391.
Petri Lindebergii elegia conſolatoria ad Henr. Ranz. de obitu filii Caii viriliter ferendo. 395.
Caroli ab Aleſeldt in obitum auunculi ſui Caii Ranzouii elegia ad Henr. Ranz. auum ſuum. 397.
Conſolatio filiorum ad Henr. Ranz. parentem. 398.
Henricus Ranzouius conſolatur ſemetipſum. 399.
Preces Henr. Ranzouii pro felici ex hac vita exitu. 401.
Votum eiusdem ad imitationē Xenophontis. 402.
Dictum ex primo & ſecundo capite Iobi. 403.
Verſus Euripidei a Cicerone translati. ibid.
Querela Henrici Ranz. de morte ſuorum intertextam habens conſolationem & in fine annexum votū. 404.
De vita æterna Mantuani epigramma. 406.
Ad lectorem exuuias Ranz. prætereuntem. 406.
Epitaphia Henrici Ranzouii producis Cimbrici. 407.
Ad Henricum Ranzouium, quod viuus inſcriptionem tumuli parat. ibid.
Aetatis humanæ curriculum alludens ad emblema Henrici Ranzouii. 408.
Declinatio mortis. ibid.
Henricus Ranzouius de ſeipſo. 408.
In arcem Ranzou Henrici Ranzouii. 409.
Silentium & ſpes arma ſunt patientiæ. 409.
In ſententiam memorialem Henrici Ranzouii. 410.
Votum Salomonis, Frencelii pro longa vita Henr. R. ibid.
Threnus & epitaphia in obitum Sophiæ Roſenkranziæ coniugis Breidonis Ranzouii Henrici Producis Cimbrici filii. 411.412.413.414.415.
Epitaphia duo Erici Ranz. in primo vitæ lumine mortui Breidonis Ranzouii filioli. 416.
Querela H.R. in obitum nobiliſſimi viri Hacconis Hulgeri Mariſchalci regni Daniæ affinis ſui cariſſimi. 417.

INDEX.

Lugubres narrationes duæ de obitu illuſtris ac generoſi viri Dn. Nicolai Caas magni Daniæ Cancellarij & equitis ordinis Danici 420. *vſq;.* 430

Elegiæ funebres Henrici Ranzouii, in obitum Dn. Nicolai Caas Domini in Tarup. 431

Planctus Iuſtitiæ politicæ ad Nicolaum Caaſum pie defunctum. 434

Programma publicum Academiæ regiæ Haffnienſis in celebratione exequiarum Dn. Nicolai Caas, domini in Tarup. 435

Epitaphia Dn. Nicolai Caſæ. 435. *vſq; ad* 446.

Elegia Petri Lindebergij ad Henricum Ranz. amicum ſuum Dn. Nicolaum Caſam lugentem. 446.

Memoria Henrici Ranzouij in obitum amici ſui Erici Volcmari a Berlepſch equitis Turingi. 448.

Querela Henrici Ranzouij de obitu dominorum ſanguineorum & amicorum ſuorum. 450

Epigramma M. Friderici Dedekindi Rectoris Scholæ ad S. Michaelem Luneburgi in pium Henrici Ranzouij colligendi monumenta ſtudium. 452

Pyramis Nordenſis. 453

Pyramis Segebergenſis. 454

Obeliſcus Henrici Ranzouij. 455.

Ex epiſtolis tarde transmiſſis.

Ioannis Georgij Marchionis & Electoris Brandeb. epiſtola ad Henricum Ranzouium.

Petri Lindebergij epiſtola ad Henricum Ranz.

Pauli Meliſſi epiſtola ad Henr. Ranz.

Reſponſio Henr. Ranz. ad Paulum Meliſſum.

Epiſtola Henr. Ranzouij ad Georgium Rollenhagen.

Boneuenturæ Bodeckers Legati Cæſarei epiſtola ad Henricum Ranzouium.

Iacobi Typotij epiſtola ad Henr. Ranz.

Reſponſio Henrici Ranzouij ad Iacobum Typotium.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

AD

VIV

RE

In n
Qu
Hau
Sed ſ
Inge
Ipſæ
Ag
Tem
RA
Tu

AD HENRICVM RANZOVIVM, REGIS DANIÆ VICARIVM, VIRVM ILLVSTREM.

De effigie illius aurea.

QVOD me RANZO tui dignaris imagine vultus,
Non ex pagellis chartæ conſtante, ſed auro
Ex ſolido; ſolidum declaras cordis amorem
In non vulgarem melicum, nec laudis inanem.
Qui tibi ſi ſolidas conatur reddere grates,
Haud tenui ex charta fiet, vacuaue papyro;
Sed ſolido ex animo, dantis teſtante fauorem
Ingenuum. verum chartæ ſolidentur oportet.
Ipſæ RANZO prius, ſolidum quam ſcribere carmen
Aggrediar, ſolida manſurum ætate per omne
Tempus, amicitiæ que memor conteſter honorem.
RANZOVII, ſimul & famam titulumque perennem.
Tu quidnam expeteres hoc munere ſoldius vno?

MELISSVS,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 109 [45,-197 8°]